13
28
a
65

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
24 C
35

13. 28. a. 65

Digitized by Google

A IIIa 88

Digitized by Google

# DE ANTIQVO IVRE ECCLESIAE SICVLAE

DISSERTATIO

ALBERTI PICCOLI

Ex Congregatione Oratorij Meſſanenſis.



MESSANAE

Ex Officina Typographica Petri Breæ.

MDCXXIII.

Digitized by Google

*Si quid humano more erratum fuerit, ex Magiſtra omnium Romana Eccleſiæ præſcripto libens, volens corrigo, induco, deleo.*

Digitized by Google

# SCIPIONI CARDINALI S. SVSANNAE S. R. E. BIBLIOTHECARIO

ALBERTVS PICCOLVS F.

PRodit in lucem, Cardinalis Illuſtriſsime, hæc mea Diſſertatio de Antiquo Iure Siculę Eccleſiæ. virgo illa quidem, & domi benè, pudiceq; educta, ſed vt de conſcientię ſuę integritate admodum ſecura, ita de aliorum iudicijs non paulò ſollicita. Et ſederat animo diutiùs illam habere in paternis ſacris. nam quia nullam ei natiuam pulchritudinem ineſſe ſcirem, & pro mea humilitate, atque inopia, non pecuniam, non muliebrem mundum, non potentiorũ ſtudia parare ei dotem potuiſſem; ſatis habebam in familia retinere, neque eam vnquam publico elocare, ne tenues res meæ aut mihi pudori, aut alijs one-



Digitized by Google

ri eſſent. Sed aliter Amicis viſum. qui & legis Papiæ, quamquam magna ſui parte iam obſoletæ, pœnas intentabāt, coniugijs frequentandis ſancitas: aiebantque, me omnium maximè vnum deſipere, ſi inter aduerſa ſæculi vitia, in tanta deſipientiū cum vulgo Sapientum turba, ego vnus ſeorſim ſapere videri vellem, orbitatēq; ſtudijs iam oīum, votiſq; damnatam voce atq; exemplo laudarem. En igitur eam publico damus, ſed Tua ſub fide, & cliētela, Princeps Illuſtriſſime. Quid ni autem ex Sacro Quiritium Patrum Senatu vnum Te Patronum ei legerim, à quo non tutelam modo, ſed & venuſtatem, ſed & gratiam ſperare plurimam poſſit? Tu enim is es, qui cùm ad Virtutē, Dignitatem, Litteras natus, factus ſis; cùm nō modo in grauioribus Sapientiæ ſtudijs, ſed & in hac præſertim, quam tractamus, Antiquitatis Eccleſiaſticę peritia tuo quodā iure Pōtificiū teneas, & ab ſeueriori Cēſorū nota tueri authoritate ſcriptiunculam valeas, & ſecundo, ac beneuolenti p̄iudicio Senatus Litteratorum iudicijs præire. Siſtet eam Amplit. Tuę Hieronymus Aleander Cl. Vir, & mihi multis nominibus ſuſpiciendus, qui & illius pudorem ſua, qua valet apud Te, gratia ſubleuabit.

# LECTORI.

Sicilienſem Hiſtoriam veterum Scriptorum ſtudia, lucubrationeſque ſatis illuſtrem, ſed multò illuſtriorem reddidere ſapientũ Hominũ vigiliæ, quos ſuperior ætas, ac præſens maximè ſæculũ plurimos tulit. Nam quia Optimi Maximi Hiſpaniarũ, & Siciliæ Regis prudentia, & pietate longo iam fruimur otio, altaque pace luctuoſæ Martis artes quieuere, Palladi ſuus honor redijt, & quibus ſcribenda facere per temporum quietem non licet, voluminum editione ad famam, gloriamq; graſſantur. Inde eſt, quod patrũ memoria Cl. Marium Aretium vidit, bene de re Sicula meritum hominem, Thomam Fazellum, cuius eximiam induſtriam, nobiles auſus ſecuturæ ætates ſatis numquam laudauerint, Franciſcum Maurolycum, vt in grauiſſimis Matheſeos diſciplinis ſumma cum laude verſatum, ita in manſuetioribus hiſce non vulgare nomen conſecutum: Noſtra verò ætas Bonfilios ſuſpicit, Mirabellas, Parutas, Valguarneras. Quin & eadem ingenuæ laudis cupido, & de noſtra Sicilia benemerendi ſtudiũ ex vltimis Batauis Philippi Cluuerij laudatiſſimos impetus attraxit, ex Germania intima Georgij Gualterij ad illuſtrandam Inſulæ Chorographiam, ad eruendas ex vrbium cadaueribus, ex templorum, ædiumque parietinis antiquas Inſcriptiones. Atque vtinã, vt Chorographicæ rei, vt Antiquariæ, vt Hiſtoricæ bene hactenus conſultum, ita aliquis exiſteret, qui veteris Siculæ Politiæ tenebris faces adderet, qui priſcos Maiorũ noſtrorum mores, rituſque, qui receptas ciuitatum leges ſtilo ſeorſim exequeretur, qui antiquiſſimam Siculorum Theologiam, vetuſtioris æui Sacra, Auſpicia, Templa poſteritati traderet. Sacram quidem Siciliæ Chriſtianam

Hiſto-

*Hiſtoriam integram edendi ſpem nobis maximam fecit Octauius Caietanus profundi iudicij vir, immenſi laboris. Sed eius feliciſſimos conatus, noſtram expectationem importuna mors, heu quã importunè abrupit. nec video quis iuſtus, ac legitimus hæres affectas illius lucubrationes, & ſtudia vindicare ab interitu poſſit, aut velit. Porrò inter tot clariſſimorũ Virorũ operas Siculæ Hiſtoriæ ædificationem, veluti collato conſilio, molientium, quid ni ego quoq; puſillus homo, ſi non quadratos lapides, baſes, columnas, lineam, normam, regulam, at certè minutiſſimam arenulam meam ſymbolam conferam? Igitur ex vniuerſa Sacrarum rerũ tractatione, bona cum venia piorum Manium Caietani, particulam mihi ſumpſi pro meo modulo examinandam, nempe de Antiquo Iure Siculæ Eccleſiæ, in qua vnũ illud aueo ſcire, quis reuera fuerit antiquioris Siculæ Politiæ Sacræ ſtatus, quæ Metropolis Sedes: cõtroverſã haud dubiè diſſertationẽ periculi plenã, & plurium ſtylis, iudicijſq; ſollicitatam: quando, vt de Caietano in præſentia dicere omittam, qui quid ſuper hac re ſenſerit, nondum editis illius ſcriptis, nihilo apparet, Clariſſimus Mirabella in ſua veterum Syracuſarum deſcriptione honorem Metropolis Patriæ non timidè vendicat, & non multis ante ipſum annis Vincentius Littara, Netinus domo, gente Syracuſanus, in ea, quam ſcripſit, oratione de Primatu Eccleſiæ Panormitanæ, tametſi vetus vrbis dignitas, Patriæ claritas non leuiter eum tangeret, abripi ſe tamen, & in tranſuerſum ferri Panormitanæ ciuitatis ſtudio non inuitè paſſus eſt: vt quæ externum hominem Grammaticis exercitationibus non vulgariter eruditum honeſtiſſimè acceperat, atque adeò eas artes apud ſe cum laude profitenti numeroſos vltrò obtulerat nobilium puerorum greges educandos. Sed nobis tantum animi cauſa bonitas addidit, vt minimè pœniteat in iſta honorum*

*con-*

*contentione ignotam hactenus viam, & nullius veſtigio preſſam omnium primos aperuiſſe. Iudicem modo ſortiamur, vti amoris, & odij vacuum, ita non de media plebe hominem, ſed qui & Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudia non indiligenter tractauerit, & Conciliorum Actis, Pontificũ, & Patrum epiſtolis legendis aſſueuerit, & ſuum de re tota iudiciũ ab carceribus ad metas vſq; tantiſper ſuſpendat. Nam ijs, quibus non ſuaſeris, ne ſi perſuaſeris quidem, quiue ex diuerſo ea iudicij imbecillitate ſunt, vt tùm demum euiciſſe te quippiam putent, cùm idoneum authorem ſententiæ tuæ fundum dederis, neq; placere poſſim, ſi velim, neque velim, ſi poſſim. Adeò ne verò hominem ignarum, & infelicem eſſe quemquam, adeò ne humanitatis omnis expertem, vt, niſi dicti tui teſtem laudaueris, fidem habere non argumentis, non exemplis velit? vt Topicos omnes, quam latè patent, diſſerendi locos valere multum iubeat? vt ſolis authoritatibus certari, & rerum veritatem exquiri debere exiſtimet? Atqui non ijs iſta ſcribimus, non cuique de triuio ſtudia noſtra deſudant, ſed ijs tantum, qui hominum more, hoc eſt rationum momentis, argumentorum vi, coniecturis, quo pertingere authoritates non poſſunt; quod in antiquiorum præſertim rerum inueſtigatione fieri amat, duci ſe, atque adeo trahi non illibenter, etiam ſponte, & ex animo patiuntur. Tandem cùm huiuſmodi ſcriptiones nullas non argumentationum ſpecies admittant, minimè vereor, quin multas prætermiſerim; ſed & modum adhibere de induſtria volui, ne libellus nomen commutaret, & vt, ſi quos eamdem Spartam ornandi libido inceſſiſſet, eſſet quod inuenirent.*

Digitized by Google

Prætermiſſa ad pag.72.lin.7.poſt verba, auſus eſt, adde

Scilicet illo æuo tantumdem erat *Eccleſiaſticum ordinem perfringere, peccare in Eccleſiaſticas ſanctiones*, atque alienæ Eccleſiæ iura, adminiſtrationemque turbare, atque inuadere, alterius poteſtate, imperioque ſe eximere, contumaci animo maiorum ſuorum iuſſa negligere. De Epiphanio Cypri Metropolita ſic ſcribit Georgius Patriarcha Alexandrinus in Chryſoſtomi vita. [a] *Magnus quoque Epiphanius, quem Theophilus Alexandrinus*, Epiſcopus, *callidè in Ioannem incitarat, Conſtantinopolim veniens Eccleſiaſticum quibuſdam ſuis factis ordinem turbauit. Diaconum namque in Septimo, ſic enim locus templi S. Ioannis appellatur, contra canonem ordinarat: deindeque ſine bona Chryſoſtomi venia rem diuinam fecerat.* Et Gregorius Magnus,[b] qui Natali Salonitano Epiſcopo Eccleſiaſtici ordinis ignorantiam obiecerat, non aliter illum conuincit, quam quod in Romanum Pontificem, cuius in Diœceſi eſſet, præfractè, contumaciterque ſe geſſiſſet.

a apud Photiū in bibliotheca Cod. 96.

b lib. 2. Indict. X. ep. 14. & 37.

## Errata operarum in contextu, & ad oram libri ſic corrige.

pag.10.lin.22. Milenſem — Mylenſem
l. 27. Cephaladienſem — Cephaloedienſem & lin.27. Cephledienſem — Cephaloedienſem
p.21.l.4. vr — vt
p.46.l.33. pereuicaci — peruicaci
p.61.l.32. pracipuæ — Præcipuæ
p.63.l.10. Vicarios — Vicarij.
p.64.l.44. ab — ad
p.84 l.17. Mænologia — Menologia
p.87.l.44. Pontifieum — Pontificem
p.125.l.31. cum alio, qui — cum alioqui
p.127.l.7. Bythiniæ — Bithyniæ.
p.128.l.26. Scriptori — Scriptotis
p.130.l.34. viato — iurato
p.168.l.6. quam quid — quam quod
l.18. hoe — hoc
p.137.l.42. magiſtratus adde appellationem
p.139.l.12. an ſalſis — an falſis
l.31. Bracharenſi — Barchinonenſi

### Ad Oram.

pagina 3. litterula c anno 560. corrige anno 570.
p.5. litt. g. Diſp. lib. 2. & 23. corrige Diſp. lib. 2. cap. 23.
p.6. litt. b. tit. 11. cap. 18. corrige c. 113.
p.8. litt. a. in Cod. Græc. Ambit. corrige Cod. Græc. Arab.
pag. 11. litrera b. Damas. ad Numidiæ Epiſcopos, adde, epiſt. 5.
p.14. lin. 4. lit. a. adde lib. 3. cap. 32.
p. 26. litt. a. lib. 7. epiſt. 112. Indict. VI. corrige, Indict. II.
p.40. litt. a. tom. 6. adde, anno 508. n.31.
p.46. lin.25. adde, apud Io. Boſco in Antiquitat. Viennenſ. pag. 50.
p.54. litt. f. poſt epiſt. 31. & 16. corrige, poſt epiſt. 13. & 16.
p.59. litt. c. de Maiano Antiocheno, corrige de Macario Antiocheno.
p.62. litt. a. § 5. corrige, §. 1. lin.37. adde, conc. 3. cap. 26.
p.64. lin.2. adde, Io. Boſco in Antiq. Vienn.
p.66. litt. e. epiſt. 5. ad Mi; corrige ep. 5. ad Michaelem Imperatorem.
p.67. lit. a. Baron. anno 471. lege anno 477.
p.78. litt. b. adde, pag. 26.
p.82. lin. 2. adde, diſtinct. 63. cap. 23.
p. 93. litt. b. de qua ſupra part. 2. cap. 20. corrige part. 1. cap. 21.
p.96. litt. a. lib. cap. 29. lege, lib. 4. cap. 29.
p.98. litt. d. nu. 17. corrige num. 62.
p.99. lin.21. adde, Act. 1. & Anaſtaſ. in Not.
p.102. litt. c. Mileuit. cap. 27. 49. corrige Mileuit. cap. 27. 94.
p.114. lin.14. dele, illuſtria.
p.136. litt. b. lib. 7. Indict. XI. epiſt. 43. corrige lib. 7. Indict. XI. epiſt. 93.

Digitized by Google

# ALBERTI PICCOLI I.C.

## DE ANTIQVO IVRE SICVLAE ECCLESIAE DISSERTATIONIS

### PARS PRIMA.

***Summa Orbis Romani diuiſio, & quis in ciuili Republica ciuitatum ordo.***

### CAPVT I.

CIuitatum differentias in Romani Imperij Politia tres fuiſſe apud omnes in comperto eſt. Nam vel maiores dicebantur, vel minores, vel maximæ. Quod & Antoninum Imperatorem agnouiſſe indicat Modeſtinus. [a] Maximæ illæ dictæ, quæ & Metropoles gentium erant. Quanquam id nō ita intelligo, quaſi Metropoles omnes maximarum appellatione continerentur. Sciendum enim Romā totius Orbis, & Vrbiū Caput, ac Metropolim appellatā; poſt in duas partes diuiſo orbe Romano, Occidenti Romam, Conſtantinopolim, quę noua Roma dicta eſt, Orienti præfuiſſe: Orientē verò, ſicut & Occidentem in plures item portiones fuiſſe, diſtributum, quas Diœceſes, Tractus, Regiones nominarunt. [b] Harum quælibet ſuam Metropolim Ciuitatem habuit, quamuis non omninò certa, ac conſtanti ratione, cùm pro Imperatorum arbitrio ſæpiſſimè Diœceſum Metropoles loco mutarentur. Porrò ipſæ quoq; Diœceſes, Tractuſque in plures Prouincias diuiſi, vt ex Imperij Notitia colligitur, & ex his, quæ Philippus Berterius [c] Diatriba I. latiſsimè proſequitur. Ac ſicuti quidem Diœceſes ſingulæ ſuas Metropoles habuere, ita ſubiectæ Diœceſibus Prouinciæ nullæ reperiebantur, quæ non etiam ſuis Metropolibus parerent, quæ matres veluti ſubalternæ Prouinciarum eſſent,

[a] l. 6. ff. de excuſat, tutorum.

[b] Pancirol⁹ in theſauro varia. lect. cap. 87.

[c] Pithanō cap. 1, 2, 3, 4, & 5,

A Igitur

Igitur eæ propriè dictæ Metropoles, quæ capita Diœceſum integrarum, qualē Orientis Diœceſis Antiochiam habuit, Aſia Epheſum, Ægyptus Alexandriam, Mediolanum Italia, Carthaginem Africa, Auguſtam Treuirorū Galliæ. Atque huius ſanè generis Metropoles maximæ ciuitates veteribus appellatæ. Nā quæ ſolummodò Prouinciæ alicuius capita erant, Metropoles etiam ipſę dictæ ſunt, producta vocis ſignificatione, & in ſecūdo Ciuitatum ordine reponebātur. Ab his verò reliquæ omnes vrbes minores dictæ, quamuis & inter has fuiſſe diſcrimen aliquod Berterius [a] opinetur, vt aliæ ſecundū à Metropoli locū, inferiorem aliæ obtinerent. Neque tamen ignoro Guidonem Pancirolum [b] Modeſtini locum aliter intellexiſſe; Ciuitatum ſcilicet alias Maximas fuiſſe, quæ & Metropoles, alias Maiores, quæ forum, ideſt Duumuiros, & Defenſores, aut his ſimiles haberent Magiſtratus, qui inter ciues ius dicerent, ac tandem Minores, quæ cum nullo foro nobiles eſſent, minùs propriè ciuitates dici potuere, ſed potiùs Metrocomiæ, quaſi villarum matres, quas ſub ſe plures continebant. Sed vix eſt, vt huius tertij generis oppida in ciuitatū numero Modeſtinū cenſuiſſe opinemur, cùm ad conſtituendā ciuitatē foro inprimis [c] opus eſſet, balneis, ſtadio, theatro, gymnaſio. Igitur hic tandem fuit ex more veteri ciuitatum ordo in ciuili politia, quem breuiter, velut in re perſpicua, delineaſſe ſatis ſit.

a Diatr. l. c. 6.

b In theſ. var. lect. cap. 154. & cap. 253. lib. 2.

c Pauſani. in Phocic. Proco. de ædific. Iuſt. lib. 3.

*Ciuitatum diuiſio in Eccleſiaſtica Politia. Qui Patriarchæ, & quot modis dicti, qui item Primates.*

## CAPVT II.

Sacræ porrò alia fuit forma, & ſpecies. Primùm enim poſt Romanum Pontificē [d] duos Patriarchas admiſit Eccleſia, Alexandrinum, & Antiochenum. Subinde verò nimia Conſtantinopolitani Præſulis ambitione occultè primùm, mox luce, & palam ſuos omnes conatus eò conferentis vix ægrèque in tertium locum receptus eſt. Tandem etiam Hieroſolymitano Epiſcopo, [e] qui in Niceno Cōcilio præcipuo quodam honore præ alijs eſſe iuſſus erat, ita tamen, vt cætera Metropolitano ſuo ſubijceretur, Patriarchatus honor partus, quæſituſq́; eſt. Atque is primùm ordo inter eos fuit, quem hactenus recenſuimus, nam cùm deinde Conſtantinopolitano non ſatis eſſet tertius inter Patriarchas locus, non priùs deſtitit, quàm primam ſedem inuaderet, Alexandrino, & Antiocheno in ſecundam, & tertiam reiectis: quibus tamen præcipuum ius

d Nic. 1. ad cōſulta Bulg. c. 92

e Baro. tom. 3. anno 325. nu. 135.

inte

integrum manſit, vt eorum Eccleſiæ æquè, ac Romana, Apoſtolicæ ſedes dicerentur, quia Apoſtolici ordinis principem authorem habuiſſent, vt ex Gregorij Epiſtolis a Baronius b probat. Non me latet agnouiſſe quoque Occidentem Patriarchas ſuos, Aquileienſem, Gradenſem, Bituricenſem, alioſque his ſimiles. Sed enim improprij iſti, & vmbratiles Patriarchæ ad veteres illos collati, quod nomen nō prius quàm anno quingenteſimo, & trigeſimo tertio apud nos vſurpari pro Archiepiſcopo cœptum, memoriæ prodidit Baronius. c Nimirum vt, qui ſub ſe alios haberet Epiſcopos, Archiepiſcopus eſt appellatus, ita pariter ex vocis ſignificatione Princeps patrum, & græco nomine Patriarcha diceretur. *Quò reſpexiſſe*, ait, *veteres Patres, & Gregorium Turonenſem, qui S. Nicetio Archiepiſcopo Lugdunenſi Patriarchę nomen adſcribunt, & Concilij Matiſconenſis II. Epiſcopos, qui Priſcum Lugdunenſem itidem antiſtitem eodem titulo efferunt.* Addit inſuper, cùm Ariani primarios eorum Epiſcopos Patriarchas vocare conſueuiſſent, vt ex Victore, & Gregorio Turonenſi ſit planum, inde factum eſſe, vt alij quoque hæretici à Catholica communione diſciſſi, quem ſequerentur erroris Principem, eumdem quoque dicerent Patriarcham, ad hoc malè vſurpato nomine ampliſſimæ dignitatis. Quare cùm Venetiarum, Iſtriæ, atque Liguriæ Antiſtites ſe ab Romanæ Eccleſiæ conſuetudine ſeiunxiſſent, ac Paulinus Aquileienſis Præſul his omnibus præemineret, placuiſſe iiſdem illum ſibi Romani Pontificis loco ſupremum Antiſtitem conſtituere, quē & Patriarcham nuncuparunt.

Proximè poſt Patriarchas Primates ſequebantur. *Quorum à Patriarchis diuerſum nomen, ſed idem officium*, inquit Gratianus. d Quod clarius Anacletus Papa explicās in ep. e ad Epiſcopos Italiæ (etſi quidam de eius fide non parum dubitent) *Patriarchas, & Primates*, ait, *qui vnam formam tenent, licet diuerſi ſint nomine, in maximis gentilium ciuitatibus Eccleſiam ſtatuiſſe.* Scilicet hoc ſolùm, opinantur, inter ſe differebant, quòd Primates ij dicti, qui maximarum ciuitatum Epiſcopi eſſent, Patriarcharum verò nomen proprium Sedium Apoſtolicarum fuit, quamuis poſtea, vti dictum eſt, Conſtantinopolitano, & Hieroſolymitano communicatum, mox etiam in Occidentis quoq; Primates deriuatum; iuriſdictione verò omninò pares fuiſſe; nā Primatibus æquè, vt Patriarchis, integræ, ſolidæque Diœceſes attributæ, Diœceſeon Principes, f Diœceſeon Metropolitani, Primæ Cathedræ Epiſcopi, & Exarchi promiſcuè appellati, æquum ius Primati, ac Patriarchæ in Metropolitanos erat, ab his ad Primatem prouocabatur, ille iudices dabat, ille inter Metropolitanos iure proprio cognoſcebat, Sy-

a Regiſt. lib. 6. Ind. 15. Ep. 37.
b Tomo 2. anno 1. Euar. pag. 49.
c Tomo 7. anno 533. nu. 26. & an. 560. num. 10.
d Diſt. 99.
e Epiſt. 2.
f Bert. Pithan diatrib. 2. c. 1. & 4. pag. 158. & 183.



Digitized by Google

nodos ex omnibus ſubiectæ Diœceſeos Prouincijs euocabant quæ tamen non ita planè accipienda, vt negemus Patriarchis Primates fuiſſe ſubiectos. vt enim iſti in Metropolitanos ius dixere, ita viciſſim ſe Patriarchis de honore concedere, eorumq; iuriſdictioni ſubeſſe non inuiti fatebantur. inde illa ſunt, quòd Ponticæ Diœceſis Primas, item & Aſianæ, & Thracicæ CPni Patriarchæ dicto audientes, ab eoque petijſſe ſacra frequenter in veteri hiſtoria legimus. Ergo quod noſtri Pontifices, & poſt eos Berterius dixere Patriarcharum, & Primatum idem eſſe, officium, eandem iuriſdictionem, ea notione capiendum, non vt Patriarchas cum Primatibus confundant, quo dici nihil abſurdius poſſet, ſed vt intelligamus Primates, cùm non ſingulas Prouincias, vt Metropolitani, ſed integras Diœceſes, quę multis ex Prouincijs conſtarent, adeoque plures Metropolitanos iure magiſtratus ſub poteſtate haberent, ferè cum Patriarchis eſſe, commiſſos, ijſdemq; perſimiles iudicatos, quòd non pauca cũ ijs communia haberent. Iam verò clariſſimum eſt in Occidente viguiſſe veterem iſtam Primatis dignitatem, cuius frequens mentio in tot illis controuerſijs, quæ variæ, ac plurimæ diuerſis temporibus fuere inter nobiles Eccleſias Arelatenſem, & Viennenſem in Gallijs; Cantuarienſem, & Eboracenſem in Anglia; Toletanum, Bracarenſem, & Compoſtellanum in Hiſpanijs. An item inter Orientis Eccleſias recepta ea dignitas fuerit, ſubdubium videri poſſet. Sed eò tandẽ pertinere aliqui [a] cenſent, quod in ſexta Synodo legitur: *Philalites indignus Epiſcopus Cęſareę magnę Ciuitatis Primę Cappadocię Prouincię Primatum habens Ponticę diſpenſationis, Theodorus miſericordia Dei Epiſcopus Epheſiorum Metropolis Aſianę Prouincię, & Primatum habens Aſianę diſpenſationis.* Quibus plurimæ aliorum ſimiles ſubſcriptiones in Concilijs paſſim leguntur.

[a] Bert. diatr. 1. cap. 2. pag. 161.

## *Qui Archiepiſcopi, qui Metropolitani, & pares nec ne dignitate inter ſe fuerint. Metropolis etymon.*

## CAPVT III.

Porrò, vt ad tertium Eccleſiaſticæ Politiæ gradum deſcendam, Archiepiſcopi, & Metropolitani illum occuparunt; qui diuerſi ne inter ſe fuerint, planè non multùm compertum habeo. ſatis ſit hoc loco primùm contrarias Authorum ſententias, tùm deinde, quid ego ſuper ea re ſentiam, breuiter, ac dilucidè in medium proferre. non pugnabo

pugnabo, ſi quis, contra quàm ego cenſeam, controuerſiã finiat. Ac ſane quidem, ſi Latini nominis Scriptores conſulere placeat, ſunt qui Metropolitanos ab Archiepiſcopis ea ratione ſeiungant, quòd illos à menſura ciuitatum Epiſcopalium, quas ſubiectas habet, dictos cenſeant Metropolitas. Inde Iſidorus. a *Metropolitani, inquit, à menſura ciuitatum vocantur; ſingulis enim Prouincijs preeminent, quorum authoritati, & doctrinę cęteri Sacerdotes ſubiecti ſint, ſine quibus nihil reliquos Epiſcopos agere licet. Sollicitudo enim totius Prouincię illis commiſſa eſt. A menſura ciuitatũ,* explicant Iuris interpretes, † *quia decem, vel vndecim ſub ſe Epiſcopos Metropolitanus habere debet.* Huc ſcilicet pertinere iſtis videtur Pelagij Epiſtola b ad oẽs Epiſcopos. *Scitote certã prouinciã, eam eſſe, quę habet decem, vel vndecim ciuitates, & vnum Regem, & totidem minores poteſtates ſub ſe, & vnum Epiſcopum, aliosque ſuffraganeos decem, vel vndecim Epiſcopos iudices, ad quorum iudicium omnes cauſę Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac Ciuitatum referantur, vt ab his omnibus iuſtè conſona voce diſcernantur, niſi ad maiorem authoritatem fuerit appellatum,* & poſt pauca; *Si verò in qualibet prouincia ortę fuerint queſtiones, & inter ipſius prouincię Epiſcopos diſcrepare coeperit ratio, atque inter ipſos diſſidentes non conueniat, ad maiorẽ tunc ſedẽ referatur, maiores verò, & difficiles queſtiones, vt ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, ſemper ad ſedem Apoſtolicam referantur.* Nec Iuſtinianus Imperator † abludit, cùm de Helenoponti Moderatore loquẽs, *Abſurdè,* ait, *Helenopontum, quę regio octo ciuitates, Polemoniacum Pontum, quę ſolas quinque cenſeat, ac ſimul iunctę vix vnam prouinciam conſtituerent, duplicem prouinciam vocari; proinde iubere ſe vnicum deinceps eſſe vtriusque Ponti moderatorem.*

E diuerſo alij c nihil inter ſe differre hæc nomina exiſtimãt: idq; ex duabus Anacleti epiſtolis probant, tùm ea, quæ ad Epiſcopos Italiæ ſcribitur, tùm quæ ad Epiſcopos vniuerſos, *Metropolitanarum,* inquit, *vrbium Epiſcopi Metropolitarum, aut Archiepiſcoporum nomine fruantur.* Facit, & Felicis II. epiſtola ad Alexandrinã Synodum. d *Qui Metropoles tenent, Archiepiſcopi vocentur,* Ab eadem mente ſunt, quæ Anicetus e ſcribit ad Epiſcopos Galliæ, Stephan. f ad Epiſcopos per diuerſas prouincias conſtitutos. longum eſſet ſimilia his aliorum Pontificum teſtimonia referre. Quocirca iſti g cenſoria nota ſeuerè admodum reprehendunt, Iſidorum, & Gratianum diuerſæ ſententiæ authores, quaſi abſurdè ſatis Metropolis nomen à græco verbo μετρῶ deriuarint, quod metiri ſignificat, cum potius à μήτηρ, & πόλις deducatur, quod eſt matrix ciuitas, quæ etymologia inde clarior, quòd μητρόπολις, & μητροπολίτης, non autem

μετρῶ

a lib. 7. etim. cap. 12.

† Gloſſ. ad cap. cleros. 21. diſt.

b epiſt. 1.

† Nouel. 28.

c Cõſaluus Põce in notis ad Theophan. Archiep. Nicæn. epiſt. 1. num. 1. Petrus Grego. Toloſ. ſyntag. lib. 15. cap. 12. d Ep. 2. cap. 4. & ep. 3. cap. 3. e epiſt. 1. c. 3. f epiſt. 1. c. 5. g Alciat diſp. lib. 2. & 23. Põce. & Gregor. loc. cit.

μετρόπολις, aut μετροπολίτης à Græcis proferantur, cum illud à μήτηρ, hoc à μετρῶ deriuari ſatis conſtet, quod & Suidæ placuiſſe, aiunt, qui *Metropoles dici eas Vrbes*, tradit, *vnde coloniæ deductę ſunt, quoniam hę quaſi coloniarum matres ſunt.*

Quòd ſi à Græcis petamus horum nominum ſignificationē, ac differentias multo etiam difficilior res erit. quippe inter hos nedum quid alterum ab altero differat, incertum eſt, ſed nec planè conſtat. pares ne authoritate inter ſe dignitates iſtæ fuerint, & vtra ex ijs ſuperior, aut præſtantior habita ſit. ſiquidem in hac ipſa re contraria ſunt veterum authorum teſtimonia, quorum alia ſuadent, Archiepiſcopi prærogatiuam Metropolitano maiorem, & nobiliorem fuiſſe; pleraque e diuerſo Metropolitano Archiepiſcopum inferiorem faciunt. nimirum ad priorem claſſem pertinent, quæ apud Iuſtinianum [a] Imperatorē legimꝰ in Nouellis. *Multis, & variis modis patriā noſtrā augere cupientes, in qua primò Deus pręſtitit nobis ad hunc mundū, quē ipſe condidit, venire, & circa ſacerdotalem cenſuram volumus eam maximis incrementis ampliare, vt Primę Iuſtinianę patrię noſtrę ſacroſanctus Antiſtes, non ſolum Metropolitanus, ſed etiam Archiepiſcopus fiat, & cęterę prouincię ſub eius ſint authoritate.* Sed & Theodorus Balſamon in Photij Nomocanonū [b] apertiſſimè profitetur: *Meliori loco fuiſſe Archiepiſcopum, quàm eſſet Metropolita*, & alicubi: *Faciunt*, ait, *Primę Iuſtinianę Epiſcopum Archiepiſcopum, qui eſt maior Metropolitano.* Contra verò Metropolitæ dignitatem Archiepiſcopali potiorem habitam eſſe, eò clariſſimè ſuadetur, quòd ſi quæ Epiſcopalis ſedes ad ampliorem gradum euehenda eſſet, Archiepiſcopatus honore inſigniebatur, quòd ſi etiam digniori titulo eam cohoneſtare Imperatori libuiſſet, vtique ad Metropolis prærogatiuam vocanda erat. apertè id quidem indicatur in Andronici Palæologi ſenioris Notitia, [c] quæ ordinē explicat Metropoleon Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubiectarum. numerat enim eo loco Andronicus Epiſcopales ſedes, quæ poſtea Metropolitanæ factæ ſunt; Philadelphiam, quæ ſub Sardium Metropoli fuerat; Pontoheracleā, quæ ſub Claudiopolitano; Berrhœam, quæ ſub Theſſalonicenſi; Monembaſiam, quæ antiquitùs Corinthio Metropolitano ſuffragabatur; Pergamum; quæ Epheſino; Cæſaruntem, quæ Neocæſarienſi, ac multas alias, quarum indicem apud eundem authorem leges. ſimili quoque ratione nonnullas alias ciuitates recenſet, *quę*, vt Author loquitur, *cum antea Archiepiſcopales ſedes eſſent, honorem temporibus variis aſſecutę ſunt ampliorem, & ex Archiepiſcopis quidem Metropolitas factos, Bizie, Mileti, Selibrię, Apro, Garellae, Briſeos, Derco, Meſembriae, Cherſonis, Gothiae, Metraccherum.* narrat etiam, *Sugdaeam, &* *Bullam*

[a] Collat. X. Nouel. 1.

[b] tit. 1. cap. 5. & tit. 11. c. 18.

[c] Apud Cod. de Offic. Aulæ Conſtantinop.

Digitized by Google

*Bullam, cùm duo eſſent Archiepiſcopatus, vnitas poſtmodum, vnã Metropolim conſtituiſſe, quae Sugdeae, & Phullarum diceretur.* Legimus itidem eo loco vnius vrbis Co exemplum, quæ cùm antea Rhodio Metropolitæ pareret, ex Epiſcopali Archiepiſcopalis Cathedra facta eſt. Conſtat igitur ex his, inter Epiſcopi, & Metropolitæ dignitatem Archiepiſcopum medium locum tenuiſſe, vt ſi paulò altiori honore eſſet afficiendus, Metropolitanum eum dici oporteret. Accedit his, ꝙ in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. celebrato Metropolitanorum litteræ, quas ad Romanum Pontificem Orientis Epiſcopi dedere, priori loco recitatæ ſunt, tùm deinde illæ, quæ Archiepiſcoporum erant.

Sed enim illud quoque non parum difficultatis in hanc tractationem inuehit, quòd ipſos etiam Metropolitas duplici ordine fuiſſe accepimus; [a] quippe alij ὑπέρτιμοι, & ἔξαρχοι, ideſt honoratiſſimi, & principes, tùm voce, tùm ſcripto appellabantur, alij verò ὑπέρτιμοι tantùm, quod eſt, honoratiſſimi. Porrò verò prioris ordinis Metropolitanos ex Concilij Calcedonenſis decreto inter ſecundi gradus Metropolitas, & Epiſcopos ius dicere ſolitos, Meurſius [b] ſcribit.

[a] Andrõ. apud Codin. loc cit.

[b] In Gloſſario græco barbaro verbo ἔξαρχοι.

### *Archiepiſcopos duplici acceptione dictos; altera ſupra Metropolitanos, altera infra illos habitos eſſe. qui Archiepiſcopi αὐτοκέφαλοι appellati.*

## CAPVT IIII.

Quid igitur in tanta rerum antiquitate, in obſcuriſſimo hoc Eccleſiaſticæ Politiæ inuolucro ſentiendum ſit, à vobis, viri docti Eccleſiaſticæ Antiquitatis amatores, & qui facilè tenebris hiſce facem addere poſſitis, requiro. Nam Iuris noſtri conſultos ἀμύσους ſcilicet homines harum rerum imperitos nihil moror. qui cum ætatem triuerint in Pontificio iure interpretando, in ijs infantiſsimi ſunt, quæ primæ illius diſciplinæ poſitiones exiſtimantur, adeo non eos pudet rerum ipſa principia primaſque cauſas ignorare.

Quid ſi itaque dùm alius interim illuſtriora, certioraque in rem afferat, veluti manu tentantes ita ſtatuamus. poſt Patriarchas quoſdam fuiſſe Archiepiſcopos, qui non vni tantùm, ſed pluribus Prouincijs præeſſent. hos Primates Latinis dictos, Græcis verò Principes, & honoratiſſimos, Diœceſeon Metropolitanos, Exarchos, & quandoque etiam Archiepiſcopos. neque id

miran-

mirandum, cùm ipſos quoq; Conſtantinopolitanũ, Antiochenum, & Alexandrinum Patriarchas frequentiſſimè Archiepiſcopos Græci appellarint. Tales ſcilicet apud nos fuere Toletanus, Arelatenſis, Viennenſis, Lugdunenſis, Cantuarienſis, Epiſcopi, quòd non vnam modò prouinciam, ſed multò ſanè plures moderati ſint; adeòque nõ vnius tantùm prouinciæ Epiſcopis, ſed plurimis item Metropolitanis imperitarint, quod latiſſimè explicat Berterius in ſecunda Diatriba. Non diſſimili ratione Primates fuiſſe dixerim Cæſareæ Ponti, Epheſi, Heracleæ, Theſſalonicæ Archiepiſcopos; quorum nullus omninò fuit, cui non multæ prouinciæ, multi item Metropolitani ordinario iure ſubijcerentur. Hanc eandem dignitatem Seleucienſi Archiepiſcopo prouinciæ Babiloniæ decretam fuiſſe ſuſpicor in Nicæna Synodo, [a] cùm ei, *& Catholici nomẽ, & Archiepiſcoporum ordinandorum facultas* attributa eſt, *& ſexto loco poſt Hieroſolymitanum ſedere* iuſſus eſt. Nec temerè exiſtimauerim ius hoc Primatus Patriarchatũ ab Euagrio [b] appellatum eſſe, cùm ſcribit: *Timotheum Aelurum Alexandrinũ Epiſcopum perrexiſſe Epheſum, Paulumque in ſede Epiſcopali collocaſſe, atque inſuper reddidiſſe Ephesinae Ecclesiae ius Patriarchatus, quod ei Concilium Calcedonenſe ademerat.*

a In Cod. Græco Ambit. Cã. 33. & 34.

b lib. 3. cap. 6.

Sub huius generis Archiepiſcopis plures erãt minorum gentium, vt ita dixerim, Metropolitani. qui ſcilicet vnius ſolitariæ Prouinciæ Prędes erant, qui & honoratiſſimi tantùm dicebantur, non Principes. quippe inter ſolos Prouinciales Epiſcopos, non etiam inter Metropolitanos ius dicere ſoliti. Atque id fortaſſe eſt, quod Pontificij iuris interpretes, [c] homines minimè mali ſubobſcurè docent, *Archiepiſcopum hoc à Metropolitano differre, quòd iſte non plures, quàm decem, aut vndecim, ille verò, vel centum ſubiectos habere Epiſcopos poſsit, ob eàmque cauſam maiori, ac digniori pręrogatiua eſſe Archiepiſcopum Metropolitano.* Qua in re ita eos ego intelligo, vt in conſtituenda harum dignitatum differentia haud quidem iſti nudũ ipſum Epiſcoporum numerum, qui ſub ditione eſſent, ſed Prouinciarum rationem inire voluerint, vt ſcilicet is Metropolitanus diceretur, qui decem minimùm Epiſcopis præeſſet, hoc eſt vni tantùm Prouinciæ, quæ decem plus minus Epiſcopis conſtat, vt ex laudata Pelagij epiſtola docuimus; Archiepiſcopus verò nõ decẽ ſolas Epiſcopales ſedes moderetur, ſed vel ipſas centũ. hoc eſt cuius fidei non vna tantùm Prouincia ſit commiſſa, ſed multò plures, adeò, vt vel decem numero Prouinciæ ſub eius imperio eſſe poſſint.

c Cardin. Iacobac. de Concil. lib. 1. art. 1. nu. 265. Archid. in cap. præſenti de Offic. ordin. in 6.

Præter hos erant etiam alterius generis Archiepiſcopi nomine quidem prioribus ſimiles, re verò ipſa multò inferiores, qui

neque

neque Prouinciæ vlli præerant, neque Epiſcopos ſub ditione habebant, proinde nudo nomine honoris cauſa Archiepiſcopi dicebantur. atque huiuſmodi fuere hi præſertim, quorum ciuitates Imperatoris munere Metropolis iura obtinuiſſent, quarum exempla plurima ſuo loco afferentur. Id quidem ex Balſamone colligere apertiſſimè mihi videor in reſponſo de Patriarchis, quo loco habet: *Gothiae Antiſtitem non ob eam cauſā Archiepiſcopum appellari, quòd Epiſcopos ordinare poſſit, ſed quòd inter Prouinciae Epiſcopos reliquos antecederet. ſic enim Canones ſtatuiſſe, vt Metropolitanae dicerentur Eccleſiae illae, in quarum Diœceſibus alię item vrbes eſſent Epiſcopales; quę verò nullas ciuitates haberent, Archiepiſcopales appellarentur, vt Metropolibus quidem cedant, ſed Epiſcopatibus praeſint.* Sanè de his illa accipio, quæ ex Andronici Notitia proferebam; *quaſdam repertas fuiſſe Eccleſias Archiepiſcopales, quae vt ampliori honore afficerentur, in Metropoles ab Imperatoribus euectae ſunt.* Ad hos etiam reſpexiſſe cenſeo Anicetum ad Epiſcopos Galliæ, cùm *nullos Metropolitanarum vrbium Epiſcopos Primates appellari* voluit, *niſi eos qui primas tenerent ciuitates, quarum Epiſcopos Apoſtoli, eorumq; ſucceſſores regulariter Patriarchas, ac Primates eſſe ſtatuerunt, praeterquam ſi aliqua gens deinceps ad fidem conuerteretur, cui neceſſe ſit propter multitudinem Epiſcoporum Primatem conſtitui, reliqui verò, qui alias Metropolitanas ſedes adepti ſunt, non Primates, ſed Metropolitani, aut Archiepiſcopi vocentur.* Crediderim Anicetum, aliosque Romanos Pontifices, qui ſimilia ſcripſere, eos tantùm Archiepiſcopos, vel Metropolitanos interdixiſſe Primatis appellatione, qui vel nomine tenus eſſent Archiepiſcopi, vel vnam ſolam Prouinciam Metropolitico iure moderarentur. nam primi generis Archiepiſcopos Primatum nomine contineri Iſidorus a manifeſtè indicat, cùm *Epiſcoporum ordinem quadripartitum eſſe*, inquit, *in Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolitanis, Epiſcopis.* Et de Archiepiſcopo loquens, *Archiepiſcopus*, ait, *graeco vocabulo dicitur, quòd ſit ſummus Epiſcoporum; tenet enim vicem Apoſtolicam, & praeſidet tàm Metropolitanis, quàm caeteris Epiſcopis*, Primates verò omninò tacitos omiſit Iſidorus, haud dubium, quin veluti in Archiepiſcopis comprehenſos. Inde etiam euidenter conſequitur, quòd apud Gratianũ b legitur, *ab Archiepiſcopis, quoties neceſſe fuerit, Epiſcopos ad Primates appellare poſſe, at non contra licere à Primatibus ad Archiepiſcopos prouocare.* Et, *Archiepiſcopos debere obedientiam Primatibus ſuis in omnibus, quae ſibi ab illis iuſtè fuerint imperata*, minùs propriè dictum eſſe, latè vſurpata Archiepiſcopi ſignificatione, & de ijs ſolùm, qui nomine tantùm Archiepiſcopi

a lib. 7. etim cap. 12.

b Diſtinct. 99.

 diceren-

dicerentur, intelligendum eſſe, aut de ſingularum Prouinciarum Metropolitanis, qui, cùm Epiſcopis præeſſent, etiam Archiepiſcopi dici licèter potuere. Quocirca non parum demiror Iacobum Cuiacium doctiſſimũ alioqui Virum, & de Antiquitatis ſtudijs benemeritiſſimum, cùm non vno in loco [a] agnoſcat *Archiepiſcopum Metropolitano maiorem veteri aeuo fuiſſe*, eaque ratione exiſtimet, *Anacletum rectè vetuiſse, eos, qui non eſſent Primates, Archiepiſcopos dici*, [b] alibi tamẽ confundere inter ſe has Eccleſiaſticas dignitates, adeò vt *Primatis nomen pro Metropolitano vſurpari* contẽdat, *quia olim*, ait, *Metropolitani Primates, & Exarchi Dioeceſeos dicti fuere*, alibi [c] verò annotaſſe, *eumdem antiquis fuiſſe Patriarcham, & Archiepiſcopũ*, quæ certè, niſi ita explicentur, non video, qua ratione inter ſe conſentire poſſint. Verùm, quia non deſunt acrioris iudicij viri, qui recitationes illas in quinque Decretalium epiſtolarũ libros, quæ Cuiacij nomine in lucem prodiere, eius eſſe legitimum partum negent, proinde non eſt cur hoc nomine ſapientiſsimi I. C. manes exagitemus. Hic tamen, antequam ad Epiſcopos tranſeã, vnum illud addam, quòd & ſi frequẽtius Metropolitani omnes, & multò amplius Archiepiſcopi impropriè dicti Primati ſuo paruerint, non tamen id ita vniuerſim obtinuit, vt non aliqui eſſent, qui ſuperiorem illam Primatis, ſeu Archiepiſcopi poteſtatem minimè agnoſcerent. quippe non ſemper neceſſe fuit, vt quælibet prouincia Primatem, aut Patriarcham haberet, ſub cuius ditione Metropolitanus eſſet. Atque inde potiſſimum eſt, cur Metropolitani aliqui, hoc eſt, vnius prouinciæ Præſides apud Latinos Scriptores Archiepiſcopi quandoque audierint. nimirum, cùm ſui iuris, ac poteſtatis eſſent, non Metropolitæ modo, ſed & honeſtiori voce Archiepiſcopi dici potuere, vt quorum imaginem, dignitatemque præſeferrent. Eò illa [d] Leonis IX. ad Petrum, & Ioannem Africanos Epiſcopos pertinent, cùm de Archiepiſcoporum, & Metropolitarum appellatione differens, Clementis I. teſtimonio docet: *Archiepiſcopos in ijs ciuitatibus inſtitutos, quibus veteri Ethnicorum ritu Archiflamines praeſediſſent: Metropolitanos Metropolibus ciuitatibus datos, quippe qui de tribus, aut quatuor prouinciae ciuitatibus maiori, & matri aliarum ciuitatum praeficerentur. iſtos verò aliquando Metropolitanos tantum nominari, aliquando verò Archiepiſcopos, ſi in ipſa prouincia maiores non fuerint aliqui.* Porrò verò neque id Græcis ipſis infrequens, aut ignotũ. Nam, & huiſmodi inſigni ſanè prærogatiua fuiſſe Cipri, Bulgariæ, item & nonnullos alios Metropolitanos poſt Balſamonem ſcribunt Ioannes Meurſius, [e] & Philippus Berterius, [f] quos etiam αὐτοκεφάλους, ideſt, *nemini ſubiectos* appellari, prodidere, quòd nullum in eos, ſubie-

[a] In cap. graue nimis de cleri. non reſidentibus, & cap. referente de præbendis.
[b] In cap. Sanè de foro cõpet.
[c] In Nouel. 6. & 11.
[d] Epiſt. 4.
[e] Meurſius in gloſſar. verbo αὐτοκέφαλοι.
[f] Bert. Diatr. 2. c. 1. pag. 13.

ſubiectoſque ipſis Epiſcopos Conſtantinopolitano Patriarchæ ius eſſet.quin & illud præcipuũ habuiſſe iſtos legimus a ex ſpeciali Impp. indulgentia, vt in proceſſu, liturgia, ac profectionibus fax ijs æquè,vt Patriarchæ à lampadarijs præferretur.

a Balſamo. in reſp. de Patriarchis.

Sed iam, cùm ſuper hac re non parùm multa dixerim, tractationem abſoluo, dùm illud ſuperaddam, poſtremo in loco Eccleſiaſticæ huius Reipublicæ Epiſcopos fuiſſe,quorum adminiſtrationi eæ ciuitates commiſſæ, quas minores appellatas diximus. quamquam in ijs deligendis, ea quoque adhibita moderatio eſt, b vt neque in villa, aut caſtello ordinari Epiſcopus poſſet, neque item in modica ciuitate, aut quæ nullum ante Epiſcopum habuiſſet.

b Sardicẽs.cõc. cap. 9. Damaſ. ad Numidiæ Epiſcopos.

## *Quot olim in Sicilia Epiſcopales ſedes, quot hodie Metropolitanæ. Fazelli locus de antiquitate Eccleſia Meſſanenſis explicatus.*

## CAPVT V.

Ex hoc ciuitatũ vniuerſo genere Sicilia vetuſtiori ætate Epiſcopales ſedes has habuit,Meſſanenſem,Tauromenitanam,Catanenſem, Leontinam,Syracuſanam,Agrigentinam, Lilibœtanam, Triocalitanam, Hiccaritanam, Panormitanam,Thermitanam, Haleſinam, Tyndaritanam, & Milenſem. Harum enim ſolum apud acta Conciliorum, ac præſertim in Romana Synodo ſub Agathone, item in Lateranenſi I. ſub Martino I. in Nicæna II. ac tandem item in Romanorum Pontificum epiſtolis mentionem fieri video.

Neque tamen ignoro, Leonis Imper. Notitiam tres alias recenſere Cephaledienſem, Drepanenſem, & Cronienſem. Ac de prima quidem meminit etiam Octaua Synodus Conſtantinopolitana, c quæ Ignatij Conſtantinopolitani Patriarchæ reſtitutioni Nicetam Epiſcopum Cephaleditanum ſubſcripſiſſe narrat.Drepanenſi,nulla omninò,quòd ſciam,acta publica ſuffragantur. Cronienſem verò Eccleſiam, vel Vrbem, neque fictam, neque pictam, neque ſcriptam vnquam vidi apud Veteres, aut Neotericos Siciliæ deſcriptores. vix in vno Diodoro d in hiſtoria belli inter Dioniſium, & Carthaginienſes initi Cronij nomen reperias. atqui neque id nomen ciuitatis, aut oppidi, ſed loci tantùm fuit,vt apertè docet Philippus Cluuerius. e Secundi verò ordinis Metropoles tres habet,Meſſanã, Panormum, Montem regalem. Præſentem Eccleſiæ Siculæ ſtatum, ac formam loquor. Scio enim, & Tauromenitanam

c Actio I.

d Lib.15.

e Siciliæ Illuſtratæ lib, 2. cap.14.

ciuitatem Archiepiſcopalem ſedem quandoque appellatam.
Catanam quoque, & Syracuſas Metropolitanas fuiſſe dictas.
Sed vetera hæc ſunt, noua illa, tres nimirum hodie apud Siculos eſſe Eccleſias, quæ Metropolis nomine cenſeantur Meſſanenſem, Panormitanam, & Montiſregalis. Quarum prior, quod aliarum pace dictum velim, multis nominibus, ac præſertim antiquitatis prærogatiua cæteris præſtat.

Nam quòd ad Epiſcopalem dignitatem pertinet, clariſſimũ eſt, eam antiquiſſimam Meſſanæ eſſe. cùm & eius Eccleſiæ tabulæ, & fama per manus ducta, vel ab ipſo Chriſtianæ religionis exordio Bacchilum primum Epiſcopum prædicent. Quod nemini dubium eſſe debet, qui apud Nicephorũ, a & Sophronium b legerit, *ab Apoſtolorum Principe plures in Sicilia Epiſcopos creatos eſſe*, qui item ex Hugone Ætheriano, c ex Dechare d acceperit *Petrum magnum Chriſti Apoſtolũ in omnibus ferè Syriae, Cappadociae, Phrygiae, Macedoniae, Hellados, Cypri, Epiri, Siciliae, Italiae, Galliae, Hiſpaniae ciuitatibus Epiſcopos ſtatuiſſe.* Quò etiã reſpexiſſe poſt Leonem I. e D. Gregorius f videtur, qui *à Diuo Petro Eccleſiam Siculam originem habuiſſe* planiſſimè teſtatur. quòd ſi his etiam teſtimonijs ad probandam Meſſanenſis Eccleſiæ vetuſtatem deſtitueremur, an nõ illud ſatis ſuperq; ad cauſã noſtrã facere videretur, quòd Tauromenitana Eccleſia, quæ Meſſanenſi vnita eſt, vel ſubeſt, Pancratium, Maximũ, à Petro Apoſtolo Epiſcopos acceperit?

a lib. 1. cap. 38.
b In vita Apoſtolorum Petri & Pauli.
c lib. 3. de proceſſione Spirit. ſancti cap. 17.
d De ſacrificio Miſſæ tomo 3. cap. 2.
e Epiſt. 4.
f Regiſt. lib. 7. epiſt. 63. indict. 2.

Nã quòd Fazellus tàm multis locis ſcripſerit, Meſſanenſem Eccleſiam recentiorem eſſe, & non niſi poſt translatam eò ſedem, quæ ad id vſque temporis Troinæ fuerat (veteri, & iam vulgò recepta appellatione vtor, quamuis doctiores Trachiniam à locorum aſperitate dicendam eam vrbem cenſeant) Epiſcopali Cathedra auctam, non eam acceptionem habet, quam aliqui exiſtimant, neque id Fazellum ſenſiſſe cenſuerim. quippe non tàm malus, aut negligens Scriptor is fuit, quin tùm in Conciliorum actis, tùm in Gregorij Magni, aliorumque Pontificum Epiſtolis in plures ſæpe locos, vel inuitus inciderit, qui clarè, apertèque Meſſanenſium Epiſcoporum meminere. Sin autem ijs verbis ille ad Normannorum tempora reſpexit, quaſi ſenſerit, poſt recuperatam à Rogerio Siciliam, Meſſanam Epiſcopum tùm accepiſſe, cùm eò Troinenſis Cathedra translata eſt, id quidem ſponte fateor, & adiectis etiam teſtimonijs confirmabo, modò illud priùs ſtatuamus, non propriè translationem eam dici debere, ſed vnionem. Clariſſimum id fiet, ſi priùs autographum ipſum Rogerij diploma in medium protulero ex tabulario Meſſanenſis Eccleſiæ bona fide depromptum, in quo pijſſimus Princeps cauſas enarrat, quibus animum adiecerit,

rit,vt in Inſula recens Sarracenis erepta Epiſcopales Sedes,vel nouas inſtitueret, vel veteres in vſum, ac ſplendorem reuocaret. Porrò illud græcè traditum, deinde verò,& Cõſtantiæ Imperatricis iuſſu,& aliorum Principum diligentia,non vno tempore à doctis viris in latinam linguam translatum vidimus,quæ omnes aliæ aliorum interpretationes in hanc demum ſententiam veniunt.

*Sigillum factum à me Rogerio magno Comite Calabrię,& Sicilię & datum ad te dilectorem Dei Epiſcopũ Meſſanę Dominũ Robertũ. Cùm ſubiecta fuiſſet mihi voluntate diuina Sicilia tota, propoſui releuare veteres Ecclesias, & dirutas dirigere, sicut primo fuerant, quando fulgebat genus Chriſtianum, & delectabatur in eis, quae inhac Inſula fuerant. hoc enim iuſtum putaui, & beneplacitum, vt Diuinitas ſeruiatur, & glorificetur vt prius. hoc ergò proponens, & in manifeſtum materiam hanc ſpargens, propoſui primum in Troina ędificare Epiſcopatum in nomine Sanctae Dei Genitricis, & ad memoriam mei, & pro remedio peccatorum. Quod cum factum eſſet, & templum ędificatum fuiſſet, perſtudioſè quęrebamus, quem poſſemus ibi conſtituere Praelatum: & benè quaerentes inuenimus te praedictum, & praememoratum Dominum Robertum bonis operibus fulgentem, & vt simpliciter dicamus, columnam luminis ad illuminandas animas hominũ,& tradidimus tibi gubernamina ipsius Epiſcopatus.* Deinde verò poſtquàm Diœceſis Troinenſis terminos ampliſſimos deſcribit, hæc ſubdit. *Nuper verò iterum per consilium Apoſtolici erexi templum in nomine ſancti Patris noſtri Nicolai in ciuitate Meſſanae, & cõſtitui Epiſcopatũ,sicut antiqua relatio notificabat,vt eſſet ipſa Ecclesia Catholica ipsius ciuitatis, & ipſam Ecclesiam decoratam, sicuti eſt, tradidi tibi praedicto Epiſcopo, cum omni ſeruitio, quod pertinet ad poſſeſsiones ſuas, vt eam debeas gubernare, & dirigere, sicuti, & primam Troinenſem Ecclesiam.* Tandem verò diploma ita clauditur. *Sigillaui hoc ſcriptum per conſuetum sigillum meum plumbeũ, Menſe Aprilis indict. quarta, anno mundi 6604.* Cuius poſtremæ clauſulæ græca verba eruditiſſimus I. C. Leonardus Patè ita latinè expreſſit. *Nuper verò iterum Apoſtolici Papae conſilijs monitus templum ędificaui, dicatum Sancto Patri Nicolao in Meſſana vrbe, & in Epiſcopalem vrbem conſtitui, vt antiqua olim traditio monebat, hanc fuiſſe Cathedralem eiuſdem vrbis, eàmque pulcherrimè, ſanè, vt modo eſt, erectam, ornatamque tradidi tibi praefato Epiſcopo,cum decenti famulatu, vt eam dirigas,& gubernes, quomodo praedictam Ecclesiam Troinenſem.*

Quibus ſanè verbis vel inuiti fateri cogimur Rogerium haud quidem Epiſcopalem ſedem Troina Meſſanam tranſtuliſſe, ſed

ſed cum poſt inſtitutum Troinenſem Epiſcopatum, Meſſanæ quoque eumdem reſtituiſſet, vtrique Sedi vnionis vinculo de conſilio Romani Pontificis colligatæ Robertum præfeciſſe. Ab eadem mente illa ſunt, quæ in Gaufrido [a] legimus: *Eodem anno (1081) idem Comes ſumptibus pluribus apparatis, vndecumque terrarum artificioſis cęmentarijs conductis, fundamenta, caſtella, turreſque apud Meſſanam vrbem iaciens ędificare cępit, cui operi ſtudioſos magiſtratus, qui operarijs non deeſſent, deputans, interdum ipſe viſum veniens ipſos per ſemetipſum coercēdo feſtinantiores reddens, breui tempore turribus, & propugnaculis immenſae altitudinis mirifico opere conſummauit, quia hanc quaſi clauem Siciliae ęſtimabat, prae caeteris vrbibus, quas habebat, fidelibus tutoribus deputatis, arctiori cuſtodia obſeruabat. Eccleſiam etiam in honorem Sancti Nicolai in eadem vrbe cum ſumma honorificentia conſtruens, & diuerſis poſſeſſionibus augendo dotans; clericis ad ſeruiendum deputatis, Pontificali ſedi aptauit, ſed eam cum Troinenſi Cathedra vniuit.* Scilicet æquum eſt exiſtimare, prudentiſſimum Principem, ne quam vrbem munitiſſimam eſſe vellet, & veluti imperij propugnaculum, ſi aliunde ſacra petere neceſſum eſſet, vel ea re minus tutam redderet, & numqnam quieturis Sarracenorum inſidijs obnoxiam eſſe pateretur. Iam ſi paulo curioſius tempus inueſtigare libeat, quo Robertus Troinenſis Eccleſiæ Pontificium ſuſcepit, id facilè ex Gregorij VII. epiſtola 24. lib. 9. colligimus, qua ad Rogerium Comitem ſcribens: *Troinenſem electum ad ſe venire* iubet, *munus conſecrationis, quòd Rogerius petebat, ab Pontifice ipſo accepturum, licet hoc electioni eius defuiſſe* affirmet, *quòd Legatus ſedis Apoſtolicae, & Gregorij ipſius conſenſus non affuerit.* Quam epiſtolam ex regiſtri ſerie anno 1082. ſcriptam conſtat, & ex rerum geſtarum ordine, quas libri 9. Epiſtolę complectūtur, quòd & cùm noſtra Chronographia mirè concinit. Apparet igitur, vt eò redeam, tùm ex Rogerij diplomate, tùm ex Gaufrido erecta primùm Troinenſi Eccleſia, mox etiam Meſſanenſi, vtramque Pontificis Romani conſilio vnitam Roberto traditam eſſe. Inde factū opinor, vt Meſſanenſis Epiſcopus Troinenſis quoque Epiſcopi appellationem longo tempore retinuerit, & in vna Meſſanenſi Diœceſi duo etiamnum ſint Archidiaconi, Meſſanenſis, & Troinenſis, duo item Canonicorum collegia Meſſanenſium ac Troinenſium. Hoc enim translatio ab vnione differt: [a] quòd translata ex vno in alterum locum dignitate aliqua, & loci, & nominis fit mutatio, vt noſtri Iuriſconſulti docent, adeò vt veteris Eccleſiæ nomen, ac priuilegia transfundantur in nouam, in quam facta eſt translatio, cuius deinceps nomine appellatur. Vnionis vero diuerſa

eſt

[a] Rebuffus in praxi benefic. tit. de tranſlat. Epiſc. nu. Seraph. deciſ. 1149. Gratian. diſcep. 291.

eſt natura. nam cùm æquè principaliter, vt diſciplinæ verba vſurpem, duæ Eccleſiæ vniuntur, quòd in Cathedralibus perpetuum eſt, a vtraque Eccleſia retinet antiqua priuilegia, vtraque dicitur Epiſcopalis ſedes.

a Nicol. Garzia de beneſ. part. 2. cap. 2. nu. 8. Gloſ. c. & temporis 16. quæ. 1. Rebuff. tit. de Vnionibus. num. 15.

## *Troinenſis Eccleſia poſt exactos Sarracenos antiquitatis prærogatiua oſtenditur. Mox & Meſſana fuiſſe reſtitutam.*

## *CAPVT VI.*

ILlud quoque ex laudato Rogerij diplomate clariſſimè deduci poteſt, Troinenſem vrbem Epiſcopatus æuo cæteris Siciliæ ciuitatibus anteire. Secundo verò à Troina loco Meſſanenſem Eccleſiam eò honore inſignitam. In quam ſententiam duos oppidò inſignes locos indicauit Antoninus Amicus multimoda rerum eruditione clariſſimus, alterum in peruetuſta manuſcripta ſcheda, quæ Rogerij Comitis ætatem ac phraſim redolens inter Meſſanenſis Eccleſiæ monimenta aſſeruatur, in Gaufrido Malateſta alterum, quorum iſte lib. 3. cap. 19. cùm Rogerium laudaſſet, quòd in Troinenſi vrbe Epiſcopali Cathedra erecta, dote, ornamentis, muneribus inſigniter eam auxiſſet, eiuſque beneficio, ac pietate apud Siculos Chriſtiana religio iam tùm longo poſtliminio redijſſet, hac tandem clauſula orationem finit, inculto planiſsimè carminis genere, quod proprium illius æui fuit:

*Vrbs Troina felix gaude, da dignas laudes titulo,*
*In te primo reparatur diuina legio;*
*Meſſana conſociata pari ſeruit clypeo.*

Manuſcripti verò illius ſententia hæc eſt. *In nomine Sanctae, & indiuiduae Trinitatis anno* 1082. *Indict.* 4. *tempore Domini Gregorij venerabilis Praeſulis Sedis Apſtolicae. Reſpexit Dominus oculo miſericordiae ſuae &c.* Subdit deinde rithmica oratione, *Rogerij opera excuſſum fuiſſe Sarracenorum imperium.* & poſt multa in eandem ſententiam:

Author incert. propugnationis Siculæ Monarchiæ pag. 8. laudat Gregorij VII. diploma hoc ipſo anno datū ijſdē ferè verbis cōceptum.

*Huius ergo Rogerij laus non deſinet in ſaecula,*
*Cuius virtutis potentia Siciliensis ſurgit Eccleſia.*
*Haec ſunt ergò donaria, quae Comes annuit.*
*Primùm, quòd libera Eccleſia nunc caput erigit,*
*Deinde quòd Praeſuli ſedem inſtituit,*
*Magnoſque reditus Eccleſiae dedit.*

Hiſce verſibus poſtea ſubijcitur ſoluta oratione formula

quædam

quædam, qua fundaſſe ſe Troinenſem Eccleſiam Rogerius teſtatur, eiuſque terminos ampliſſimos deſcribit. ex quibus duobus locis quantum luminis afferatur ijs, quæ ante dicebam, nemo nō videt. clariſſimè ſcilicet edocemur, in tota Sicilia Troinenſem, & ſubinde Meſſanenſem Eccleſias primas fuiſſe erectas Epiſcopales ſedes, earumque ductu, & auſpicijs Sicilienſem Eccleſiā primùm ſurrexiſſe. Quòd ſi ego tertio loco aliud eiuſdem Rogerij diploma ſubiunxerim, quod à Fazello profertur, a multò etiam apertius fiet. *Cùm ego Rogerius Comes Siciliae, & Calabriae eſſem in ciuitate Meſſanae, venit ad me Robertus Meſſanenſium Epiſcopus obſecrans, & petens à me, vt darem illi terras ad operandùm circa ciuitatem Troinae, quarum auxilio tàm ipſe, quàm Clerici ſui ſeruientes Eccleſiae ſuſtentari poſſent. Ego verò quoniam ſemper in animo propoſueram Eccleſiam Meſſanae magnis poſſeſsionibus ampliare, multiſque donis, & oblationibus ditare, eò quòd eum poſt acquiſitionem Siciliae, tranſlata ſede Epiſcopatus à Troina in Meſſanam, primum Epiſcopum erexeram, praedicti Epiſcopi precibus aures inclinaui.* Hæc Rogerius. quibus verbis neſcio an clariùs exprimere potuerit, ſe poſt acquiſitam Siciliam, primum omniū Robertum Troinenſem, mox verò etiam Meſſanenſem Epiſcopum conſtituiſſe, vel ſi *eam* legere maluerimus, primam omnium Meſſanam eò trāſlata Troinenſi ſede, ſeu veriùs vnita, Cathedrali dignitate auxiſſe. Sic enim verba illa intelligo, nimirum eximiam illam Rogerij aduerſus Robertū voluntatē eam cauſā habuiſſe, quia Meſſanenſis Eccleſia poſt exactā Sarracenorū tyrannidem, prima omnium reſtituta in integrum Chriſtiana religione Epiſcopalem Cathedram acceperit, adeoque Robertus omnium primus Pontificiam dignitatem longiſſimo Barbarorum dominatu proſcriptam veluti, & exulantem reuexerit.

a Decad. 1. lib. 2. cap. 1. & lib. 10. cap. 2.

Enimuerò vti gentium, ac nationum omnium conſenſu homines primigeniorum amantiores ſunt, quin & cætera quoq; animalia rationis expertia, & quæ ſolo ducuntur naturali appetitu, arcano naturæ ſenſu ardentiori affectu ferūtur in primogenitos fœtus, ita par eſt exiſtimare, pijſſimum Principē Meſſanenſem Eccleſiam, quæ primogenita inter ſorores eſſet, vehementiùs dilexiſſe, ac ſicuti apud ſapientiſſimam Hebræorū gentem conſtat eum ex vniuerſis parentum bonis duplicia tuliſſe, qui natu maximus inter fratres eſſet, pari ratione ſenſiſſe Rogerium dixerim, æquum eſſe Robertum *prae caeteris*, vt ille ait, *magnis poſſeſsionibus augeri*, muneribusq; locupletari, & veluti duplicia obtinere. Et ſanè optimus Princeps cumulatè ſibi ipſi ſatisfecit; nam & ampliſſimos Diœceſis terminos deſcripſit, tertia ferè Siciliæ parte attributa, & latifundijs, caſtellis,

ſtellis, oppidiſque liberaliter collatis ad ſplendorem honeſtauit. Porrò verò perabſurdam, & reſponſione vix dignam interpretationem eam cenſuerim, qua quiſpiam pernegabat, eo verborum complexu, Robertum ità primum à Rogerio inſtitutum Epiſcopum eſſe dictum, quaſi antiquitatis prærogatiua cæterarũ ſediũ Epiſcopos anteiret, ſed ea tantùm acceptione, quòd is primus Meſſanenſi Eccleſiæ Pontifex ſit datus. Nã ſi iſta mens Rogerio in ijs verbis fuit, quid, obſecro, non commune cum alijs quoque Epiſcopis Robertus noſter habuit? an non ille idẽ Rogerius erectis, aut reſtitutis Siculis Eccleſijs Rogerium primum Antiſtitem Syracuſis dedit, Augerium Catanæ, Agrigento Gerlandum, Mazariæ Stephanũ? an non iſti primi omnium eam dignitatem ad ſucceſſores ſuos tranſmiſere? quid igitur cauſæ eſſe potuit, vt cùm par hac quidem ex parte eſſet omnium conditio, non pari omnes iure cenſerentur, ſed contra potiores partes Robertus auferret?

*Falſos eſſe Panormitanos in Nicodemo ſuo ſuppoſititio Archiepiſcopo. Eorumdem in Gaufrido Malaterra corrumpendo detecta fraus.*

## CAPVT VII.

QVò mihi maximè irridendus videtur inanis eorum labor, qui Nicodemum neſcio quem Panormi Archiepiſcopũ, Græcum licet, & natione timidũ (his enim coloribus eum depingunt) ad S. Ciriacæ latitantem, ac dignitatem ſuam mordicùs inter aduerſa, ac deſperata tempora retinentem nobis obtrudere conantur, clamante nequicquam, & contra obnitente Rogerio, ſibi Siciliam ingredienti nouas fuiſſe exædificandas Eccleſias, nouos Antiſtites inſtituendos, eoſque externos homines, ex ipſis ſcilicet Galliarum prouincijs accitos, eam fortaſſe ob cauſam, quòd, collapſa iam dudũ apud Siculos Eccleſiaſtica diſciplina, nulli tùm indigenæ reperiri potuerũt, qui Epiſcopali ſuſtinẽdo muneri pares eſſent. Id ꝙ ex Gaufrido ipſo Malaterra [a] obſeruari poteſt, qui, vt Robertum noſtrum Normannum hominẽ prætercam, Agrigento Gerlandum Allobrogem, Mazariæ Stephanum Rhotomagenſem, Syracuſis Rogerium Prouincialem Troinenſis Eccleſiæ Diaconum, Augerium verò Britonem Catanæ Epiſcopos datos ſcribit. Eò fit, vt iurè, ac meritò ſuſpecta aliquibus videatur hiſtoriola hæc Nicodemi Gaufrido affixa. Nam qua ratio-

a lib. 4. cap. 7.

ne hæc ſibi conſtare poſſunt, vt Gaufridus primo loco, nimirum lib. 11. cap. 45. ſcripſerit, *Panormo per deditionem receptà Nicodemum à Rogerio ſuae ſedi fuiſſe reſtitutum*, poſt verò lib. 3. cap. 19. Rogerium hoc potiſſimum nomine miris laudibus celebret, quòd *eius pietate in Troinenſi urbe primùm Epiſcopalis Cathedra ſit erecta, eiuſque opera Chriſtianę religionis cultus iam tum florere cœperit, ipſiſque Troinenſi, & Meſſanenſi ciuitatibus gratuletur, quòd in iis locis primùm ante alias Siciliae urbes reparata fuerit diuinæ legis*, ſcilicet, vt ego exiſtimo, Eccleſiaſtica Hierarchia, quæ maiorum, & minorum ordinum conſenſu conſtat? aut quo iure Troinenſem, ac Meſſanenſem Eccleſias primas appellauit, ſi verè antea Nicodemus aliquis Panormitanus Archiepiſcopus ab Rogerio ipſo priſtinæ dignitati redditus fuerat? Deinde quis credat Rogerium ea fuiſſe oſcitantia, vt tàm multis ijs locis quos retuli, Troinenſem, & Meſſanenſem ſedem primas omnium inſtitutas dixerit, adeoque per ſummã incuriam fuerit oblitus, non multò ante Nicodemum Panormitanum Antiſtitem tanta celebritate, tàm effuſa Chriſtianorum lætitia, quantam ſubdititius Gaufridus ſomniat, honori priſtino ſua opera reſtitutum? Ad hæc ille idem Gaufridus, poſtquàm Panormum multo labore à Normannis oppugnatã deditionem feciſſe ſcribit, ita habet: *Proximo mane Primores,* ( Panormitani ) *fœdere interpoſito vtriſque fratribus locutum accedunt, legem ſuam nullatenus ſe violare, vel relinquere velle dicentes, ſcilicet ſi certi ſint, quòd non cogantur, vel iniuſtis, ac nouis legibus non atterantur.* Iam, inquam ego, ſi Panormitani hac præſertim lege in ditionem venere, ſi ſuis legibus, ſi ſuis moribus ( haud dubium, quin Mahometicis ) viuere permitterentur, idque Normanni ratum habuere, quid, quæſo, Panormi Archiepiſcopum cõſtituere opus fuit, cui bono? an vt Sarracenis tàm obfirmato animo patriam religionem retinẽtibus, Chriſtianam fidem ſurdis auribus oggerere fruſtra niteretur? nullos enim, ſuſpicor, reliquos fuiſſe tota illa vrbe Chriſtianos, cum perſpicuè videamus, ſolos Sarracenos de tota Panormitanæ reipublicæ ſalute, ac dignitate cum Normannis victoribus decidiſſe: cui rei indicio quoque illud eſt, quòd, non multò poſt receptam ciuitatẽ, Panormitanos à Rogerio defeciſſe ex Gaufrido Fazellus [a] ſcribit. Sed ipſum iam Gaufridũ [b] hæc narrãtẽ audiamus: *Proximo mane Primores fœdere interpoſito vtriſque fratribus locutum accedunt, legem ſuam nullatenus ſe violare, vel relinquere velle dicentes, ſcilicet, ſi certi ſint, quòd non cogantur, vel iniuſtis, ac nouis legibus non atterantur, quandoquidem praeſens fortuna ſic hortabatur, vt his deditionem facere, ſe in famulando fideles perſiſtere, tributa ſoluere, & hoc legis ſuae*

a Decad. 2. lib. 7. cap. 1.
b lib. 2. cap. 45.

*ſacramento firmare ſe ſpondent. Dux, Comeſque, quod offerebatur, libenter ſuſcipiunt anno Dominicae incarnationis 1071. Adepti primò omnium Scripturae fideles imitatores dicentis, primum quaerite regnum Dei, & omnia adijcientur vobis, Eccleſiam ſanctiſſimae Genitricis Mariae, quae antiquitus Archiepiſcopatus fuerat, ſed tunc ab impijs Sarracenis violata templum ſuperſtitionis eorum facta erat, cum magna deuotione catholicè reconciliatam, dote, & eccleſiaſticis ornamentis augent. Archiepiſcopum, qui ab impijs deiectus in paupere Eccleſia ſanctae Cyriacae, quamuis timidus, natione Graecus, cultum Chriſtianae religionis pro poſſe exequebatur, reuocantes reſtituunt.* Hæc Gaufridus: quibus in verbis primùm illud mihi ſuſpicionem facit, quòd Panormo demùm expugnata Normannis fratribus in mentem redierit celebre hoc Saluatoris noſtri monitum, quo diuinas res priori loco, tùm deinde humanas curare præcipimur: at cur vetus iſta religio tam ſerò Normannos inceſſit? tot ante Panormum vrbes, tot oppida Sarracenis eripuerant, in ijs Meſſanam, Catanam, ipſam etiã Troinenſem vrbē, quã vel ſub hoſtiũ tyrãnide Chriſtianos incoluiſſe memoriæ proditum eſt, cur numquam interim iſta Normannis oblata religio eſt, vt ex tot, tantiſque ſpolijs inſigni bello captis quippiam Deo dicarent, aut de Chriſtiana amplificanda religione conſilia inirent? nunc verò duodecim ferè, aut quindecim poſt receptam Meſſanam annis, in ea ciuitate Archiepiſcopalē ſedem ſtatuant, quæ infandos Mahometis ritus fœderum pactione, iuramento, ſaluos ſibi fore cauit? Ad Nicodemum venio, cuius vitæ rationem huius fabulæ actores, quò vetularum, ac puerorum faciles lacrymas exorent, multò ſanè miſerabilem effingunt; vt mirum ſit, cur non eum Ieremiæ exemplo threnos etiam ſcripſiſſe dixerint, quibus feliciſſimæ vrbis caſum lugeret. Eum, inquam, minimè crediderim ab anno 820. ſuperſtitem fuiſſe, quo primùm inſula in Barbarorũ manũ venit: trecentos enim ferè annos vixiſſe oporteret. Sed neque etiam veriſimile eſt, dignitate ſibi per manus deceſſorum tradita, Epiſcopalem Cathedram ad hæc vſque tempora Panormi ſtetiſſe: tùm quia multùm à vero abhorret, Sarracenos, cùm ad Nicodemum vſque Epiſcopos Panormi cũ dignitate eſſe ęquo tuliſſent animo, nunc indicta cauſa meticuloſum hominem vrbe exegiſſe: tùm quia, ſi Panormitanis credimus, Sarracenos vrbis pulchritudine delinitos, eam in Regiã ſtatuiſſe, parùm ſapienter, ac decorè ſibi conſuluiſſent, ſi Chriſtianis tantum animi, atque otij reliquiſſent, vt de Epiſcopo præficiēdo cogitare poſſent, qui ipſis in omnem fortunam Ducis, ac Principis loco eſſet. Ad hæc conſideratione digniſſimum illud eſt, quod memini olim me legiſſe inter amici Panormi-

tani ſchedas, vetuſtum aliquod Pontificis Romani diploma, credo, circa annum ferè 1130. datum, quo Panormitanæ Eccleſiæ iura ſanciebantur. animaduerti tùm, inter eius Diœceſis oppida non niſi Miſilminũ, Cornelianũ, Biccarim, & Thermas numerari. Atqui ſi Panormitana ſedes, & temporis, & dignitatis Archiepiſcopalis prærogatiua cæteras Eccleſias antecelluiſſet, par eſſet exiſtimare ampliſſimam quoque Diœceſim illi obtigiſſe, quæ & antiquitati Cathedræ, & Metropolitico honori congruè reſponderet. Cùm igitur contra ſe res habeat, & ab ipſis ferè Eccleſiæ initijs vix quatuor obſcuri nominis oppidula eius ditioni ceſſerint, tantum abeſt, vt Gaufrido iſti fidem vllam adhibere cogar, vt imò rectiùs fortaſſè, ac veriſimiliùs exiſtimẽ, Panormitanæ multò poſt alias Siculas ſedes erectæ, quatuor illa oppida, veluti ſubſeciuas partes precariò à finitimis Epiſcopis conceſſas eſſe, non diſſimili exemplo, atque in Montiſregalis Eccleſia obſeruatũ legimus, cùm ab Innocentio III. Archiepiſcopali dignitate aucta eſt.

### *Idem alijs argumentis demonſtratum, & in Abbate Celeſino locum etiam corruptum.*

## CAPVT VIII.

Sed iam reddamus hic integrum alterum ex Gaufrido locum: facilis enim erit ex vtriuſque collatione impoſturam detegere. Narrat is lib. 3. cap. 18. Rogerium anno 1078. diuturna ſex menſium obſidione preſſos Tauromenitanos tandem ad deditionem compuliſſe. conſequenter igitur cap. 19. hæc habet.

*Tanto ſibi adiumento collato diuinitus,*
*Ne appareat ingratus vilipendens Rogerius,*
*Secum cępit deputare, quid litaret potius.*
*Cementarios conducens vndequaque aggregans,*
*Templi iacit fundamenta in vrbe Troinica,*
*Ad quod perſtans eius breui ſuperat,*
*Laquearia tectorum ligantur Eccleſiae,*
*Parietes depinguntur diuerſo bitumine,*
*Conſecratur in honore Virginis puerperae,*
*Multa dote augmentatur, terris, ſiue decimis,*
*Ornamentis palliatur, & diuerſis copijs,*
*Cathedra Pontificatus ſublimatur infulis,*
*Sacer Clerus augmentatur, prout ſumptus ſuppetit,*

C 2 Alia

*Altaris vaſa, vel veſtis, pluſquam clero ſufficit,*
*Candelabra, cruces, textus, ac ceraſumbali,*
*Ex metallo ſigna fiunt, plebem inuitantia,*
*Melodiam dulcem reddunt, pulchrè conſonantia,*
*Melodizat ſacer clerus hymnos ſacris laudibus,*
*Praeſul verba ſacrae legis ſeminat in gentibus,*
*Diuinus cultus arceſſitur pluribus credentibus,*
*Cui debent haec adſcribi, niſi tanto Principi?*
*Qui reduxit ſacram legem, vnde priùs corruit,*
*Cuius ope fit hoc totum, & hanc legem reddidit.*
*Textum libri proſequamur, nam iſta ſufficiunt,*
*Sermo nimis inculcatus interdum fit taedium,*
*Subſequens ſtylus narrabit, ſi quid eſt reſiduum.*
*Vrbs Troina felix gaude, da dignas laudes titulo,*
*In te primò reparatur diuina legio,*
*Meſſana conſociata pari ſeruit clypeo.*

Liceat mihi hic tantiſper ad Gaufridum orationem conuertere. Videris mihi Gaufride corpore toto, menteque exultare, cùm reſtitutæ in Sicilia Chriſtianæ religionis incunabula enarras. & quaſi ad rem pro merito exornandam non ſatis verborum habeas, vim omnem Muſarum aduocas, vt eam ſuis ipſæ numeris digno præconio celebrent. ſcilicet, vt inaſſuetos ad Eccleſiaſtici ornatus aſpectum Siculorum oculos, & veluti ex obſcuro carcere in lucem protractos, ac noui luminis ſplendore præſtrictos, ipſa rerum varietate recreares, quas poſt trecentos fere annos numquam antea viderant, minutiſſimè ſurgentis templi, mox etiam perfecti, ac ſuis omnibus partibus abſoluti hiſtoriam narras, collata à Rogerio ornamenta ſacris ritibus neceſſaria, quibus verus Deo cultus redderetur, ſingillatim enumeras, Sacerdotes ipſos ſacra facientes, Pontificem de ſummo loco populos docentem tantùm non oculis ſubijcis. Atquì, ſi de tua penu eſt, quod cap. 45. lib. 1. legimus: *Nicodemo Panormitano Archiepiſcopo priſtinam dignitatem ab eodem Rogerio reſtitutam fuiſſe anno* 1071. ſuperſedere huic ſuperfluo labori poteras, neque tàm longum poematium tibi deſudandum erat. quippe nouitatis gratia, quàm apud Siculos iſta Troinenſis Eccleſiæ auſpicia ſperare poterant, tota omninò tibi perijt. iam enim cùm *Nicodemo reſtituto templa, fana, atque ędes, Chriſto, & Diuis excitata*, vt Fazellus loquitur, *ſupplicationes Deo decretae, publicae, priuataeque gratulationes cum effuſa lętitia factae ſunt, adeoque in priſtinam Chriſtianitatis ſpeciem ſumma cum hilaritate omnia rediere*, Sicilia tota ſpectaculo præſens fuerat, Eccleſiaſtici cultus pompam, templorum ſplendorem, Præſulis maieſtatem, vnà illa re geſta probè hauſerat, non igitur inculcan-

culcanda tibi toties erat veterum rerum narratio, quibus iam plurium annorum lapſu Siculi aſſueuerant, ne inde faſtidium Lectori creares, vnde voluptatem te præbiturum exiſtimabas. at non ità ſe res habet, vt iſti ſomniant, neque Gaufridũ adeò ſtupidum cenſeas, vt veterum, & iam planè cognitarum rerum hiſtoriam, quaſi nouam, ac recentem propinare voluerit. quare illud veriſimilius puta, periodum omnem reſtituti Nicodemi commentitiam eſſe, cùm clarè, aperteque hoc loco Gaufridus inſinuet non priùs didiciſſe Siculos Eccleſiaſticæ reipublicæ formam, ſacrarum ædium cultum, diuinorum miſteriorum ſolemnia vidiſſe, quàm Troinæ Epiſcopo deſignato; conſtitutaque Diæceſi ædes ſacræ Deo dicaretur. ſed enim indulgendum ijs eſt, qui fabulam hanc probato Scriptori Gaufrido infarcire auſi, quippe qui certò ſcirent, cùm nulli omninò Authoris huiuſce manuſcripti codices in Vaticana, Medicæa, alijsque celebrioribus Italiæ bibliothecis extent, ſe non facilè mendacij compertos reuinci poſſe. proinde cùm vnicum, ac ſolitarium exemplar Troinæ centum ferè ab hinc annis repertum Panormitani domi haberent; perfacilè illis fuit hiſtoriæ ſeriem corrumpere, & non ſuis verbis loquentem Scriptorem in vulgus extrudere. Ac ne quidem in ſolo Gaufrido iſti debacchati ſunt, nam, & Alexandrum Celeſinum Abbatem meras fabulas narrantem inducunt. cùm enim iſte Rogerium ſecundis rerum ſucceſſibus animo elatum, Procerum ſuorum conſilijs ad ſumendos ſibi regios titulos impulsũ ſcripſiſſet, ſubdit: a *Addebant inſuper (Proceres) quòd Regni ipſius principium, & caput Panormus Siciliae Metropolis fieri deceret, quae olim ſub priſcis temporibus ſuper hanc ipſam prouinciam Reges nonnullos habuiſſe creditur, quae poſtea pluribus euolutis annis occulto Dei diſponente iudicio nunc vſque ſine Regibus manſit.* tùm deinde: *nam ſi regni ſolium in eadem quondam ciuitate ad regendum Siciliam certum eſt extitiſſe, & nunc idipſum per longum tempus defeciſſe videtur, valdè dignum eſt, vt in capite Rogerij diademate poſito regnum ipſum non ſolum ibi modò reſtituatur, ſed & in caeteras etiam regiones, quibus iam dominari cernitur, dilatari debeat.* Hæc Alexander, vel vt veriùs loquar, conſarcinatores iſti. qua in re non leuem ijs habeo gratiam, quòd cùm falſam hiſtoriã pro vera nobis venditare audaciſſimo conſilio tentarint, non eam ingenij præſtantiam ad huiuſmodi ſutelas contexendas attulere, vt cordato lectori, & cui non nihil ſalis in corde ſit, imponere facilè poſſint. quis enim eſt, qui ſi vel primis labris Siculam hiſtoriam deguſtarit, non continuò iſtorum ſtultitiam rideat, cùm Panormum priuſquam in Sarracenorum manum veniret, Regiam vrbem fuiſſe, ſuos certos, ac proprios habuiſ-

a lib. 2. in princ.

ſe Principes, non minus falsò, quàm pueriliter perſuadere nobis ſe poſſe exiſtimant; & quaſi id parùm eſſet, hos etiam Siciliæ vniuerſæ imperium tenuiſſe euoluant iam iſti Thucididem, Diodorū, Polibium, Florum, relegant cæteros ad mediā vſque ætatem, tùm Græcæ, tùm Romanæ hiſtoriæ Scriptores: amens ſim, ni Panormum in Carthaginienſium, ac ſubinde populi Romani ditione perpetuò fuiſſe, numquam ſui iuris, ſuæ poteſtatis, alieno ſemper imperio paruiſſe animaduertent. Iam, ſi ab Chriſtianæ religionis exordio ratio ducatur, quis neſcit Panormum, vti & reliquas Siculas vrbes, Romano Imperatori, aut Gothis ſeruitutem ſeruijſſe? quocirca peſſimè videntur mihi iſti mereri de Siculis proceribus, qui à conſilijs Rogerij erant, atque adeò de ipſo etiam Rege, cùm vtroſque tanta Siculæ hiſtoriæ ignoratione adlaboraſſe ſcribunt, vt in grauiſſima cauſa decernenda pro vera hiſtoria anilis fabulæ exemplum, authoritatemque inſecuti ſint. Sed Gaufridi cauſa plus nimis euagari, & de Alexandro alius erit differendi locus.

### *Antiquiora Meßanenſis Archiepiſcopatus veſtigia recenſentur. Pallij vſus quàm antiquus, & cuius rei nota veteri æuo.*

## CAPVT IX.

Itaque, vt ad rem redeam, hæ ſunt vetuſtiores Meſſanēſis Epiſcopatus origines, quarum ad nos monumenta peruenere. Nam quod ad Metropolis dignitatem attinet, idem ipſe Fazellus a Rogerio Regi acceptā refert; ſed nos altiorem rei originem inueſtigemus neceſſe eſt. (a Decad. 1. lib. 10. cap. 1.)

Sanè, ſi Archiepiſcopalis gradus nota, & argumentum pallium eſt, quod Pontificij iuris periti docent, primam eius dignitatis mentionem in Dono Meſſanenſi Epiſcopo legimus, quem à Magno Gregorio accepimus pallij vſum eodē iure obtinuiſſe, quò & eius deceſſores. Sic enim ille loquitur. b *Dono Meſſanenſi. Apoſtolicae ſedis beneuolentia, atque antiquae conſuetudinis ordine prouocati fraternitati tuae, quam in Meſſanenſis Ecclesiae gubernatione ſuſcepiſſe conſtat officium, Pallij vſum praeuidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque ordine, quibus deceſſorem quoque tuum vſum eſſe non ambigimus. hoc nihilominus aduertenter, vt ſicut à nobis huiuſmodi decoris vſum ad ſacerdotalis officij honorem accepiſſe te gaudes, ita etiam morum, atque actuum probitate ad gloriam in Chriſto noſtram ſuſce-* (b lib. 3. indict. 14. ep. 8.)

ptum

*ptum adornare contendas officium; ſic enim alterno eris decore conſpicuus, ſi ad huiuſmodi corporis habitum, mentis quoque tuae bona concordent omnia. omnia enim priuilegia, quae tuae pridem conceſſa eſſe conſtat Eccleſiae, noſtra authoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.* Quamuis, vt verum fatear, non leuiter hac ipſa in re ſubdubitem, adeò vt difficilè mihi quis perſuadeat, pallij vſum ea tempeſtate, vetuſtiori nimirum æuo ita proprium, ac peculiarem Archiepiſcoporum fuiſſe, vt non etiam inferioris gradus Epiſcopi illud geſtarint, ij ſcilicet, qui id ornamenti genus Romani Pontificis beneficio impetraſſent; tùm quòd plures eo honore inſignitos legerim, quos numquã Archiepiſcopos dictos conſtat, quod præſertim in Neophito Leontinorum Epiſcopo obſeruare licet, quem anno circiter 259. pallium ab Andrea Apoſtolo diuinitùs accepiſſe græci codices monaſterij Criptæ-ferratæ, & Leontinæ Eccleſiæ tabulæ teſtantur, tùm quòd apud eundem Gregoriũ [a] Auguſtodunenſis Epiſcopus pallio hac lege donatur, vt tamen Metropolitano ſuo ſubditum ſe cognoſcat, nihilque de veteri illius dignitate detractum eſſe intelligat, quod ijs verbis lego: *Cuius indumenti (pallij) ne munificentiam nudam quodammodo contuliſſe videamur, hoc etiã proſpeximus concedendum, vt Metropolitae ſuo per omnia loco, & honore ſeruato, Eccleſia ciuitatis Auguſtoduni, cui te Deus praeeſſe voluit, poſt Lugdunenſem eſſe debeat, & hunc ſibi locum, & ordinationẽ ex noſtrae authoritatis indulgentia vindicare. caeteros autem Epiſcopos ſecundùm ordinationis ſuae tempus, ſiue ad conſidendum in concilio, ſiue ad cõſcribendum, vel in qualibet alia re attendere loca decreuimus, & ſuorum ſibi prerogatiuam ordinum vindicare, quia omninò rationis ordo nos admonet, vt cùm vſu pallij aliqua ſimul, ſicut diximus, largiri priuilegia debeamus.* Ex qua Gregorij epiſtola non dubium eſt, Auguſtodunenſem pallio licet inſignitum, Lugdunenſis Archiepiſcopi ditioni obnoxium, ac ſolo ſedendi honore, & dicendæ ſententiæ prærogatiua à cæteris prouinciæ Epiſcopis diſcretum. neque ab his abludit Hadrianus I. [b] ad Bertericum Viẽnenſem Archiepiſcopũ. *Habeat*, inquit, *vna quaeque Metropolis ciuitates ſibi ſubditas, quas Beatiſsimus Leo poſt Calcedonenſem Synodum ſingulis Metropolitanis diſtinxit, nec praeterea praeiudicium vlla Metropolis patiatur, ſi alicui ſuffraganeorum, aut nos, aut praedeceſſores noſtri pallium rogantibus pijs Ducibus Francorum elargiti ſumus.*

Paſſim igitur veteri æuo Epiſcopi pallij ius à Romano Pontifice obtinere ſoliti, neque ob id tamen Metropolitani, aut Archiepiſcopi appellati. quò referendas ego exiſtimo Fulconis frequentes ad Formoſum Pontificem querelas, [c] quibus eum ſeriò

[a] lib 7. Indict. 2. epiſt. 112.

[b] Apud Ioan. Boſco in antiquit. Viennenſ. poſt Biblioth. Floriacen.

[c] Apud Frodoaid hiſtor. Rhemens. eccl. lib. 4. cap. 3.

Digitized by Google

ſeriò monet, *ne nimia palliorum largitione ampliſsimum honorem vileſcere patiatur*. Porrò nec fruſtra quidã opinantur ὠμοφόριον, quod latinè pallium appellamus, duplicis generis fuiſſe Patriarcharum alterum, alterum verò etiam Epiſcoporum, quorum illud ſtolam Aaronis, hoc perditæ ouiculæ hiſtoriam referret, vtrumque verò crucibus intertextis efformatum, lanaque compactum. Quò illud quoque pertinet, quod Luitprandus memoriæ prodidit inoleuiſſe apud Græcos morem, vt non Patriarchæ tantùm, ſed & Epiſcopi pallio vterentur.

a Meurſius in gloſſario verb. ὠμοφόριον.

b In Legat. ad Nicephorum.

Contra verò ſæpiſſimè erat inuenire Metropolitanos, qui id generis ornamenta neutiquam vſurparent. De S. Malachia Hiberniæ Archiepiſcopo ſic Bernardus ſcribit: *Romam proficiſci debuerat, maximèque quòd Metropoliticae ſedi deerat adhuc, & defuerat ab initio pallij vſus, quod eſt plenitudo honoris, & viſum eſt bonũ in oculis ſuis, ſi Eccleſia, pro qua tantum laborauerat, quem hactenus non habuerat, ſuo acquireret ſtudio, & labore*. Cùm alioqui tamen, vt Bernardus teſtatur, multis iam ante ſæculis Hibernia Metropolitanas ſedes habuiſſet. quod ſanè nullam cauſam habuit, quàm quia, vt Guillelmus Neubrig. cenſet, *toto illo aeuo, quod intra quingenteſimum annum, & eò amplius fuit, Eccleſiae Chriſti fidem edoctae, cùm rem ipſam, Metropolis nempe iura, ac praerogatiuas tenerent, contentae Epiſcopis, de pallij dignitate minus erant ſollicitae*. Illud conſtat, Alexandrinum Epiſcopum, quamuis primo poſt Pontificem Romanum loco inter Patriarchas cenſeretur, ſerò tandem, & non niſi, cum Cyrillo eam Cathedram tenenti Cœleſtinus Apoſtolicæ ſedis vices commiſit, pallio vti cepiſſe.

c In vita SS. Malachiæ lib. cap. 9.

d Ibid. cap. 5.

e In præfat. ad Hiſt. Anglic.

f Baron. tõ. 3. Balſam. in reſp. de offic. chartularij, & defenſoris.

Quid ſi illud addiderim, Gregorij ætate pallij geſtandi ius non niſi externi cultus dignitatem importaſſe, non vllam in cæteros Epiſcopos iuriſdictionem, aut poteſtatem? quin potiùs, vt ego quidem exiſtimo, ex ſolo pallij honore Epiſcopus neque in conſeſſu, neque in ferendo ſuffragio meliori in loco, ac conditione fuit, quàm alij eſſent, ſed æquè, ac cæteri ſuæ quiſque ordinationis prærogatiuam ſequebatur. Horum alterum Gregorij noſtri ad Vigilium Arelatenſem epiſtola ſatis luculenter euincit. *Quod verò*, ait, *in eis iuxta antiquũ morẽ vſũ pallij, ac vices ſedis Apoſtolicae poſtulaſti, abſit, ne aut tranſitoriae poteſtatis culmen, aut externi cultus ornamentum in vicibus noſtris, & pallio quaeſiſſe te ſuſpicer*. quibus verbis, niſi omninò deſipio, clariſſimè indicat Pontifex, in vicibus ſedis Apoſtolicæ Vigilio Arelatenſi Archiepiſcopo collatis imperium, ac poteſtatem, licet tranſitoriam, vt ille loquitur, contineri, qua nimirum is, qui vicaria præfectura in prouincia fungeretur, inter prouinciales Epiſcopos ius dicere, cauſas, iudiciaq; Eccleſiaſti-

g Lib. 4. epiſt. 52. Indict. 13.

ca Romanæ ſedis nomine cognoſcere, ac definire ſuo iure poterat: in pallio verò nil tale reperiri, ſed illuſtre quoddam ad augendam perſonæ dignitatem ornamentum. Alterum ex laudata paulò ante Gregorij epiſtola [a] ad Syagrium Auguſtodunenſem deduci poteſt. fatetur enim eo loci Gregorius: *ſe, ne pallij honore conceſſo, nudam eius indumenti munificentiam Syagrio contuliſſe videretur, hoc etiam amplius addere, vt poſt Metropolitanum ſuum, ante alios ſententiam diceret, ſederetque, reliqui verò Antiſtites, iuxta cuiuſque ordinationis ętatem, ac prerogatiuam alij alios antecederent.* Atqui ſi pallij dignitas ſe ipſa Metropolitanũ, aut Archiepiſcopũ eum cõſtituiſſet, in quẽ conferebatur, quid erat, quòd Gregorius vereretur, ne cõceſſo pallij vſu, externi ſolummodo ornamenti cultum conceſſiſſe videretur? aut quò illud expreſſim cauere, vt Auguſtodunẽſis præ alijs Epiſcopis, tùm in conſidendi, tùm in ſubſcribendi ordine digniorem locum teneret, ſi hæc ipſa commoda, priuilegiaque pallij honor natura ſua ſecum afferebat? at nihil fortaſſe clarius euincet hoc ipſum, quod inquirimus, diſtincta nimirum inter ſe ac ſecreta eſſe, Metropoliticam dignitatem, & pallij geſtandi ius, quam nobilis apud Cyprianum locus in vita Cæſarij Arelatenſis. [b] narrat enim: *hunc Romam venientẽ tanti Symmachũ Pontificem feciſſe, vt non ſolum eum Metropolitani honore veriſsimè praeditum voluerit, ſed ſpeciali quodã priuilegio pallij vſum illi permiſerit, eiuſque Diaconos perinde, ac Romanae Eccleſiae Diaconos Dalmaticas geſtare.*

a Lib 7. epiſt. 112. indict. 7.

b Apud Suriũ die 27. Auguſt.

## *Pallij geſtandi ius, loci nè, an perſona prærogatiua fuerit. num Metropoliticam dignitatem indicarit. Priuilegij verbum qua acceptione veteribus vſurpatum.*

## CAPVT X.

Atque hæc quidẽ, eo præſertim confirmantur, quòd in decernenda pallij prærogatiua, *priſca conſuetudo obtinuit, vt non niſi exigentibus*, vt Gregorius ait, [c] *perſonae meritis, & fortiter poſtulanti concederetur.* Itaque neque eximia loci dignitas ad pallij honorem ſatis erat, niſi & inſigne viri meritum accederet, & ſtudioſè diligenterque peteretur. quocirca obſeruat Baronius: [d] *Pallij praerogatiuam perſonale beneficium fuiſſe, non loci, adeò neq; Eccleſiae cuipiam in perpetuum tradi conſueuiſſe, & extincto Epiſcopo, qui id muneris*

c Lib 7. indict. 1. Epiſt. 5.

d Anno 432. nu. 94. tomo 5.

neris

*neris à Pontifice Romano obtinuiſſet, eius vſu in Eccleſia illa ceſſaſſe, niſi nouo ſucceſſoris priuilegio impetraretur.*

Quæ tamen omnia ſic intelligo, perſonale priuilegium pallij ius appellatũ eſſe, non vt omninò negẽ aliquas fuiſſe Eccleſias, quæ iure ſuo, ideſt veteri Romanorum Pontificum conceſſione ſuis Epiſcopis pallium vindicare poſſent; ſed quòd interdũ ijs impertiri mos fuerit, quos alioqui neque ſedis metropoliticæ dignitas, neque recepta deceſſorum conſuetudo, ſed ſolius perſonæ illuſtre meritum honore illo dignos redderet, &, qui cùm decederent, defiturus etiam eſſet is honor, quales fuiſſe cenſeo, quorum hactenus exempla proferebam.

Vt enim meritò exiſtimauerim, Romanum Pontificem nulla ignobilis Eccleſiæ habita ratione, nullo veterum exemplo permotum inſignes aliquos morum ſanctitudine, & prudentia Antiſtites hoc ornamenti genere proſequi ſolitum, ita neque etiam negauerim magnoperè illud ſpectaſſe, ſi præter virtutis opinionem, vel vetus conſuetudo, vel ſedis ſplendor pallij dignitatem efflagitare videretur. Nam circa illud alterum, quod Baronius negat, pallij prærogatiuam loci priuilegium fuiſſe, id ea ratione interpretandum, haud quidem eſſe ita loci priuilegium, quaſi ſola loci dignitas, ſine vllo Epiſcopi merito eſſet ſatis, neque item quaſi quiſquis eam ſedem adipiſceretur, is ſimul etiam palliatus procedere inter ſacra poſſet; quippe certiſſimum eſt ex his, quæ ſupra in medium proferebamus, quantumuis Archiepiſcopale faſtigium teneret aliquis, vt tamen pallium vſurpare legitimè poſſet, noua quadam, atque omninò diſtincta Apoſtolicæ Romanæ ſedis indulgentia opus fuiſſe. Proinde, quæ hactenus diſſerebam pallij vſurpationẽ non continuò Metropoliticam, aut Archiepiſcopalem dignitatem efficere, vel indicare, de ijs intellexerim, quos non ob Cathedræ prærogatiuam, ſed ob ſolius vitæ merita, aut propter vſurpatam à deceſſoribus conſuetudinem, huiuſmodi ornamenti genere Romanus Pontifex dignatus eſſet. Enimuero ſi ob veterem loci dignitatem, & veluti in titulum ac priuilegij iure, Eccleſia pallio fuiſſet donata, quis, obſecro, in antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudijs ita peregrinus reperietur, qui eam Metropolitanam appellandam neget?

Quo conſequenter inferri poſſe exiſtimauerim, Meſſanenſis Eccleſiæ Antiſtitem Donum, cùm non ex ſolis perſonæ ſuæ præſidijs, morumque honeſtate, ſed ex ſedis prærogatiua pallium à Gregorio acceperit, iurè, meritòque Metropolitanum exiſtimandum eſſe. ſcilicet hoc clariſſimè innuit extrema epiſtolæ pars, qua Pontifex rationẽ veluti reddens, cur pallio Donum ornandum cenſuiſſet, id eò ſe facere dixit, *quòd priuilegia*

*omnia, quae Meſſanenſi Eccleſiae conceſſa olim fuiſſent, ſua authoritate firmari, illibataque cuſtodiri vellet.* quaſi hac teſtificatione diſertis verbis profiteatur, Meſſanenſis Eccleſiæ priuilegia à ſede Apoſtolica profecta ad id eum impuliſſe. Neque hoc loco prætereundum hæc ipſa verba Gregorium alibi vſurpaſſe, cùm Mariniano [a] Rauẽnati Archiepiſcopo, Andreæ [b] itẽ Epiri Metropolitano pallium mittit. his etiam verbis eſſe conceptam pallij concedendi formulam ab eodem Gregorio [c] præſcriptam, itemque à Gregorio VII. [d] prorſus vt cenſeam veteri quidem æuo inferioris gradus Epiſcopis virtutis ergo non infrequenter pallij ornamentum permiſſum, cæterùm receptiorem, & vſu ipſo magis vſurpatam eam dignitatem fuiſſe in Metropolitanis ſedibus: adeoque non ſine ratione ad Metropoles Eccleſias formulam eſſe adaptatam.

Porrò verò priuilegia iſta, quæ Gregorius ſarta, & tecta eſſe cupit, quid aliud tandem fuere, quàm Metropoliticæ dignitatis authoritates à Romana ſede perſcriptæ? ſexcentis videlicet exemplis confirmare poſſem, receptam hanc apud vetuſtioris æui Patres loquendi conſuetudinem, qua Metropolis, aut Primatus iura priuilegium appellabant: *Sicuti ergò,* ſcribit Nicolaus II. [e] ad Adonem Viennẽſem, *ab anteceſſoribus noſtris Beato ſcilicet Leone, vel à reliquis pene vſque ad noſtra tempora tuis anteceſſoribus praeſtitum eſt largitione Apoſtolica, vt ad priuilegium Viennenſis Eccleſiae ſeptem prouinciae pertinerent.* Vrbanus quoque [f] ad Tarraconenſem Epiſcopum ſcribens, *Toletano veluti Primati obedire eum iubet, quia ſic à ſe eſſet in Toletanae Eccleſiae priuilegio conſtitutũ.* Neque ab hoc more abnuit Gregorius VII. [g] cum Gebuino Lugdunenſi Epiſcopo, *confirmare ſe,* ait, *priuilegium ſuper quatuor prouincias Lugdunenſem, Rothomagenſem, Turonenſem, Senonenſem, quibus Archiepiſcopi iure preerat.* Et Leo IX. [h] cùm Thomas Carthaginienſis Epiſcopus Romanũ Pontificẽ appellaſſet cõtra Gummitanũ Antiſtitem Metropolitani iura vſurpantem, *placere ſibi,* reſpondit, *priuilegium Carthaginienſis Eccleſiae integrum eſſe, ſiue Carthago deſerta iaceat, ſiue glorioſa reſurgat.* piget in re perſpicua tempus terere, ſed non alia acceptione priuilegij nomen vſurpant D. Gregorius [i] ad Alciſonum Corcirenſem Epiſcopum. Hormiſda [k] ad vniuerſos Epiſcopos per Hiſpaniam conſtitutos, item & ad Ennodium Ticinenſem, & Peregrinum Meſſanenſem. Hilarus [l] ad Veranium, Leontium, & Victurium. Ioannes VIII. [m] ad Ederedum Archiepiſcopũ Anglorum, ad Ignatium Conſtantinopolitanum Patriarcham, ad Dolenſem Eccleſiam, & Britanniæ Epiſcopos. Bonifacius II. [n] ad Eulalium Alexandrinum. Simplicius ad Ioannem Rauennatem. [o]

a lib. 4 indict. 13. epiſt. 54.
b lib. 5. indict. 14. epiſt. 7.
c lib. 10. indict. 5. epiſt. 56.
d lib. 10. indict. 5. poſt ep. 54.

e Apud Io. Boſco in Antiquitate Viennen. poſt Biblioth. Floriacen.

f Apud Baron anno 482. nu. 43.

g lib. 6. ep. 34.

h tomo 3. ep. decretal. RR. Pontific. ep. 3. ad Thomã Carthaginienſem.

i lib. 12. ep. 2.
k ep. 60. & 18.

l Epiſt. 2.
m Epiſtol. 65. 78. & 118.

n Epiſt. 2.
o Epiſt. 16.

Hadria-

Hadrianus a ad Bertericũ Viennen. Archiep. Leo Imperator in conſtitutione de Eccleſiarum priuilegijs. b Huc tandem pertinet tàm frequens illa mentio, quæ in Conciliorũ Actis, q̃ in Patribus occurrit priuilegij Romanæ Sedis, item & Alexandrinæ, aliarumq; Chriſtiani orbis Eccleſiarum. Non dubium igitur eſt, quin illis verbis intellexerit Gregorius Donum pallij vſu à ſe eam ob cauſam donatum, quòd Meſſanenſis ſedes veteri Romanorũ Pontificum munificẽtia inter Metropolitanas cenſeretur.

a Apud Ioan. Boſco in antiquit. Viennen. pag. 46. & 47.
b l. 16. C. de Sacroſ. Eccleſ.

## *Meſſanenſis Antiſtes cur Siciliæ Epiſcopus dictus. Metropolitanos totius prouinciæ Præſules interdum appellatos.*

## CAPVT XI.

Sed enim præter hæc, quæ quia longiorem diſputationẽ poſtulant, & fortaſſe cum alijs communia, hoc loco velut indicaſſe, ſatis eſt, Meſſanenſem Epiſcopum Metropolitanum fuiſſe non paucæ, aut vulgares coniecturæ, ſed firmæ etiam, ac ſolidæ rationes perſuadent.

Ac primùm ſe offert, quòd D. Gregorius, cùm ad Felicem Meſſanenſem Epiſcopum ſcribit, *Siciliae Epiſcopum* appellat, ea ſcilicet epiſtola, quæ vt ſuo loco docebimus Metropoliticam dignitatem vna omniũ maximè Eccleſiæ Meſſanenſi adiudicat, Ioannes item Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & Alexander II. Pontifex Maximus eadem nota Felicem efferunt, vt videre eſt apud Hugonem, Brocardum, & Panormiam, quos recentiores laudant in notis ad cap. ad ſedem 35. queſt. 5. & cap. quædam, 35. quæſt. 3. eàmdem quoque appellationem ex vetuſtioribus exemplaribus vſurpat Antonius Auguſtinus in iuris Canonici epitome, c quod non alia ratione factum ſuſpicari licet. quàm quia, Siciliæ vniuerſæ Metropolitanus haberetur. Sic Leander Hiſpalenſis eidem Gregorio d *Hiſpaniae Epiſcopus* appellatur, quòd toti Hiſpaniæ Metropolitani, aut etiam Primatis iure præeſſet, alibi e quoque idem Gregorius Deſiderium, Ætherium, Vigilium, Aregium *Galliae Epiſcopos* inſcribit, quòd diuerſarum Galliæ prouinciarum Metropolitani forent, ſed & plures epiſtolas ad Columbum f ſcribit *Numidiae Epiſcopum*, quem prouinciæ illius Primatem fuiſſe, certò ex alijs locis deprehendimus, cùm tamen alios inferiorũ ſedium Preſules Eccleſiarum, quibus præſiderent, titulis compellare Gregorius conſueuerit. Idemque obſeruatũ cum Dominico g Carthagi-

c lib. 28. tit. 19. cap. 15. lib. 34. tit. 1. cap. 13.
d lib. 1. ep. 45. Indict. 9. lib. 4. ep. 46. indict. 13. lib. 7. epiſt. 125. indict. 2. Azor. Inſtitut. moral. par. 2. lib. 3. cap. 36. queſt. 1. Franc. Padilla Eccleſ. hiſtor. Hiſpanicæ cẽt. 7. cap. 22.
e lib. 9. ep. 48. 50. 51. 62. Indict. 4. lib. 12. ep. 5. Indict. 7.
f lib. 5. ep. 36. Indict. 14. lib. 6. ep. 2 indict. 12. lib. 7 ep. 16. indict 1. lib. 10. ep. 8. & 32. Indict. 5.
g lib. 5. ep. 29. Indict. 14.

nienſi

nienſi, cum Ianuario [a] Calaritano, cum Marco Dalmata, [b] Tobino Illyrico, [c] quos cùm Metropolitani eſſent, *Africae*, *Sardiniae, Dalmatiae, Illyrici* Epiſcopos vocat.

Huc etiam pertinet, quod Conſtantiæ Cypriorum vrbis Epiſcopus, quam inſulæ Metropolem fuiſſe Concilij Epheſini primi acta docent [d] in ſexta Romana Synodo, alijſque item Concilijs non vno loco *Cypri Epiſcopus* appellatur. haud dubium, quia prouinciæ illius Metropolitanus. quo factum eſt, vt in Epheſina Synodo [e] homilia Regini Conſtantiæ Antiſtitis, *Cypriorum Epiſcopi* nomine ſit inſcripta. neque id nouum, & inſolens cuiquam videatur, quando iam inde à Nicænis Patribus hunc quoque morem vſurpatum accepimus: Sic enim habetur inter eius Concilij Canones ex Arabico traductos: *Quod ſi Epiſcopus Cypri diem ſuum in hieme obierit, & non potuerint populi propter tempeſtatem maris tranſmittere Antiochiam, vt Patriarcha Antiochenus conſtituat ipſis Archiepiſcopum loco mortui; debent ſcribere ad Patriarcham, & petere ab eo, vt permittat eis conſtituere, quem voluerint.* Quo in loco nemini dubium eſt, de Conſtantiæ vrbis Archiepiſcopo locutos eſſe Concilij Patres, quem tamen, vti vides, Cypri Epiſcopum ſimpliciter appellant. Tandem verò, niſi ſatietatem timerem, huius loci eſſent innumera ferè Scriptorum teſtimonia, quibus Auguſtinus Cantuarienſis Metropolitanus, Bonifacius Moguntinus, Deuſdedit [g] Calaritanus, Sergius [h] Conſtantiæ, Paulus [i] Cortinæ, Dinatus [k] Nicopolitanus, atque alij item alibi gentium Metropolitani, non propriæ Metropolis, ſed totius prouinciæ Epiſcopi, Angliæ puta, Germaniæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, veteris Epiri nominari conſueuere. Quod & alijs [l] quoque idoneis authoribus bene notum, qui Metropolitas à Prouincia frequentiſſimè nomina cepiſſe ſcripſere.

Non poſſum igitur non maximè demirari, eos qui recentiorem D. Gregorij operum editionem curarunt, tàm facile vetuſtam, & antiquam noſtræ huius ad Felicem Epiſtolæ epigraphen immutaſſe, vt *Siciliae* loco, *Meſſanae* repoſuerint, idque præſertim auſos nulla certi alicuius teſtimonij, aut veteris manuſcripti codicis fide, ſed ſola coniectandi ratione adductos. Quamuis enim veriſſimum ſit, Felicem illum, quem epiſtolæ titulus *Siciliae Epiſcopum* nominat, Meſſanæ Præſulem fuiſſe, non tamen pro arbitrio nouitiam lectionem admittere, ſed veterem omninò retinere debuerant. Sed & illud ijs in mentem venire æquiùs fuerat, huic antiquæ inſcriptioni fidem adſtruere conſentientia veterum Patrum, & Scriptorum teſtimonia, quæ paulò ante laudaui, adſtipulari etiam ipſam Felicis conſultatoriam epiſtolam, qua Felix *Siciliae Epiſcopi* titulo effertur, quò

ſit

a lib. 7. ep. 55. indict. 2.
b lib. 1. ep. 36. indict. 9.
c lib. 2. ep. 17.
d tom. 2. ideſt appendicis primæ ad tom. 2. cap. 4. Berter. Diatrib. 2. cap. 2 pag. 157. Conſt. Porphir de thematibus Imp. Orien tal. them. 10. in præfectura Cypri.
e tom. 6. conc. Epheſin 1. cap. 8.
f Can. 37.
g Lateranen. Conc. ſub Martino 1 ſecret. 1 & 5. & Nicæn. II. act. 2. & 3.
h Later. conc. ſub Martino 1. ſecret. 2.
i Vitalian. Papa ep. 1. 2. 3. 4. & Nicæn. Synod II. act. 2. & 3.
k Conc. Epheſ 1. cap. 4.
l Maurus Caſtell-ferrer. in hiſtor. S. Iacobi.

fit, vt vix veriſimile videatur in tot hæc monumenta vno veluti tenore, & ex condicto errorem aliquem irrepere potuiſſe. Verùm iſta Cenſorũ audacia eò tranquilliùs ferenda eſt, quòd eamdem ipſam expungendi, inuertendi, an deſtruendi licentiã non in noſtro ſolùm Felice priuatis auſpicijs ſibi vendicarunt, ſed in Leandro etiam, Deſiderio, Ætherio, Aregio, & Columbo, qui cum hactenus vetuſtiſſimorum codicum prædicatione Hiſpaniarum, Galliarum, Numidiæque Epiſcopi apud Gregorium audierint, nunc ægrè horum beneficio ſingularum ciuitatum præfecturam retinent.

## *Recitatur Gregorij Magni ad Felicem Meſſanenſem Antiſtitem epiſtola.*

## CAPVT XII.

SEd age iam ſolidiora fundamenta percurramus, quibus Metropoliticæ huius Meſſanenſis Eccleſiæ dignitatis ſtructura ſubnititur. præſtat igitur integram Gregorij epiſtolam in medium proferre. Ea ſic habet.

### RESCRIPTVM S. GREGORII PAPÆ Felici Siciliæ Epiſcopo.

*Reuerendiſsimo fratri Felici Epiſcopo Gregorius Seruus Seruorum Dei,*

*CApud noſtrum, quod eſt Chriſtus ad hoc ſua membra eſſe nos voluit, vt per eius largam charitatem, & fidem vnum nos in ſe corpus efficiat. cui ita nos adhęrere conuenit, vt, quia ſine ipſo nihil eſſe poſſumus, per ipſum poſsimus eſſe, quod dicimur. Ab arce capitis res nulla nos diuidat, ne ab eo, ſi membrum eius eſſe refugimus, relinquamur, & velut eiecti de vite palmites areſcamus. vt ergo Redemptoris noſtri habitaculum eſſe mereamur, in dilectione ipſius toto mentis ſtudio maneamus. Ipſe namque ait :* Qui diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & manſionem apud eum faciemus. *Exegit ergò dilectio tua, Frater cariſsime, vt ex authoritate ſedis Apoſtolicae tuis deberemus conſultis reſpondere. quod licet non prolixè, ſed ſuccinctè agere feſtinaremus propter quaſdam importunitates, quae noſtris prępedientibus peccatis in nos ſuperuenere, tuis tamen haec per reliqua ſanctorum Patrum inſtituta ſtudijs perquirere latius, & inueſtigare permittimus. non enim poteſt mens attrita oneribus,*

*bus, atque importunitatibus grauata tantùm boni peragere, quãtùm delectata, & oppreſsionibus ſoluta. non ergò iſta ob id praetulimus, vt haec, & alia, quae neceſſaria fore cognouimus, tuae ſanctitati velimus denegare, ſed vt, quod hic minus inuenitur, latius perquiratur.*

*De tribus enim Apoſtolicam ſedem, in qua alitus es, & doctus, capitulis conſulendam praedeceſſorum tuorum ſequens exempla credidiſti, ideſt de conſanguinitatis coniunctione, & de vexatione Epiſcoporum à ſubditis, & de Eccleſiarum dubitatione conſecrationum.*

*Quod autẽ ſcripſi Auguſtino Anglorum gentis Epiſcopo, alumno videlicet, vt recordatus es, tuo de conſanguinitatis coniunctione ipſi, & Anglorum genti, quae nuper ad fidem venerat, ne à bono, quod cęperat metuendo auſteriora recederet, ſpecialiter, & non generaliter caeteris me ſcripſiſſe cognoſcas. vnde & mihi omnis Romana ciuitas teſtis exiſtit, nec ea intentione illis hęc ſcripta mandaui, vt, poſtquam firma radice in fide fuerint ſolidati, ſi infra propriam fuerint conſanguinitatẽ inuenti, non ſeparentur, aut infra affinitatis lineam, ideſt, vſque ad ſeptimam generationem coniungantur: ſed adhuc illos neophitos exiſtentes ſaepiſsimè eos priùs illicita docere vitare, & verbis, & exemplis inſtruere, & quae poſt de talibus egerint rationabiliter, & fideliter excludere oportet. nam iuxta Apoſtolum, qui ait:* Lac vobis potum dedi, non eſcam, *iſta illis modò, non poſteris, vt praefixum eſt, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum, quod infirma adhuc radice plantatum eſt, erueretur, ſed cęptum firmaretur, & vſque ad perfectionem cuſtodiretur. ſanè ſi in his, ſecùs quàm debuimus, egimus aliquid, non propter ipſa in futurum conſeruanda, ſed commiſerando actum eſſe cognoſcas. Vnde teſtem inuoco Deum, qui cogitationes hominum nouit, cuius etiam oculis cuncta nuda ſunt, & aperta. Nam ſi ea deſtruerem, quae anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed euerſor eſſe iuſtè comprobarer, teſtante veritatis voce, quae ait:* Omne Regnum in ſe ipſum diuiſum, non ſtabit, & omnis ſcientia, & lex aduerſum ſe diuiſa deſtruetur. *Ideòque neceſſe eſt, vt omnes concorditer ſtatuta SS. Patrum noſtrorum teneamus, nihil videlicet per contentionem agentes, ſed ad omne ſtudium bonae deuotionis vnanimes diuinis, & Apoſtolicis inſtitutionibus, auxiliante Domino, pareamus. O quàm bona eſt charitas, quae abſentia per imaginem praeſentia ſibimetipſi exhibet per amorem, diuiſa vnit, confuſa ordinat, inęqualia ſociat, imperfecta conſumat. quàm rectè praedicator egregius vinculum perfectionis vocat, quia virtutes quidem cęterae perfectionem generant, ſed eas tamen ita Charitas ligat, vt ab amantis mente diſſolui iam nequeant. His ritè perpenſis charitati tuę iam dictis indulſi,*

*dulsi, nec praeceptum dedi, ſed conſilium, neque regulam in his poſteris vllis tenendam, ſed de duobus periculis, quid faciliùs euitandum ſit oſtendi. Si igitur in rebus ſaecularibus ſuum cuique ius, & proprius ordo ſeruandus eſt, quantò magis in Eccleſiaſticis diſpoſitionibus nulla debet induci confuſio, ne ibi locum diſcordia inueniat, vnde pacis debent bona procedere, quod hac ratione ſeruabitur, ſi nihil poteſtati, ſed totum aequitati tribuitur. Quapropter multùm cor noſtrum magnitudini veſtrae congaudet, quòd ſic vos in veſtris actibus ſtudioſos inuenimus, vt vos & noſtri curam habeatis, & talia ſciſcitando inquirere ſtudeatis, quatenus talia vobis non ſolum apud homines gloriam, ſed & apud omnipotentem Deum praemia mercedis acquirant.*

*Caeterùm ſuper vexatione Epiſcoporum, quia nos conſulere voluiſti, ſcimus, quia à nullis vita Praeſulis perturbari debet; quoniam ſi Dauid Regum iuſtiſsimus in Saul, quem conſtabat iam à Deo reprobatum abiectum eſſe, manum mittere non praeſumpſit, quantò magis cauendum eſt, ne manum detractionis, aut vituperationis, ſiue indiſcretionis, aut dehonorationis quidam mittant in Sanctum Domini, vel in Praedicatores ſanctae Eccleſiae; quia eorum vexatio, ſiue detractio ad Chriſtum pertinet, cuius vice in Eccleſia legatione funguntur. Vnde ſummoperè cauendum eſt omnibus fidelibus, ne clanculo, aut publicè Epiſcopum ſuum, ideſt vnctum Domini, detractionibus, aut vituperationibus dilanient, perpendentes illud exemplum Mariae, quia pro eo, quòd Moyſi famulo Domini propter Aethiopiſſam detraxit, immunditia leprae multata eſt: & illud Pſalmiſtae:* Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari, *& in lege diuina legitur:* Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices. *Vnde valde prouidendum eſt ſubditis, tàm clericis, quàm laicis, ne Epiſcoporum, vel Prepoſitorum temere reprehendant ſuorum, ſi quid fortè eos agere reprehenſibile videant, ne vnde mala redarguunt, inde per elationis impulſum in profundiora mergantur.*

*Admonendi ſunt etiam iidem, ne, cùm culpas Praepoſitorum ſuorum conſiderant, contra eos audentiores fiant, ſed ſic eorum praua apud ſemetipſos conſiderent, vt diuino timore conſtricti ferre ſub eis iugum reuerentiae non recuſent; quoniam facta ſuorum Epiſcoporum, vel Praepoſitorum oris gladio non ſunt ferienda, etiam cum rectè reprehendenda videntur, quia à praedeceſſoribus noſtris, & à multis reliquis ſanctis Epiſcopis ſtatutum fore cognoſcimus, vt oues paſtores ſuos non temerè reprehendant, nec eos criminari, vel accuſare praeſumant; quia cùm in Praepoſitos delinquimus, eius ordinationi, qui nobis eos praetulit, obuiamus. Vnde Moyſes, cùm contra ſe, & Aaron populum conqueri cognouiſſet, ait:* Nos enim quid ſumus, nec contra nos eſt mur-

mur veſtrum, ſed contra Dominũ. *Quapropter admonendi ſunt ſubditi vtriuſque ordinis viri, vt, cùm magiſtrorum facta conſpiciunt, ad ſuum cor redeant, & de eorum increpationibus non præſumant, quia non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum.*

*De dedicationum verò Eccleſiarum dubitatione, ſuper qua nos inter caetera conſuluiſtis, hoc vos ritè tenere debetis, quod & nos ab anteceſſoribus noſtris traditũ accepimus; ideſt, vt quoties tàm de baptiſmo aliquorũm, vel confirmatione, quàm de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur; & nec ſcriptis, nec teſtibus certa ratio habetur, vtrum baptizati, vel confirmati, ſiue Eccleſiae conſecratae ſint; vt baptizentur tales, ac confirmentur, atq; Eccleſiae canonicè conſecrentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis inditys oſtenditur ritè peractum.*

*Haec nos adminiculante gratia diuina ita tenere cupimus, vobiſque, vt poſtulaſtis, tenere, ac docere mandamus, vt ea quae à ſanctis Patribus ante nos ſunt ſtatuta, non proteruè irrumpere, ſed fideliter ſeruare optemus. Vnde Redemptoris miſericordiã exoramus, vt ſua vobis in omnibus gratia ſuffragetur, & effectu implere vos tribuat, quod velle conceſsit.*

*Progeniem verò ſuam vnumquemque de his, qui fideliter docti etiam firma radice plantati ſtant, inconuulſè vſque ad ſeptimam generationem obſeruare decernimus, & quàm diu affinitate ſe agnoſcunt propinquos ad huius copulae non accedere praeſumant ſocietatem, nec eam, quam aliquis ex propria coſanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugiũ ducere vlli profectò licet Chriſtianorum, vel licebit, quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis Deo, & cũctis bonis hominibus.*

*Inceſtuoſos verò nullo coniugÿ nomine deputandos à ſanctis Patribus dudum ſtatutum eſſe legimus. Ideò nolumus nos in hac re à vobis, ſiue à caeteris fidelibus reprehendi; quia, quod in his Anglorum genti indulſimus, non formam dando, ſed conſideratione, ne Chriſtianitatis bonum, quod cęperant, imperfectum dimitterent, egimus. Quia ergò hac in re tantò commoda retributionis accreſcunt, quantò, & ſtudium laboris augetur, paterna vos dilectione ſalutantes hortamur, vt propoſita oportunitatis occaſione in veſtra efficacia enixius elaborare debeatis; atque id modis, quibus poſsibile fuerit, omni ſtudio agere contendatis, quatenùs prvedicabile deſiderium veſtrum in auxilium omnium adiuuante Domino compleatis.*

*Nec hoc quoque in hac ſollicitudinis parte relinquimus; quòd omnes inceſtuoſi à liminibus Eccleſiae ſanctae ſunt ſeparandi, quouſque per ſatisfactionem precibus Sacerdotum eidem Eccleſiae* Catho-

*Catholicae reconcilientur: ſunt etenim mali ſegregandi à bonis, & iniqui à iuſtis, vt ſaltem rubore ſuo conſcientias ſuas recognoſcant, & conuertantur à prauitatibus ſuis, & ſi incorrigibiles apparuerint, ſegregentur à fidelibus, vſque ad ſatisfactionem iuxta Domini Saluatoris ſententiam, qua inter cętera de peccante in ſe fratre praecipiendo ait:* Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum. ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum; ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum. quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. *His ergo, & alijs multis ſanctorum Patrum authoritatibus ſegregandi ſunt mali à bonis, ne pereant iuſti pro iniuſtis, ſicut ſcriptum eſt:* Perit iuſtus pro impio. *debet enim diſcretio ſemper fieri inter bonos, & malos, ſicut eſt inter hędos, & oues. Manifeſta quoque peccata non ſunt occulta correctione purganda, ſed palam ſunt arguendi, qui palam nocent, vt dum aperta obiurgatione ſanantur, hi, qui eos imitando diliquerant, corrigantur. Dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur, & melius eſt, vt pro multorum ſalute vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur. nec mirum, ſi inter homines haec ratio, cùm & inter iumenta haec fieri perſaepè cognouimus, vt ea, quae ſcabiem, aut impetiginem habere videntur ſeparentur à ſanis, ne illorum morbo caetera contaminentur, & pereant.*

*Vnde volumus vos in vnum conuenire Epiſcopos, vt de incidentibus cauſis fiat diſceptatio, & ſalubris de Eccleſiaſtica obſeruatione collatio, quatenùs dum per hoc, & preterita corriguntur, & regulam futura ſuſcipiunt, omnipotens vbique Deus fratrum ore collaudetur, cuius vobis adeſſe praeſentiam, ſi haec obſeruabitis, ſcitote, quia ſcriptum eſt:* Vbi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. *Si ergò dignatur adeſſe duobus, vel tribus congregatis in nomine eius, quantò magis non deerit, vbi plures conueniunt Sacerdotes? Et quidem, quia ad habendum bis in anno concilium Patrum ſit regulis inſtitutum, non latet, ſed ne forte aliqua excuſatio ſit, ſemel decernimus congregari, vt expectatione concilij nihil praeſumatur illicitum: nam plerique, & ſi non amore iuſtitiae, metu examinationis abſtinent ab hoc, quod omnium notum eſt diſplicere iudicio. Hanc, frater cariſſime, obſeruantiam noſtris relinquendam poſteris teneamus, & omnia, quae ad eruditionem noſtram ſacris apicibus ſcripta ſunt, cuſtodiamus, atque ad ea quoſcumque poſſumus, incitemus. Certum quippe eſt, quia ſi toto corde praeceptis nos ſalutaribus occupamus, omnem vitiorum labem effugimus, quia, dum his quibus aedificamur, innitimur, ſine dubio deceptionis locum effugimus.*

*Quapropter oportet, vt enixiùs in cunctis ſtudioſum vos circa Fratres, atque ſubiectos oſtendatis; vt omnes, quia nobiſcum alitus es, & didiciſti ſanctę Romanę Eccleſię pręceptionibus parere, Apoſtolicaeq; ſedis praecepta multiplicare, apertiſsimèque nota facere, agnoſcat: quia quod ſpecialiter tibi, tuiſque, vt tuę litterę innotuerūt, conſultis ſcribimus, generaliter omnibus tenere mandamus.*

*Circa ſubiectorum autem actus fraternitas veſtra ſit vigilans. veſtrum illis exemplum inſtructio ſit, & vita magiſtra. linguae veſtrae exhortatione addiſcant, quòd metuant, & doceantur, quod diligant: vt dum talenti crediti lucra multiplicantur, in die retributionis annuente diuina gratia audire mereamini:* Euge ſerue bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui.

*Curam praeterea de omnibus, quae vobis, alijſque Fratribus noſtris, & generaliter cunctis pro illicitarum rerum prohibitione ſcripſimus, habere vos per omnia cognoſcamus; quia omni ſtudio, omnique anniſu neceſſe eſt, vt fraternitatis veſtrae vigilantia compleantur, atque illic omnia, quae pro animarum ſcripſimus ſalute, fideliter recenſeantur. quatenus per hoc & vos veſtrum zelum, qualiter vobis illicita diſpliceant, oſtendatis, & nos vtiliter prouidiſſe, qui veſtram ad hoc prae caeteris perſonam elegimus, videamur. Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, honoremque perceptum moribus ſeruare concedat.*

*Expenduntur citata epiſtola verba, & qui Gregorij æuo Meſſanenſem, & Syracuſanam Eccleſiam rexerint.*

## CAPVT XIII.

HÆC Gregorius. Porrò quòd integram epiſtolam attulerim, conſilij mei ratio inde conſtabit, quòd ex tota ſerie ipſius oculis ſubiecta certiùs, atque etiam explicatiùs ab æquo rerum æſtimatore iudicium ferri poterit. tùm quòd, cùm in ea potiſſimùm diſputationis cardo ſit poſitus, ac plures, ſolidæque ſententiæ ſparſim ex illa decerpendæ eſſent, ne non ſibi cohærere, ſeque mutuò adiuuare viderentur, ſatius fuit illam à principio lectori totam offerre.

Sed antequam vlteriùs progrediamur, non alienum erit hoc loco, imò fortaſſe neceſſariū pauca quædam de Felice ipſo inquirere, ac ſimul etiam tempus inueſtigare, quo Meſſanenſem Eccleſiam rexit, & cùm nullus eius æui Scriptor prælucere nobis ad eam rem poſſit, Gregorius in primis erit conſulendus,

dus, cuius, quia frequentiſſimæ ſunt ad Siculos litteræ, non difficile erit eius, quam inquirimus, Chronologiæ veſtigia non planè dubia in ijs reperire.

Ac primùm quidem extra controuerſiam eſt, Gregorij Magni Pontificatus initia in Nonam Indictionem incurrere anni quingenteſimi, & nonageſimi, Septembri Menſe. quare cùm tredecim annos in eo magiſtratu egerit, atque inſuper menſes ſex, anno quarto ſupra ſexcenteſimum Februario, aut Martio eum exceſſiſſe dicendum erit. Conſtat etiam prioribus quinque Gregorij annis IX. ſcilicet Indict. X. XI. XII. & XIII. Felicem Epiſcopum Meſſanæ floruiſſe, ad quem plures extant Gregorij epiſtolæ his ipſis annis ſcriptæ: huic verò proximè Donum ſucceſſiſſe anno quingenteſimo nonageſimo ſexto, XIIII. Indictione ineunte, qua Pallij ius à Gregorio obtinuit. vixiſſe verò illum ad annum vſque ſexcenteſimum, Indict. IIII. indicio eſt Epiſt. XLVI. lib. IX. Indict. IV. Sed neq; etiam deerrabit quiſquis longiorem ætatem illi tribuet ad Indictionem VI. qui annus eſt ſexcenteſimus quartus. quippe hoc etiam anno datam legimus epiſtolam Gregorij [a] ad Leonem, Secundinum, Ioannem, Donum, Lucidum Siciliæ Epiſcopos. Porrò verò cùm Regiſtri liber XII. Ind. VII. duas Epiſtolas habeat ad Felicem Meſſanenſem inſcriptas decimã, & trigeſimã, veriſimile eſt opinari, Dono Epiſcopo decedenti Felicem alterum ſubſtitutum. Quam coniecturam non mediocriter confirmat, quòd cùm Ioannes Diaconus ſcribat, *Gregorium quarto Pontificatus anno miſiſſe Auguſtinum in Angliam, & multò poſtea conſultum fuiſſe à Felice Meſſanenſi de permiſsis inter Anglos agnatorum coniugijs*, perabſurdum eſſet epiſtolam iſtam Felici I. tribuere; vt qui poſt XII. Indictionem, qua ex Ioannis ſententia Auguſtino Britãnia decreta, vix annum vixerit, vt paulò ante dicebamus. Quid, quòd non quarto anno, vt Ioannes ſenſit, ſed ſexto, XIIII. Indict. exeunte Auguſtinum in Angliam miſſum LIII. & ſequentes epiſtolæ docent lib. V. Indict. XIIII. quo tempore non Felix, ſed Donus Meſſanæ Epiſcopum agebat? Accedit, quòd Felix noſter in epiſtola narrat, *veniſſe ad ſe Benedictum Syracuſanum Antiſtitem;* atquì Felice I. ſuperſtite non Benedictum, ſed Maximianum Syracuſis præfuiſſe, frequentiſſimæ indicant ad illum litteræ X. XI. XII. & XIII. Indict. ſcriptæ. Iam verò cum Maximiniano Ioannes ſuffectus fuerit Indict. XIIII. cuius ad annum vſque ſexcenteſimum tertium, Indict. VI. frequens eſt apud Gregorium [b] mentio, cui dubium eſſe poterit, quin Felix II. epiſtolæ author ſit, qui poſt Donum anno ſexcẽteſimo quarto, VII. Indict. Meſſanenſis Eccleſiæ præfecturam ſuſcepit, eodemq; etiam anno in Syracuſana Ioanni Benedictus ſucceſſe-

[a] lib. 12. ep. 22. Indict. 6.

[b] lib. 11. ep. 36. Indict. 6.

Digitized by Google

ſucceſſerit, Tandè cùm Auguſtini legatio in XIIII. Indict. inã currerit, certè ante id tempus ſcribi epiſtola neutiquam potuit, cui res ab Auguſtino in Anglia geſtæ occaſionem præbuere; neque item viuo Dono ſcribi potuit, cuius vitæ periodus ad VI. Indictionem protracta.reliquùm igitur eſt,vt non niſi VII. Indictione,qui annus fuit ſexcenteſimus quartus,ſcriptam opinemur, quod & Baronius apertè probat.

## *Concilij prouincialis indicendi facultas præcipua Metropolitani honoris nota. Leges ad Metropolitanos ſcriptas ſubiectos Epiſcopos obligaſſe.*

## CAPVT XIIII.

SEd iam ad ipſam Gregorij epiſtolam accedamus. in qua perſcribenda, quæ fuerit illius mens, quis ſenſus, hi, quorum aures Gregorij dictioni, ſtiloque aſſueuere facile intelligent, alijs vt perſuadeam, non multum, opinor, erit elaborandum.

Sciendum igitur, cùm Felicem alumnum ſuum, & diu ſecum ad Cliuum Scauri monaſticam profeſſum Meſſanenſi Eccleſiæ paulò ante Gregorius præfeciſſet,Epiſcopos Siculos certis de rebus, quæ tum in controuerſiam venere, eum vtpote Metropolitanum ſuum conſuluiſſe: hunc verò, cùm in magiſtratu illo rudis, ac nouitius eſſet, Gregorium Pontificem per literas adijſſe. Porrò Gregorius,vt amicum hominem, & de ſe optimè meritum erigeret, ac confirmaret, partium ſuarum eſſe credidit, non modo ad propoſitas conſultationes grauiter, accurateque reſpondere,ſed & nouum Sacerdotem, quæ muneris Pontificalis eſſent, ac præſertim Metropolitici,longiſſima epiſtola docere, hominemque inſtruere, qua ſe ratione gerere, tùm in propria, & peculiari regenda Diœceſi, tùm in prouincia tota adminiſtranda deberet; quis in priuatis, quis in publicis vindicandis delictis modus eſſet tenendus, prorſus, vt mihi videatur hoc vnum tota iſta epiſtola Gregorius eſſe conatus, optimi, ac prudentiſſimi Metropolitæ imaginè, qualem in Felice optabat, ad viuum exprimere, adeoque clariſſimè indicare, àd Meſſanenſem Epiſcopum Metropolitico iure Siciliæ vniuerſæ curam, atque ſollicitudinem pertinuiſſe. Plures me permouent coniecturæ,an rationes?

Ac primo quidem loco illud conſiderãdum, clariſſimè conſtare ex epiſtolæ ſerie,penes Felicem fuiſſe concilij prouincia-

lis

lis conuocandi facultatem. Felici enim indulget Gregorius, vt non iam bis in annos ſingulos, quod vetus conſuetudo obtinuerat, ſed ſemel tantum Epiſcopos euocet. Felici perſuadet, vt eum indicendæ annuatim Synodi morem contentiùs retineat, & veluti hæreditarium Poſteris ſuis relinquat, quæ ſanè maxima, apertiſſimaque ſunt Metropolitani honoris argumenta. Quippe *Metropolitani munus eſt* [a] *Concilium Epiſcoporum ſtatis temporibus conuocare ad regulares inquiſitiones faciendas, & qui eò euocatus nulla impediente neceſſitate venire neglexerit, Canonicis pœnis ſubiacere praecipitur.* Hinc illa ſunt V. Concilij Aurelianenſis [b] verba: *Id etiam huic decreto duximus inſerendū, vt ſi quis de comprouincialibus Epiſcopis à Metropolitano ſuo vocatus ad Concilium venire diſtulerit, ſex menſibus à miſſarum officio abſtineat.* & in Matiſconenſi II. [c] *Vniuerſae fraternitatis deliberationi complacuit, vt antiquorum Patrum iuribus in omnibus cuſtoditis ad Synodum omnes conueniant, vt de alterna ſoſpitate exhilarati cauſarum exurgentium, tam diuinę religionis, quàm humanarum neceſſitatum diſcutiant, & hoc adimplere ſollicitudinis ſit Metropolitani Lugdunenſis Epiſcopi, vnà cum diſpoſitione magnifici Principis noſtri, priùs definientis locum mediterraneum, ad quem omnes Epiſcopi ſine labore alacres congregentur.* Calcedonenſis [d] quoque Synodus eadem omninò ſtatuit. *Decernit ergo ſancta Synodus ſecundum SS. Patrum Canones, vt bis in anno eumdem in locum conueniant vniuſcuiuſque prouinciae Epiſcopi, vbi Metropolitanus melius eſſe perſpexerit, & ſingula emergentia corrigant. Epiſcopi verò, qui non conueniunt, ſi in eadem Metropoli verſentur, & ab omni excuſabili, & neceſſario negotio liberi fuerint, fraternè reprehendantur.* Vnde & Gregorij morem obſeruare licet, qui Conciliorum celebritatem ſolis Archiepiſcopis delegat, Calaritano [e] nimirum Epiſcopo Sardiniæ Metropolitano, Primati Numidiæ, [f] Ætherio, Vigilio, & Deſiderio [g] Galliarum Archiepiſcopis, quos iiſdem penè verbis, eodemque ſententiarum complexu, quo Felicem noſtrum, compellat, & vt in ſuis quiſque prouincijs Concilium indicat, datis ad eos epiſtolis iubet, vt inde colligas, eodem ac pari iure id illis præcepiſſe. Eadem quoque ratione factum arbitratur Philippus Berterius [h] vt de primatu prouinciæ, hoc eſt de Metropolitico iure, Arelatenſis Epiſcopus cum Viennenſi diſceptarit. nempe, quia ille cogendæ ex diuerſis Galliæ prouincijs Synodi facultatem antiquitùs habuiſſet. Sed & hoc argumentandi genere Iacobus Seuertius, [i] & Ioannes à Boſco [k] inprimis vtuntur in aſſerendo, confirmandoque Primatu tùm Lugdunenſis, tùm Viennenſis Eccleſiæ, quorum iſte plures in teſtimonium profert epiſtolas Romanorū Pontificū, Nicolai II.

Gre-

a cap. quoniā, diſt. 18.

b cap. 12.

c cap. 20.

d Act. 14. Can. 19. & Tolet. II. cap. 5. Agathēſ. cap. 31. Arauſican. I cap. 29. Aureliarēſ. III cap. 1. Aurelianenſ. II. cap. 2. & Aurelian. V. cap. 22.

e lib. 3. epiſt. 9 Indict. 12

f l. b. 2. ep. 48.

g lib 7. ep. 112 Indict. 2. lib. 9. ep 48. 50. & 52 Indict. 4.

h Diatr. 2. cap. 4. pag. 188. & Baron. tom. 6. anno.

i Hiſtor. Lugdun. Eccleſiæ par. 3. cap. 5. ſect. 8. §. 7. & par. 3. cap. 3. ſect. 2. §. 5.

k In Antiquitate Viennen.

Gregorij VII. Calixti II. quorum authoritate ineundi concilij cura Viennenſibus Epiſcopis demandatur. neque ab hoc ſenſu recedit Cardinalis Baronius, a qui, quòd Arelatenſis ſuo iure ad prouincialem Synodum ſubiectos ſibi Epiſcopos vocare poterat, Archiepiſcopum fuiſſe ſeriò confirmat.

a tom, 6. anno

Quid illa etiam, quæ ſubſequuntur Gregorij verba, *Quia quod TIBI, TVISQVE, vt TVAE LITTERAE innotuerunt, conſulti ſcribimus, GENERALITER OMNIBVS tenere mandamus*, an non luce meridiana clariùs Metropolis ius Meſſanenſi Eccleſiæ vindicant? nam quæ alia ratio effingi poteſt, cur Siculi omnes Epiſcopi ijs legibus tenerentur, quas Romanus Pontifex Meſſanenſi Antiſtiti præſcripſiſſet, niſi illa fuit, quia æquiſſimum cenſuit, ſubditos, prouinciales ſcilicet Epiſcopos, ijs Romanæ Eccleſiæ decretis parere, quibus eorum Metropolitanus eſſet obnoxius. Ab hoc nimirum more illa ſunt, quæ in Dionyſij Papæ epiſtola legimus ad Seuerum Epiſcopũ, haud dubiè Metropolitanum, vt ex ipſius ſerie conijcimus: *Hanc quoque normam, frater cariſsime*, inquit, *te, & omnes Epiſcopos ſequi conuenit, & quod tibi ſcribitur, omnibus notum facias, vt non ſpecialis, ſed generalis ſit iſta praeceptio*, & poſt pauca, *haec itaque, frater cariſsime, quae pro affectu ſacerdotalis nominis, & honoris impendimus, tibi, tuiſque ſubditis omnibus, & alijs praedicãda mandamus*. Item Pelagij illa ad Benignũ Archiepiſcopum: *Quapropter his Apoſtolicis fultus authoritatibus muta Epiſcopum cauſa neceſsitatis, aut vtilitatis, ſuper quo conſulere nos voluiſti, & alios fratres noſtros, quibus hoc faciendum neceſsitas, aut vtilitas compulerit, agere doce, quia hoc, quod tibi ſoli ſcribimus, generaliter omnibus tenere mandamus.*

### *Prouincia vniuerſa curam ad Metropolitanum pertinuiſſe. Epiſcopos Fratrum, & Sacerdotum nomine appellatos.*

## *CAPVT XV.*

Accedit, quòd ijs verbis: *STVDIOSVM VOS circa FRATRES, atq; SVBIECTOS oſtendatis*, Meſſanenſis Epiſcopi poteſtas, atque authoritas tùm in prouinciæ Epiſcopos, tùm in ſubditos, videlicet Diœceſanos homines apertiſſimè indicatur. Quid enim FRATRVM nomine niſi prouinciales Epiſcopi deſignantur? qui eorum Metropolitano fratrum loco ſunt vulgata

gata iam diu, receptaque loquendi conſuetudine, quid SVBIECTORVM appellatione intelligimus, niſi eos, qui in cuiuſque Epiſcopi, vel Metropolitæ peculiari Diœceſi numerantur? Quid verò cauſæ erat, quòd Felix Meſſanenſis ciuitatis Epiſcopus ſtudioſum ſe circa Fratres oſtenderet, ſi non ijs Metropolitano iure præerat? Stephanū [a] quidem Africæ Archiepiſcopū ita ſcripſiſſe ad Damaſū Papā lego: *Notū facimus veſtrae Beatitudini, quòd quidam Fratres noſtri in confinio nobis poſiti quoſdam Fratres noſtros, venerabiles ſcilicet Epiſcopos vobis inconſultis gradu proprio deijciunt.* Damaſum [b] verò non diſſimilibus à Gregorio noſtro verbis Stephani prudentiam collaudaſſe: *Gratias ago Deo,* inquit, *quòd circa Fratres ſollicitos vos reperi. Igitur quoniam in praeſenti conſultatione Apoſtolicis veſtra beatitudo viſceribus commota hortata eſt tuitionem Fratrum Apoſtolicam impendere, & eorum iniurijs ſubuenire, cùm conſtet vos ſatagere, ne aliquis de his, qui vobis crediti ſunt, laceretur à ſæuis beſtijs, aut capiatur, &c.* Scilicet quia [c] *Metropolitanus vniuerſae prouinciæ curā habet, & Epiſcoporū exceſſus cognoſcit, coercetque.* Quare Concilium Antiochenum [d] ſub Iulio I. celebratum: *Per ſingulas regiones,* ait, *Epiſcopos conuenit noſſe, Metropolitanum ſollicitudinem totius prouinciae gerere. Propter quod ad Metropolitanum vndique, qui negotia videntur habere, concurrant.* Nam vt Toletani [e] Concilij XI. verba vſurpem: *Sicuti confinimis Epiſcopis* (ſuffraganeis) *in commiſſo ſibi grege vigilandum eſt, quatenùs huius ignorantia diuinis legibus imbuatur, ita, & Metropolitanos in confinitimos, caeteroſque Eccleſiaſticis legibus deditos inuigilare conſentaneum eſt.* Et Bonifacius [f] Germaniæ Primas ad Cutbertum Angliæ Metropolitanum: *Statuimus,* inquit, *quòd proprium ſit Metropolitani iuxta Canonum ſtatuta ſubiectorum ſibi Epiſcoporum mores, & ſollicitudinem circa populos, qualis ſit, cognoſcere, & moneat, vt Epiſcopi à Synodo venientes in propria Parochia cum Praesbyteris, & Abbatibus conuentum habentes, praecepta Synodi ſeruare inſinuando praecipiant.* Similia his habet Conciliū Valentinum [g] ſub Benedicto III. *Vt ſingulis Metropolitanis cum ſuffraganeis ſuis cura praecipua ſit de vita, & opinione non ſolùm totius cleri, ſed etiam ipſorum Epiſcoporum, ne ſe per culpam, vel negligentiam tales exhibeant, qui meritò apud laicos viles, atque infames, ac per hoc in ſacro miniſterio contemptibiles habeantur,* Quò fit, vt cùm in prouincialium Epiſcoporum mores Meſſanenſis Antiſtes animaduertendi ius habuerit, totaque prouinciae cura, ac ſollicitudo iure magiſtratus ad eum ſpectauerit, rectiſſimè inferri poſſit, vniuerſæ Siciliæ Metropolitanum fuiſſe. Apertiſſimum id fiet, ſi ex Nicolai I. Romani Pontificis epiſtola [h] ad Metenſem Epiſcopum

[a] Inter decreta Damaſi.

[b] Epiſt. 3.

[c] cap. 1. & 2. 9. quæſt. 3. & quia 10. quæſt. 3.

[d] Cap. 9.

[e] Cap. 2.

[f] Apud Baron. tomo 9. anno 740. num. 3.

[g] Cap. 19.

[h] Apud Baron tomo 10. anno 863. num. 65.

ſcopum Aduentium paucula verba huc transferam. Cùm enim ille Romanæ Eccleſiæ in vniuerſam Chriſtianam rempublicam principatum pluribus probet, hac potiſsimùm raciocinatione adſtruit: *Rurſus, inquit, ſi fatetur Antiochenum Concilium, Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius prouinciae gerere, quid praeiudicat ſedi Apoſtolicae ſollicitudinem habenti, non ſolum vnius prouinciae, ſed & totius Eccleſiae? Quorum enim quis ſollicitudinem gerit, & iudicium praetendere neceſſe eſt, vt B. Papa Innocentius ad Maximum Antiochenum ſcribit. Quorum enim, ait, te maximè expectat cura, tuum debent mereri iudicium. Ergo quia totius Eccleſiae nos cura maxima praeſtolatur, noſtrum praecipuè debet Eccleſia tota proculdubio iudicium promereri.* Eamdem ſententiam expreſſere Ægyptij Epiſcopi [a] ad Felicem Papam: *Nos enim, quos tua maxima expectat cura, praecipuè tuum debemus mereri iudicium.* Inde eſt, quòd apud Veteres tantumdem eſt prouinciæ præeſſe, atque ſollicitudinem eius alicui incumbere. Sic apud Ruffinum [b] lego: *Vt apud Alexandriam, & in vrbe Roma vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Aegypti, vel hic ſuburbicariarum prouinciarũ ſollicitudinẽ gerat.* & Aurelius Carthagineñſis Epiſcopus [c] in Concilio Africano: *Ego enim cunctarum Eccleſiarum dignatione Dei ſollicitudinem ſuſtineo.* Porrò Meſſanenſem Epiſcopum totius Siciliæ ſollicitudinem habuiſſe tùm illa indicant, quæ Felicem erga Fratres ſuos ſtudioſum, ac diligentem eſſe iubent, tùm illa quoque digniſſima Gregorij nomine, vigilantiaque verba: *Paterna vos dilectione ſalutãtes hortamur, vt propoſita oportunitatis occaſione in veſtra efficacia enixiùs elaborare debeatis, atq; id modis omnibus, quibus poſſibile fuerit, omni ſtudio agere contendatis, quatenùs praedicabile deſiderium veſtrum in auxilium OMNIVM adiuuante Domino compleatis. Nec hoc quoque in hac ſollicitudinis parte relinquimus, quòd omnes inceſtuoſi à liminibus Eccleſiae ſanctae ſunt ſeparandi, quouſque per ſatisfactionem precibus SACERDOTVM eidem Eccleſiae reconcilientur.* Sacerdotum quidem nomine hoc loco Epiſcopos Veteribus dictos, tùm Africani [d] Patres indicant, tùm & Gregorio præſertim recepta notio, & iam ante alij [e] annotarunt, Presbyteros ſecundos Sacerdotes, aut ſecundi ordinis Sacerdotes eò appellatos, quòd ea nota diſtinguerentur ab Epiſcopis, qui primi ordinis, vel, quod idem eſt, ſummi Sacerdotes audiebant.

[a] Inter decreta Felicis Papæ.

[b] lib. 1. cap. 6.

[c] Cap. 22.

[d] In Collect. Canõ. African. Can. 101.

[e] Iacob Sirm. ad Sidõ. Apoll. lib. 4. ep. 11.

### Romanum Pontificem leges à ſe conditas ad Metropolitanos ſcribere ſolitum. horum muneris fuiſſe eaſdem in prouincijs promulgare.

## CAPVT XVI.

IAm verò, vt ad alia tranſeam, quale, obſecro, illud eſt, quod ex eadem epiſtolà docemur, Pontificis Romani mandata Siculis Epiſcopis per Meſſanenſem Antiſtitem innotuiſſe? quis hic clariora Metropoliticæ dignitatis veſtigia deſideret? quis non in hoc ipſo obeundo munere Archiepiſcopale faſtigium agnouerit? vt enim in Ciuili Politia mādata Principis in Metropoli a proponebātur, quò faciliùs à capite in reliquum veluti prouinciæ corpus vulgarentur, ita & in Eccleſiaſtica Republica, quicquid Romanus Pontifex decreuiſſet, Metropolitani munus fuit ſubiectis Epiſcopis indicare. Hùc nimirum pertinēt illa frequentiſſimè vſurpata Pontificum monita, Innocentij I. b ad Aurelium Carthaginienſem: *Frater cariſſime, haec velim cuncta recitanda per omnes Africanas Eccleſias ſcripta dirigas.* Leonis I. c ad Nicetam Aquileienſem: *Hanc autem epiſtolam noſtram, quam ad conſultationem tuae fraternitatis emiſimus, ad omnes Fratres, & comprouinciales tuos Epiſcopos facies peruenire, vt omnium obſeruantiae data proſit authoritas.* Non diſſimilia his habent Siricius, & Zoſimus I. quorum ille d ad Himerium Tarraconenſem Archiepiſcopum: *Nunc fraternitatis tuae animum magis, ac magis incitamus, vt haec, quae ad tua conſulta reſcripſimus, in omnium Epiſcoporum facias perferri notitiam, & non ſolum eorum, qui in tua ſunt Diœceſi, ſed etiam ad vniuerſos Carthaginenſes, & Bethicos, Luſitanos atque Gallecos haec, quae à nobis ſalubri ſunt ordinatione diſpoſita, ſub litterarum tuarū prouiſione mittantur. Et quamquā ſtatuta ſedis Apoſtolicae, vel canonum venerabilia definita nulli ſacerdotum Domini ignorare ſit liberum, vtilius tamen, atque pro antiquitate ſacerdotij tui dilectioni tuae eſſe admodum poterit glorioſum, ſi ea, quae ad te ſpeciali nomine generaliter ſunt ſcripta, per vnanimitatis tuae ſollicitudinem in Fratrum noſtrorum notitiam perferantur. quatenus quae à nobis ſunt ſalubriter conſtituta, intemerata permaneant, & omnibus in poſterum excuſationis aditus, qui iam nulli apud vos patere poterit, obſtruatur.* Hic e verò ad Heſychium Salonitanum item Archiepiſcopum: *Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuae derogaremus, ad te potiſſimū ſcripta direximus, quae in omnium Fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum facies ire notitiam, non ſolum qui in tua prouincia ſunt, ſed etiam*

a Iuſtinian. In Nouel. 1. de haered & falcid circa finem.

b ep. 12. & 19. ad Alexandrū Antiochenum.

c ep. 77. aliàs 85. tomo 1. ep. decret.

d Epiſt. 1.

e Epiſt. 2.

*qui vicinis dilectioni tuae prouincijs adiunguntur.* Sed apertiora hæc fient ex VI. Iuſtiniani Nouella, quæ Epiſcoporum electioni formam præſcribit. ſic enim circa finem habet: *Sanctiſsimi ſanè Patriarchae vniuſcuiuſque Dioeceſeos haec proponant in Eccleſijs ſub ſe conſtitutis, & manifeſta faciant Deo amabilibus Metropolitanis, quae à nobis conſtituta ſunt. Illi quoque rurſus etiam ipſi proponant in Metropolitana ſanctiſsima Eccleſia, & conſtitutis ſub ſe Epiſcopis haec manifeſta faciant. illorum verò ſinguli in propria Eccleſia haec proponãt.* Carthaginienſem quoque Archiepiſcopum omnium primum Apoſtolicæ ſedis mandata excipere ſolitum, poſt verò prouincialibus ſuis nunciaſſe illa indicant Cornelij [a] ad Cyprianum Carthaginienſem: *Has litteras puto te debere, Frater cariſsime, ad caeteras Eccleſias mittere, vt omnes ſchiſmatici, & haeretici de die in diem dolum euacuent.* Agapiti [b] ad Reparatum item Carthaginienſem: *Vniuerſa praeterea, quae inimicorum peruerſitas inuaſerat, iura Metropolitana charitati tuae reparantes, hortamur, vt ea quae tuo vel aliorũ nomine reſcripſimus, vniuerſis debeas innoteſcere. Metropolitani quippe authoritate ſuffultum, ne quis ſe excuſabiliter aſſerat ignorare, quòd ſedis Apoſtolicae principalitas canonum conſideratione praeſcripſit.* Qui poſtremus Agapiti locus omnium clariſſimè veterem hunc antiquitatis ritum probat. teſtatur enim Pontifex reſtitutis ſua opera Reparato Metropoliticæ dignitatis prærogatiuis, hanc inprimis reſtitui oportuiſſe, vt eius iuris eſſet, ac muneris, præſcriptas à Romana ſede leges in prouincia promulgare, ne cui prouinciali Epiſcopo integrum in poſterum eſſet, legitimam earũ ignorantiam prætendere. Qui mos adeò veteri illo ſæculo obtinuit, vt ſi quando Romanus Pontifex ab Epiſcopis conſultus reſpondiſſet aliquid, quod ad Eccleſiarum regimen vniuerſim pertineret, expreſſim quoque iuberet, vt ea Sedis Apoſtolicæ reſponſa ad Metropolitanum perferrentur, à quo poſtmodum alij diſcerent, quid facto opus eſſet. Hinc Leo I. [c] ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum ſcribens: *Haec autem, inquit, Frater cariſsime, quae ad interrogationem dilectionis fraternitatis tuae reſpondi, ne aliquid contrarium ſub ignorantiae excuſatione geratur, in Metropolitani tui facies notitiam peruenire, vt ſi qui fortè ſunt Fratrum, qui de his ante putauerint ambigendum, per ipſum de omnibus, quae ad te ſcripta ſunt, inſtruantur.* Neque ab his diſſentit Gregorius [d] ad Dominicum Calaritanum Metropolitanum: *Ea autem, quę fraternitati tuae ſcripſimus, cunctis ſub vobis Epiſcopis innoteſcite, quia ego illis ſcribere nolui, ne honorem veſtrum viderer imminuere.* Itemque Zoſimus [e] ad Heſychium Salonitanum Archiepiſcopum: *Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuae derogaremus, ad te potiſsimum*

[a] Epiſt. 46.

[b] Epiſt. 2.

[c] Epiſt. 89.

[d] lib. 3. ep. 26. Indict. 12.

[e] Epiſt. 1. & Boniſac. 2. ad Alexand. Epiſ.

*tiſsimùm ſcripta direximus, quae in omnium Fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum facies ire notitiam, non tantum eorum, qui in tua prouincia ſunt, ſed etiam qui vicinis dilectioni tuae prouincijs adiunguntur.* Quare nihil miror Ioannem à Boſco Viennenſis Epiſcopi eximiam prærogatiuam inde potiſſimùm adſtruere, quòd ille vnus cæteris Galliarum Epiſcopis Apoſtolicæ Sedis iuſſiones denunciarit; cùm tot hiſce teſtimonijs conſtet certiſſimùm id fuiſſe Metropolitanæ dignitatis argumentum.

## *Eccleſiaſticarum legum tutela Metropolitis permiſſa. Honoris vox qua acceptione Gregorio vſurpata.*

## CAPVT XVII.

SEd & illud maximè hanc eamdem ſententiam confirmat, quòd Eccleſiaſticarum legum, quæ ILLIC (familiare eſt Gregorio verbum iſtud, quod a hoc loco prouinciam illam, nempe *Siciliam*, ſignificat) à Pontifice Romano ſtatuerentur, cura ac veluti tutela Meſſanenſi Antiſtiti demandatur: *Curam praeterea,* inquit, *de omnibus, quae vobis, aliiſque Fratribus, & generaliter cunctis pro illicitarum rerum prohibitione ſcripſimus, habere VOS per omnia cognoſcamus, quia omni ſtudio, omniq; adniſu neceſſe eſt, vt FRATERNITATIS VESTRAE diligentia compleantur, atque ILLIC omnia, quae pro animarum ſcripſimus ſalute, fideliter recenſeantur.* Archiepiſcopalis quippe authoritatis eſt curare, Romanæ ſedis iuſſa, ne à quoquam temerè infringantur, aut per ſuperbiam negligantur. Damaſus b ad Aurelium Carthaginienſem: *Quae te & cuſtodire optamus, & alijs publicanda, ac praedicanda mandamus, vt ab omnibus inuiolatè debita veneratione cuſtodiantur, & inuiolatè ſeruentur.* Hilarus c ad Aſcanium Tarraconenſem: *Tuae ſollicitudinis eſt, Frater cariſsime, omnia debita tibi authoritate tueri, & illicitis non tantùm non praebere conſenſum, ſed & cuncta, quae contra regulam facta repereris, coercere.* Eodem reſpexit Leo I. d ad Septimium Altinenſem: *Cum Metropolitano det operam, vt circumſpectè, ac velociter impleantur ea, quae ad totius Eccleſiae incolumitatem, & laudabiliter ſunt geſta, & ſalubriter ordinata.* Et ad Nicetã e Aquileienſem: *Non autẽ dubitet dilectio tua, nos, ſi, quod nõ arbitramur, neglecta fuerint, quae pro cuſtodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs commouendos, quia inferiorum ordinum culpae ad nullos magis ſunt referendae, quàm ad deſides, negli-*

a lib. 9. Indict. 4. ep. 35. & 36.

b Epiſt. 5.

c Epiſt. 3.

d Ep. 77. aliàs 90. tomo 1.

e Ep. 84. aliàs 89.

a Epiſt. 3.

*negligenteſq; rectores.* In quam eamdem ſententiam alibi idem Leo a ſcripſerat ad Iulianum Nicetæ deceſſorem.

Tandem illa me mouet clauſula, qua Felix *PRAECAETERIS electus eſſe dicitur ad HONOREM ILLVM.* qui qualis fuerit, ipſum Gregorium interpretem aduocemus neceſſe eſt, quo ſanè fideliorem reperiri poſſe vix puto. Is, vt laudatum paulò ante locum ex epiſtola ad Dominicum Calaritanum prætercam, quo ſe ad eum potiſſimùm ſcripſiſſe docet, ne, ſi ad eius Suffraganeos litteras dediſſet, honorem illius (id eſt, ius Metropoliticū) imminuiſſe videretur, ad Vigiliū Arelatenſem b de collata ei Primatis ſeu Metropolitani dignitate ſcribens, cùm tota illa epiſtola HONOREM ILLVM pluries repetit, tùm ijs verbis epiſtolam claudit: *Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, honoremque perceptum vos moribus ſeruare concedat.* Quibus verbis haud dubiè Archiepiſcopalem, aut Primatis prærogatiuam ſignificare voluit, qua Vigilium ante exornarat. quod & Vincentius Salernus c agnoſcit in notis ad eius vitam. Equidem, ſi quis coniecturis in re antiqua locus, in ſuſpicionem adducor, ita Veteres clauſiſſe interdū epiſtolas, quas ad Metropolitas darent. nempe adiectis bonis precibus, votiſque, quibus eis diuturnum, ac felicem optarent honorem illum, nempe Metropoliticum. nam præter hos duos Gregorij locos, video Eugenium Pontificem, cùm ad Bernardi Archiepiſcopi Viennenſis conſultationem reſponderet, ita demùm finem dicendi feciſſe: *Deus omnipotens veſtrum ſemper & Eccleſiae veſtrae ab hoſtibus honorem cuſtodiat.* Itemq; Eutichianum d ad Ioannem Beticum Metropolitanum: *Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, honoremq; à Deo vobis collatum moribus ſeruare concedat.*

b Lib. 4. Ep. 51. Indict. 13.

c In Chronograph. SS. Monaſterij Lerenenſis. & Berr. Diatrib. 2. c. 5. pag. 201. & Diatrib. 2. cap. 4. pag. 187.

d Epiſt. 1.

## *Felicis Meſſanenſis Epiſcopi ad Gregorium Pontificem epiſtola recitatur.*

## *CAPVT XVIII.*

QVòd ſi quiſquam adeò peruicaci ingenio ſit, vt in apertiſſima, & tot veteris æui obſeruationum luce Gregorij mentem non aſſequatur, vel, quod verius puto, ſe non aſſequi ſimulet, percurrat, oro, ſi placet, alias Gregorij eiuſdem epiſtolas, quas ad Ioannem e Iuſtinianæ Primæ Archiepiſcopum, ad Ioannem f Corinthium, ad Dominicū g Carthaginienſem, ad Ætherium h Lugdunenſem, Deſide-

e Ep. 8. lib. 4. Indict. 13.
f Ep. 55. lib. 4. Indict. 13.
g Ep. 62. lib. 5. Indict. 14.
h ep. 111. lib. 7. Indict. 2 & lib. 9. ep. 50. Ind. 4.

Deſiderium [a] Viennenſem, Syagrium [b] Auguſtodunenſem, Vigilium [c] Arelatenſem dedit; quos ille eiſdem præfationibus primùm ſalutat, iiſdemque argumentis, atque hortationibus penè & verborum formulis eorum officij monet, *vt vigilantiam in Archiepiſcopali munere adminiſtrando exhibeant, vt doctrina, vt exemplo ſubditis praeeant, vt annua Concilia prouincialibus Epiſcopis indicant, vt quae reliqua ſunt eius dignitatis onera ſedulò, diligenterque exequantur.* Prorſus vt deprehendere mihi videar certas Gregorio fuiſſe epiſtolarum formulas, quæ ad Metropolitanos ſcribendæ eſſent: eaſq; identidē pro rerum, pro cauſarū articulis, vti res tulit, immutare ſolitum. Sed clariora, opinor, hæc fient, ſi illam ipſam in medium afferam noſtri Felicis epiſtolam, qua Gregorium, ita, vt ſuperiùs eſt dictum, reſcribentem ante conſuluerat. ſi quidem tùm ex eius verbis, tùm ex vtriuſque comparatione facillimum fuerit huius Metropoliticæ dignitatis, quam inquirimus, certiſſima veſtigia deprehendere. Conſulendi Pontificis illa fuit occaſio. cùm enim D. Gregorius Auguſtino Anglorum Epiſcopo indulſiſſet, vt ratum haberetur in ijs regionibus matrimoniū, quarto conſanguinitatis gradu contractum, graue ſcandalum multos inceſſit, præſertim verò noſtræ Siciliæ Epiſcopos. Cùm igitur iſti Felicem Meſſanenſem ſuper huius, aliarumque rerum conſultatione conueniſſent, atque is grauiores eas controuerſias cenſuiſſet, quàm, vt iudicio ſuo terminari deberent, rem omnem ad Gregorium retulit. Neminem autem latere, opinor, Metropolitanorum munus fuiſſe exortas præſertim de rebus fidei, aut morum controuerſias recta ad Apoſtolicam ſedem perferre eius ſententia explicādas. Hoc nimirū Romani Pōtifices recens creatos Metropolitanos ſeriò admonere ſoliti, plenæq; ſunt eiuſmodi conteſtationibus Leonis I. ad Anaſtaſiū Theſſalonicenſem, Vigilij ad Eucherium Lugdunenſem, item & ad Auxanium, & Aurelianum Arelatenſes epiſtolæ.

[a] ep. 111 lib. 7. indict. 2. & ep. 117. codē lib. [b] ep. 111 lib. 7 Ind. 2. & epiſt. 113. [c] ep. 111. lib. 7. Ind. 2 & lib. 9. Ind. 4. ep. 49.

## EPISTOLA FELICIS SICILIÆ EPISCOPI Sancto Gregorio Papæ Romanorum directa.

*Domino beatiſsimo, & honorabili Sancto Patri Gregorio Papae Felix veſtrae ſalutis amator.*

*Beatiſsimae veſtrae ſalutis, ac ſanctitatis iura, penes Deum ſunt manifeſta, dùm praedicationibus ſcilicet Apoſtolicis, & doctrinae verae fidei cultura vniuerſa repleta ſit terra; per diuinorum tamen eruditionem eloquiorum veſtra inſtruente admonitione exhortatoria ſuperędificatur orthodoxa Chriſti Eccleſia Apoſtolica inſtitutione fundata, & à fidelibus patribus firmiſsimè roborata.*

*borata. Ad quam omnes beatiſsimi Apoſtoli pari honoris, & poteſtatis conſortio praediti populorum agmina conuertentes, piè, ſanctèque de tenebris ad lumen, de lapſu infidelitatis ad veram fidem, de morte ad vitam homines diuinae praedeſtinationis gratia praeſcriptos ſalutaribus praeceptis, ac monitis perduxerunt. Quorum ſanctorum Apoſtolorum veſtra Fraternitas honoranda ſequens merita, & perfectiùs implens exempla, Eccleſiam Dei morum probitate, & actuum ſanctitate condecorat, & fide ſacra, Chriſtianiſque moribus vigens, quae fieri Deo placita praecipit, ſtudijs Pontificalibus indeſinenter operatur, & perficit, ſeruans diuinae legis praecepta, quia* non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, *ſicut narrat Apoſtolus,* ſed factores legis iuſtificabuntur. *Haec quidem meditantes perlatum eſt, ſicut à quibuſdam Roma venientibus vos Auguſtino conſodali noſtro, per venerabilem ſanctitatem veſtram poſtmodum Epiſcopo Anglorum gentis ordinato, & illuc directo, atque Anglis ſcripsiſſe, quos olim ad fidem conuerſos per vos cognouimus, vt quarta progenie coniuncti non ſeparentur. quae conſuetudo dudum in illis, aut iſtis partibus, quando vna vobiſcum ab infantia nutritus, atque edoctus fui, non erat, nec in vllis praedeceſſorum veſtrorum, aut reliquorum generaliter, vel ſpecialiter Patrum inſtitutis legi, aut hactenus ab vllis ſapientibus eſſe ſeruatum didici, ſed ſemper vſque ſeptimum originis ſuae gradum hoc à ſanctis Patribus tam in Nicaena Synodo, quàm & in alijs ſanctis Concilijs ſeruari debere reperi, & à rectè viuentibus, & Deum timentibus hominibus ſtudioſè praeuideri cognoui. Dùm haec nobiſcum verſabantur, ſuperuenere & alia, de quibus neceſſe nobis videtur veſtram conſulere authoritatem. Deuenerunt quippe ad nos tàm Benedictus Syracuſanae Eccleſiae Epiſcopus, quàm & alij Fratres noſtri, & quidem lacrymantes, & dicentes, per ſaeculares, & laicos nimis ſe eſſe turbatos, atque animo afflictos, ſuper immoderatis actibus eorum, pro quibus, & aliqua merita eis impingebantur. Sunt etiam quaedam Eccleſiae in noſtra prouincia, ſuper quarum conſecrationibus dubitatur, & tàm propter earum cuſtodum incuriam neſcitur, vtrum dedicatae ab Epiſcopis fuerint, nec ne. Super quibus omnibus nos à veſtra ſanctitate, ac veſtrę ſedis authoritate inſtrui precamur, & vtrũ ea, quę ſicuti praediximus, praefato conſodali noſtro Auguſtino Epiſcopo, & Anglorum genti ſcripsiſſe audiuimus, ſpecialiter ei, an generaliter omnibus ſcripta ſint, ſcriptis veſtris imbui quęſumus, & de hac, ſiue de alijs praeſcriptis rebus pleniter informari cupimus. Nos enim ea quae legimus, & obſeruari à fidelibus cognouimus, non increpando, quod abſit, vobis ſignificamus, ſed quid rationabiliter, & fideliter ſuper his obſeruare debeamus requirimus. Et quoniam non modicum murmur ſuper hac re nobiſcum verſatur*

*quid*

*quid reſpondere Fratribus, & Coepiſcopis noſtris debeamus à vobis quaſi à capite reſponſum quęrimus, ne ſuper his ancipites remaneamus, aut murmur vllum, tam noſtris temporibus, quàm poſt inter vos, & alios remaneat, rumorque veſter, qui ſemper bonus, & optimus fuit, detractionibus laceretur, vel ſubrodatur, aut nomen veſtrum, quod abſit, ſuperuenientibus temporibus blaſphemetur. Nos autem, quae recta ſunt, authore Deo humili corde ſeruantes, vno vinculo charitatis vobis conſtricti, veſtram religionem, vt fideles alumni, defendentes, à vobis, quae recta ſunt, quaerimus. ſcimus enim, vt ſemper ſanctę Sedis Praeſules, primo Apoſtoli, deinde ſucceſſores eorum fecerunt, vos vniuerſalis Eccleſię, & maximè Epiſcoporum, qui oculi propter contemplationem, & ſpeculationem vocantur Domini, curam gerere, ac de religione, & lege veſtra aſſiduè cogitare, ſicut ſcriptum eſt:* Beatus vir, qui meditabitur in lege Domini die, ac nocte. *Quae meditatio non lectione per figuram litterarum tantùm conſpecta ab exuberante in vobis Chriſti gratia in veſtra cognoſcitur ſcientia immobiliter inſita, nullatenus de corde veſtro recedente lege Chriſti, & iuſtitia Domini ſacroſancta, ſicut in pſalmis dicit Propheta:* Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium, lex Dei eius in corde ipſius, *non atramento, ſed ſpiritu Dei viui veſtris in arcanis conſcripta. Non igitur in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis. Extinguatur, oramus, veſtris ſapientiſſimis reſponſis, & auxilijs omnis tenebrarum caligo, vt Lucifer nobis reſplendeat per vos ſanctiſſime Pater, & dogmatica definitio omnes vbique laetificans, qua glorioſi ſancti Eccleſiae Patres propria; & piiſſima dogmata in ęternae vitae firmam haereditatem prędicare noſcuntur. Incolumem vos, & Deo placitum ſancte Pater Patrum orantem pro nobis Dominus conſeruet in aeuum.*

***Conſulendi Romanum Pontificem ius penes ſolos Metropolitanos. Apud eoſdem inſtituta Epiſcoporum accuſationes.***

## *CAPVT XVIIII.*

HÆC quidem Felix. In quibus ſanè videre eſt inſigniter depictum Metropolitani Epiſcopi zelum, qui ne aduerſa quidem erroris ſuſpicione magiſtram omniũ Romanam Eccleſiam laborare patiatur. Vides Felicem Eccleſiæ Prouincialis ſtatum, quæ eius adminiſtrationi tradita fuerat, Pontifici vniuerſali ſollicitè, fideliterq; indicaſſe,

Quod tùm Primatis, tùm Metropolitani munus eſſe probat Ioannes à Boſco [a] ex epiſtola Gregorij II. ad Auſtrobertum Viennenſem. Idemque etiam Maximi Antiocheni exemplo, aliorumque inſuper Archiepiſcoporum docere poſſem; qui ſuis litteris ſubiectarum ſibi Eccleſiarum Politiam Leoni I. ac reliquis identidem Romanis Pontificibus aperuere. Vides cauſas non parum graues ex canonum præſcripto ad Apoſtolicæ Sedis iudicium reieciſſe. Vides ipſos Siculos Epiſcopos, inprimis verò Syracuſanum, quid in ijs controuerſijs ſequendum eſſet, Meſſanenſem Epiſcopum, ſuum videlicet Metropolitanum conſuluiſſe ex veteri more. Sic Cyprianus Carthaginienſis [b] narrat, veniſſe ad ſe prouinciæ Epiſcopos de Eccleſiaſticis rebus diſceptaturos: *Nam ego, & Collegae plurimi,* inquit, *qui conuenerũt, expectauimus aduentum Collegarum noſtrorum.* Et Aſcanius Tarraconenſis Archiepiſcopus ad Hilarum Papam: *Hinc factum eſt,* ait, *vt de Syluani miſerrima temeritate ad nos Cęſarauguſtanae vrbis Epiſcopus Frater noſter vniuerſa referret.* & multò ante in Cõcilio Antiocheno [c] ſub Iulio ſancitum fuerat: *Ad Metropolitanam ciuitatem concurrant omnes, qui habent negotia.* Notiſſimũ quippe erat, cõſuetudinis Eccleſiaſticæ eſſe, vt Epiſcopi non priùs conſulant Romanum Pontificem, quàm ſuorum Metropolitanorum ſententiam explorauerint: *Quos ſi eadem,* inquit Baronius [d], *contigerit ignorare, tunc demum adeundam eſſe Sedem Apoſtolicam, ſicque inconſultis Primatibus, aut Metropolitanis nihil debere Epiſcopos illi ſubiectos inquirere.* Non ab his diſſentit Conſtantinus Harmenopolus, [e] qui ex XXXIV. Apoſt. canone, & IX. Antiochenæ Synodi hanc epitomen habet: *Abſque ſuo Primate nihil Epiſcopi faciant, niſi vt quiſque negotia ſuae Parochiae tractet.* & ad eum Scholiaſtes: *De dogmaticis,* inquit, *queſtionibus loquitur, deque publicis delictis, & inſtitutione Epiſcoporum.* Id quod fortaſſe à Ciuilis Reipublicæ forma Veteres noſtri mutuati ſunt, in qua non cuicunque ex minoribus magiſtratibus Principem conſulendi ius erat; ſic enim Vlpianus [f] ſcribit: *Legatos non oportere Principem conſulere, ſed Proconſulem ſuum, hunc verò ad conſultationes Legatorum reſpondere.* Inde factum eſt, vt cùm Theodorus Foroiulienſis Epiſcopus omiſſo Metropolitano Leonem I. per epiſtolam adijſſet, hanc ab illo reprehenſionem cum reſponſo tulerit: [g] *Sollicitudinis quidem tuae is ordo eſſe debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitùs de eo, quod quęrendum eſſe videbatur, cõferres, ac ſi id, quod ignorabat dilectio tua, etiam ipſe neſciret, inſtrui vos pariter poſceretis; quia in cauſis, quae ad generalem obſeruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, ſine Primatibus nihil oportet inquiri.* Additque ſub finem: *Haec autem, Frater,*

[a] In Antiquitat. Viennenſ.

[b] Ep. 41.

[c] Cap. 9.

[d] tomo 6. anno 452. nu. 62.

[e] In Epitome SS. Canonum ſect. 1. tit. 4.

[f] l. legatos, D. de offic. procõſ. Briſſonius de formulis RR. pag. 342.

[g] Epiſt. 89.

*ter, quae ad interrogationem dilectionis tuae ideò reſpondi, ne aliquid contrarium ſub ignorantiae excuſatione gereret, in Metropolitani tui facias notitiam peruenire; vt ſi quis fortè Fratrum de his putauerit ambigendum, per ipſum de omnibus, quae ad te ſcripta ſunt, inſtruatur.* Quibus & Bonifacius Martyr conſentit in præcitata epiſtola: *Vnuſquiſque Epiſcopus,* ait, *ſi quid in ſua Diœceſi corrigere, vel emendare nequiuerit, itidem in Synodo coram Archiepiſcopis, & palam omnibus ad corrigendum inſinuet, eodem modo, quo Romana Eccleſia nos ordinatos conſtrinxit cum Sacramento, vt ſi Sacerdotes, vel plebes à lege Dei deuiare viderem, & corrigere non poſſem, fideliter Sedi Apoſtolicae, & Vicario S. Petri ad emendandū indicarem.* Quocirca frequentiſſimas legimus Metropolitanorum conſultationes Nicetæ Aquileienſis ad Leonem, Reparati Carthaginienſis ad Agapitum, Stephani item Carthaginienſis ad Damaſum, Cæſarij Arelatenſis ad Symmachum, Zacchariæ ad Ioannem, Aurelij Carthaginienſis ad Innocentium, Heſichij Salonitani ad Zoſimum, Victricij Rothomagenſis, & Exuperij Tholoſ. ad Innocentium, Euſebij Mediolanenſis ad Leonē, Auiti Viennenſis, Ioannis Nicopolitani, Dorothei Theſſalonicenſis ad Hormiſdam, & ſexcentas ferè alias. Atque hoc, opinor, illud eſt, quod Felix noſter ſcribit: *Super quibus omnibus nos à veſtra Sāctitate, ac veſtrae Sedis authoritate inſtrui precamur.* Itemque illud: *Extinguatur, oramus, veſtris ſapientiſſimis reſponſis omnis tenebrarum caligo, & Lucifer per vos nobis reſplēdeat, ſanctiſſime Pater, & dogmatica definitio omnes vbique lętificans.* Quibus & paria Gregorius reſpondet. *Exegit ergò dilectio tua, Frater chariſſime, vt ex authoritate Sedis Apoſtolicae tuis deberemus conſultis reſpondere.* Nempe non aliud iſta indicant, quàm veteris æui ritum, quo ſi quid dubij in prouincijs incidiſſet, quòd ad generalem morum, aut fidei diſciplinam pertineret, Metropolitanum ab Epiſcopis conſuli mos fuit: illum viciſſim Romanum Pontificem per literas adire, ab eoque petere, vt *ex authoritate Sedis Apoſtolicae,* vel, quod idem eſt, *ex vigore Sedis Apoſtolicae* ſubortas controuerſias definiret. Quas loquendi formulas non alibi vſitatas reperias, pręterquā in mutuis hiſce inter Pontificem, ac Metropolitanos conſultationibus, & reſponſis, prorſus vt vbiq; ab ijs abſtinuiſſe de induſtria inferioris ordinis Epiſcopi videantur, vt qui pernouiſsēt nō eorū eſſe muneris ad Rom. Epiſcopū referre de quęſtionibus ex Sedis Apoſtolicæ authoritate diiudicādis.

Porrò verò, vt illud prætercam, quòd Felix, cùm de ſe loquitur, pluralis numeri ſignificatione perpetuò vtitur, ex veteri Metropolitarū more, vt Seuertius [a] opinatur, multò hæc apertiora fient, ſi illud inſpexerimus, quæſiſſe ex Gregorio Felicē,

[a] Hiſt. Lugd. part. 3. cap. 5. ſect. 1. §. 7.

quis ſibi modus tenẽdus eſſet in ſuſcipiendis Epiſcoporũ accuſationibus, quos ſæculares, & laici homines multis de criminibus appellabãt; hunc verò reſpõdiſſe nullas eſſe ſubditorũ partes in Epiſcopis accuſandis. proindeque debere Felicem, vt cui Metropolitico iure prouinciæ cura incumbat, eorũ conatibus obuiam ire, ſuoſque Fratres ab obiectorum criminum inuidia liberare. Sed ipſum Gregorij reſponſum accuratiùs conſideremus. *Caeterùm*, inquit, *ſuper vexatione Epiſcoporum, quia nos conſulere voluiſti, ſcimus, quia à nullis vita Praeſulum perturbari debet.* & poſt multa: *Vnde valdè prouidendum eſt ſubditis, tàm clericis, quàm laicis, ne Epiſcoporum, ne Prępoſitorum vitam temerè reprehendant, ſi quid eos fortaſſe agere reprehenſibile videant, ne vnde mala redarguunt, inde per elationis impulſum in profunda mergantur. Admonendi etiam ſunt, ne, cùm culpas Prępoſitorum ſuorum conſiderant, contra eos audaciores fiant.* tùm deinde: *Quapropter admonendi ſunt ſubditi vtriuſque ordinis viri, vt cùm magiſtrorum ſuorum facta conſpiciunt, ad ſuum cor redeant, & de eorum increpationibus non praeſumant.* Quæ ſanè verba id, quod hactenus deducebam, mirificè confirmant. Eccur enim vnum Meſſanenſem Epiſcopum cura illa reſpexit, ne Pontificum vita à ſubditis reprehenderetur, ſi inferioris gradus Epiſcopus erat, non Metropolitanus? aut qua ratione Felix excuſari potuiſſet à ſuſpicione arrogantiæ, vel ambitionis, quòd de Antiſtitum ſibi neutiquam ſubiectorum accuſationibus, atque adeò de re nihil ad ſuum forum pertinente Romanam Eccleſiam conſuleret, ſi non id Metropolitani iure, atque authoritate feciſſet? Accedit, quòd iubetur Felix ſubditos, prouinciales nempe ſuos, monere diligenter, ne in Antiſtitum mores inquirant, neue eorum iudicia ſibi adrogent. Atqui abſurdè id peteretur, niſi etiam Metropolitico nomine toti prouinciæ præfuiſſet; nam quia [a] Epiſcoporum iudicia apud Metropolitanos proponi ſolita, eaque ipſi cum concilio Sacerdotum finiebant, hos etiam Romani Pontifices frequentiùs admonuere, [b] ne paſſim ſubditorum querelas exciperent, nec priùs eas admitterent, quàm omni ope componere partium ſtudia tentaſſent. Expreſſit hæc Damaſus [c] ad Stephanum Mauritaniæ prouinciæ Archiepiſcopum: *Monentes quoque debetis inſtruere memoratos vicinos veſtros, vt à talibus ſe abſtineant, & quę cõtra praefatos Fratres* (Epiſcopos) *egerunt, citò corrigant.* Plura quoque addit in tota epiſtola, quibus hanc ipſam ſententiam vrget, & clariùs Ioannes I. [d] ad Zacchariam Archiepiſcopum: *Omnes ergo, quę paſtori ſuo cõmiſſę fuerint, eum nec reprehendere, niſi à recta fide aberrauerit, debent, & nullatenus accuſare poſſunt, quia facta paſtorum non ſunt oris gladio ferienda, quamquam*

recte

a Dam. ad Stephan Arch. Afr Zepherin. ep. 1 ad Epiſc. Sicil. Felix II. ad Epiſcopos Alexandrinæ Synodi, cap. 18. 19. Lucius I. ep. 1. ad Galliæ, & Hiſp Epiſcopos c. 3. Higin. ep. 1. ad oẽs Chriſti fid. Victor. ep. 1. ad Theophilum. Alex. Sixt. II. ep. 1. ad Gratũ. Vigil ad Auxã. & ad Aurelian Arelat. Grego. lib. 1. Ind. X. ep 54. & lib. 2. Indict. XI. ep. 8.

b Stephan. ad Epiſc. per diuerſas prouincias conſtitutos epiſt. 2. D. Gregor. lib. 2. Indict. XI. ep. 8. Io. I. ad Zach. Archiep. ep. 1. Dioniſ. ad Seuerũ Cordub. ep. 2.

c Ep. 3.

d Ep. 1.

*rectè reprehendenda videantur. Ideò iſta dicimus, quia in ſcriptis veſtris reperimus, quoſdam Epiſcopos veſtris in partibus à proprys ouibus accuſatos.* & multò poſt: *Tu verò, Frater cariſſime, haec vide, ne tranſgrediaris, & reliquos Epiſcopos, tàm tuę curę commiſſos, quàm & alios firmiter tenere doceto.* Dionyſius quoque ad Seuerum Cordubenſem Metropolitanum: *Crimina verò, quae Epiſcopis impingi dicis per alios, non ſinas vllo modo fieri.* Poſſem ego veterem hunc prioris æui morem pluribus confirmare, niſi paſſim ijs teſtimonijs plenæ eſſent Decretales Romanorum Pontificum epiſtolæ.

## *Metropolitæ ſoli prouinciam habuere. Item Fratres, & Coepiſcopos.*

## CAPVT XX.

Sed, vt ad alia tranſeamus, quale illud eſt, quòd Felix tàm frequenter ea verba repetit: *NOSTRAE PROVINCIAE. FRATRES NOSTRI. FRATRIBVS, ET COEPISCOPIS NOSTRIS.* An non hæc ſententiam noſtram clariſſimè euincunt? *Praeterea,* inquit Seuertius, [a] *aliud etiam inſigne, quo vtebantur priſci illi Patres, vt Archiepiſcopum deſignarent, eſt huiuſmodi:* Subſcripſi cum Coepiſcopis meis. *Eſt, & ſit hoc ipſum, vbicumque aliquis Epiſcopus dicit, aut ponit ſe habere Coepiſcopos, quippe vſus ille docet talem cenſendum Archiepiſcopum, aut Metropolitanum, nam nullus Coepiſcopos habet praeterquàm Archiepiſcopus.* Sanè idipſum indicat Euſebius Mediolanenſis Epiſcopus in litteris ad Leonem datis: [b] *Admonitis ergò,* inquit, *Fratribus, & Coepiſcopis meis, habitoque conuentu formam tenuimus litterarum.* Capreolus verò Carthaginienſis [c] ad Concilium Epheſinum an non etiam *Fratres, & Coepiſcopos ſuos* appellat Antiſtites ſibi ſubiectos? Nec Nicolaus [d] abnuit ad Epiſcopos Galliæ ſcribens: *Vnuſquiſque veſtrum, qui Metropolitana iura ſortitus eſt, iunctis ſibi Fratribus, & Coepiſcopis ſuis, qui ſub ſe ſunt, &c.* Piget me hic omnes ferè Hincmari epiſtolas, piget ſexcenta alia Cypriani, [e] Leonis, Conciliorum teſtimonia proferre, quæ paſſim cuique obuia eſſe poſſunt.

Idemque etiam de *PROVINCIAE* vſurpatione cenſendum eſt; nemo enim iure poteſt prouinciam ſuam appellare, [f] niſi qui prouinciam ſub ditione habeat; quales Archiepiſcopi ſunt, & Metropolitani. Itaque eiuſmodi loquendi formu-

a Hiſt. Lugd. part. 3. cap. 5. ſect. 7. §. 1.

b Inter epiſt. Leonis ep. 50.

c Conc. Epheſ. edit Peltanæ tom. 2. cap. 19.

d Epiſt 70.

e Cyprian. ep. 45 48. Concil. Mogunt. I Carthag II Regieſe in fine. Aurelian III. in fine, Arelatenſ. ſub Leone I. Agathenſ. ſub Symmacho I.

f Seuertius loco citato.

lam in Primatibus, in Metropolitanis obſeruare eſt: exempli cauſa in Cypriano † Carthaginienſi Africæ Primate ad Cornelium Papam: *Sed & per Prouinciam noſtram haec eadem Collegis ſingulis in notitiam perferentes.* In Aſcanio Tarraconenſi Metropolitano, †† qui ad Hilarum Pontificē Romanum hæc ſcribit: *Syluanus quidā Epiſcopus Calaguritanus in vltima parte noſtrae prouinciae conſtitutus ordinationes ſibi indebitas vſurpando, &c.* Eadē ſentit Leo I. a ad Theſſalonicenſem Epiſcopum: *Venit namque ad nos cum Epiſcopis prouinciae ſuae Frater noſter Atticus veteris Epiri Metropolitanus Antiſtes.* Bonifacius b ad Hilarum Narbonenſem Metropolitanum: *Vnde, Frater cariſſime, si Ecclesiam praedictam* (Lutubenſem) *prouinciae tuae limes includit, noſtra authoritate communitus, quod quidem facere ſpontè deberes, ad eumdem locum, in quo talis ordinatio celebrata dicitur, Metropolitano iure munitus, & praeceptionibus noſtris fretus accede, intelligens arbitrio tuo ſecundum regulas Patrum, quaecunque facienda ſunt, à nobis eſſe conceſſa, ita vt peractis omnibus Apoſtolicae Sedi quicquid ſtatueris te referente clareſcat, cui totius prouinciæ tuæ ordinationē liquet eſſe mandatā.*

Tandem verò, quid putamus tot illa ſignificant, quòd ſiue ſacrarum ædium, quæ in prouincia eſſent, conſecratio in dubiū vocetur, ſiue de matrimonijs inter affines ineundis ſit quæſtio, ſiue Epiſcopi criminum rei peragantur, vnus Meſſanenſis Antiſtes à Collegis aditur, vnus Romanum Pontificem conſulit, vnus ſcire hæc ſe enixè cupere, ait, *vt eſſet, quòd Fratribus, & Coepiſcopis ſuis reſponderet.* An verò temerè, aut falsò hæc eum effutiſſe cenſuerimus, & crepantibus buccis ſibi ipſi ſubblandientem iſta de ſe magnificè iactaſſe? minimè verò, inquam, nec faſtuoſæ prædicationes, & gloriarum plenæ modeſtiſſimæ illius ætatis mores addecent. &, niſi fallor, ſanè quàm frequentes ſunt ad hanc formam ſcriptæ veterum Metropolitarum conſultationes, Lanfranci Cantuarienſis c ad Alexandrum, Aſcanij Tarraconenſis d ad Hilarum, Nicetæ e Aquileienſis, & Euſebij Mediolanenſis ad Leonem Magnum, Carthaginienſis Reparati f ad Agapitum, Arelatēſis Cæſarij g ad Symmachum, Zachariæ h ad Ioannem, Heſichij i ad Zoſimum, Acacij k ad Siriciū, Chriſoſtomi, l Aurelij, m Victricij, n & Exuperij ad Innocentium. Vnius Auiti o Viennenſis exemplum non præteribo. Is cùm Orientalis Eccleſia ſchiſmate ab Romana ſua ſpōte diſciſſa Gallicanæ cōmunionē ſuffurari per fraudē conaretur, petijt ab Hormiſda certiorem ſe fieri, quid Romanæ Sedis Legati ſuper vniuerſali Eccleſiæ pace Conſtantinopoli egiſſent his verbis: *Quæſumus ergò, vt, quod ſilus veſtris Fratribus meis, si conſulat, reſpondere debeam, inſtruatis.*

*Superlo-*

† Ep. 42 iuxta nouam editionem, & ep. 45 & 48.
†† Inter epiſtolas Hilari Papæ.
a Epiſt. 84 & Hilar. ad Veranium ep. 2.
b Epiſt. 3.
c Apud Baron. tom. 11. anno 1070. pag. 393.
d Inter epiſtolas Hilari Papæ.
e Ep. 55. & 83.
f Ep. 1. & 2.
g Epiſt. 1.
h Epiſt. 2.
i Epiſt. 1.
k Inter epiſtolas Siricij.
l Poſt epiſt. 31 & ep. 16.
m Ep. 31.
n ep. 1. & 2.
o Inter epiſtolas Hormiſdæ.

## *Superiorum Epilogus, & cur Felicis in Romanam Eccleſiam fides præ cæteris commendata.*

## CAPVT XXI.

ALioqui verò, quid erat, quòd Meſſanenſis Epiſcopus Gregoriani facti inuidiam vnus ſuſtineret? cur oborti in prouincia rumores, ob permiſſa Anglis inter agnatos coniugia, cum Felice potiſſimùm ad iras vſque, & querelas communicati? cur vnus ille rerum geſtarum rationem, atque ordinem Collegis aperire? cur Romanæ Sedis iudicium ab infeſtis calumniatorum accuſationibus tueri ſuo veluti iure compellitur? An non, quia Metropolitanus cùm eſſet, eius primæ erant partes in vindicanda Apoſtolicæ Sedis dignitate? Hùc nimirum pertinere mihi videtur comparatio, quam aptiſſimè tùm Felix, tùm etiam Gregorius hòc loco vſurpant. Ille enim *meritò ſe Gregorium veluti caput Eccleſiae conſulendum putaſſe*, ait. Hic viciſſim *rectè, & ex ordine feciſſe eum confirmat, qui nulla ſe ratione ab capite ſeiungi pateretur, quocùm vnum veluti corpus Epiſcopi efficerent*. Nam ſi, inquit, *in rebus ſaecularibus ſuum cuique ius, & proprius ordo ſeruandus, quantò magis in Eccleſiaſticis diſpoſitionibus nulla debet induci confuſio, ne ibi locum diſcordia inueniat, vnde pacis debent bona procedere. proinde multùm ſe Felici congaudere, quòd eum ita in ſuis actibus ſtudioſum inuenerit, vt Gregorij curam haberet, & ea ab ipſo inquireret, quae nedum apud homines gloriam, ſed & apud Deum praemia parere ei poſſint*. Quibus verbis, ſi ſapio, indicare voluit, cùm poſt Romanum Pontificem, qui caput ipſum Eccleſiæ refert, Primates, Metropolitani, Epiſcopi, potiſſimæ, ac principes miſtici huius corporis partes ſint, eumdem inter ipſos ordinem, ac conſenſum eſſe debere, quem natura inter humani corporis membra, & caput eſſe voluit. proinde æquum eſſe, vt ſi quid quæſtionis in prouincia inciderit, Epiſcopi Metropolitanos, hi viciſſim Primates, ſeu Patriarchas ſuos, omnes verò Romanum Pontificem conſulant. id quod, vt alios [a] prætercam, Vigilius Papa his verbis explicat ad Eucherij Lugdunenſis conſultationes: *Ad Romanam Eccleſiam, tàm ſumma Epiſcoporum iudicia, atque querelae, quàm maiores Eccleſiarum queſtiones, quaſi ad caput referendae ſunt. nam is, qui ſe ſcit aliis eſſe praepoſitum, non moleſtè ferat alium ſibi eſſe praelatum: ipſa namque Eccleſia, quae prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, vt in partem ſint vocatae ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Neque alia Leoni

a Iulius I. ad Epiſc Aegypt. in cauſa Athanaſij.

mens,

a Epiſt. 81. mens, cùm Anaſtaſio Theſſalonicenſi Epiſcopo præcipit a ad Romanum Pontificem referre obortas inter prouinciales Epiſcopos controuerſias: *Quoniam, inquit, & inter beatiſsimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quaedam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt caeteris praeemineret. de qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpenſatione prouiſum eſt, ne omnes omnia ſibi vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouincijs, quorum inter Fratres haberetur prima ſententia, & rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiae cura confluèret, vt nihil vſquam à ſuo capite diſsideret. Qui ergò quibusdam ſcit ſe eſſe praepoſitum, non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe praelatum, ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe dependat.* Hæc quidem Leo. Iure igitur Gregorius Felicem multa laude impertit, iure hominis fidem, prudentiamque honorifico teſtimonio commendat. Et ſi collatis vtriuſque verbis coniecturam facere licet, non temerè ſuſpicor, Siculos Epiſcopos, qui alioqui Grecis in Inſula rerum potientibus, Patriarcha itidem adnitente, proniori ſemper in Conſtantinopolitanam Sedem animo fuere (id quod de Catanenſi, & Syracuſana Eccleſijs ex eiuſdem Gregorij
b Infra cap. 26 epiſtolis colligi facilè poteſt, vt ſuo loco docebimus b) nunc tandem Gregorio cum Anglis indulgentiùs agente, vt qui videretur veterem Eccleſiæ diſciplinam à ſanctis Patribus inſtitutam temerè diſſoluiſſe, veluti data occaſione acriùs in Romanam Sedem inuectos, illam, eiuſque Pontificem licentiùs, procaciuſque obtrectationibus, & maledictis laceraſſe, an & reſilire quoque ab eius fide, & clientela eſſe conatos? id quidem ſubobſcurè Felix ijs verbis indicat. *Et quoniam non modicum murmur ſuper hac re nobiſcum verſatur, quid reſpondere Fratribus, & Coepiſcopis noſtris debeamus, à vobis quaſi à capite reſponſum quaerimus, ne ſuper his ancipites remaneamus, aut MVRMVR vllùm tàm noſtris temporibus, quàm poſt inter vos, & alios remaneat* (Græcos Patriarchas hic, puto, intelligit) *rumorque veſter, qui ſemper bonus, & optimus fuit, detractionibus laceretur, vel ſubrodatur, aut nomen veſtrum, quòd abſit, ſuperuenientibus temporibus blaſphemetur.* Pergit porrò Felix, & ſe, quicquid alij contra obnitantur, in Romanæ Eccleſiæ fide perpetuò hæſurum ſpondet: *Nos autem, quae recta ſunt authore Deo humili corde ſeruantes, vno vinculo charitatis vobis conſtricti veſtram religionem in omnibus, vt fideles alumni defendentes, à vobis, quae recta ſunt, quaerimus. Scimus enim, vt ſemper ſanctae Sedis* (Romanæ) *Praeſules, primò Apoſtoli, deinde ſucceſſores eorum fecerunt, vos vniuerſalis Eccleſiae, & maximè*

*ximè Epiſcoporum curam gerere, ac de religione, & lege veſtra aſsidue cogitare.* Quibus verbis alludere videtur Felix ad controuerſiam non multò ante excitatam inter Gregorium ipſum, & Ioannem Ieiunatorem Conſtantinopolitanum Patriarcham, de Oecumenici titulo vaniſſimè à Conſtantinopolitano vſurpato, aperteque profiteri, ſe vnum Romanum Pontificem Oecumenicum Epiſcopum agnoſcere, & Eccleſiæ caput, neque vnquam ſe ab eius fide diſceſſurum. Neque verò hic mihi laborandum cenſeo, vt oſtendam, non eos ſolum Epiſcopos (id quod aliquis ſuſpicari poſſet) Felici noſtro Metropolitica lege ſubiectos fuiſſe, qui in Meſſanenſi prouincia in præſentia cenſentur, ſed reliquos etiam Siciliæ totius Epiſcopos. Id enim tùm inde clariſſimum eſt, quòd ea tempeſtate Sicilia nondum in plures prouincias diſciſſa, ſed vnica, & ſolitaria erat; vnde & in Concilijs ferè omnibus Siculi Patres vnius ſe prouinciæ Siculæ Epiſcopos inſcribunt, Gregorij quoque ætate eam fuiſſe Eccleſiæ Siculæ formã teſtantur eiuſdem epiſtolæ; [a] tùm ex eo etiam conſtat, quòd in parte illa Siciliæ, quæ nunc Meſſanenſi prouinciæ ceſſit, duo tantummodo Epiſcopi Gregorio ſuperſtite numerabantur, Tauromenitanus, & Tyndaritanus; neque enim tùm Cephalœditana, aut Pactenſis Eccleſia extabat: idemque de Mylenſi ſuſpicor, cùm nulla ſit apud Gregorium earum mentio, nec priuſquàm in Sextæ, & Octauæ Conſtantinopolitanæ Synodi Actis occurrat. [b] Atqui Concilium, quod à Felice noſtro conuocandum erat, plurium multò, quàm trium Epiſcoporum conuentu conſtare debuiſſe, Gregorius ipſe indicat, ijs verbis: *Quatenus dùm per hoc, & praeterita corriguntur, & regulam futura ſuſcipiunt, omnipotens vbique Dominus Fratrum ore collaudetur, cuius vobis adeſſe praeſentiam ſcitote, quia ſcriptum eſt*: Vbi duo, vel tres cõgregati fuerint in nomine meo, in medio eorũ ſum. *Si ergò dignatur adeſſe duobus, vel tribus, quantò magis non deerit, vbi plures conueniunt Sacerdotes?* Quo clariſſimè innuit, ad Synodum illam haud quidem duos, aut tres ſolummodo Sacerdotes, ſed multò plures, atque adeò omnes Sicilię Epiſcopos conuocandos fuiſſe. id enim poſcit argumentandi locus à maioritate rationis, vt aiunt, deſumptus. Demum verò Felicem vniuerſæ Inſulæ iure magiſtratus præfuiſſe, an nõ liquidò ſuadetur, ex tàm multis illis epiſtolæ clauſulis: *Generaliter omnibus tenere mandamus: Vobis aliiſque Fratribus, & generaliter cunctis: Atque illic* (nempe in Sicilia) *omnia, quae pro animarum ſcripſimus ſalute, &c.* Quæ ſingulæ loquendi formulæ omnes vniuerſæ Siciliæ Epiſcopos veluti digito demonſtrare rectè conſideranti videbuntur.

a lib 1. ep. 1. 9. 13. Ind. 9 lib 3. ep. 12. Ind. 12. lib. 7 ep. 60. Ind. 2. lib. 9. ep. 45. Ind. 4.

b In Subſcriptionib. ad epiſtolas Agatonis Papæ.

*Iuſtinianum epiſtolæ ad Petrum Cnaphaum authorem Metropolitam fuiſſe, & Meſſanenſem Epiſcopum, & quo anno Eulalius Syracuſana Eccleſiæ Pontificatum inierit.*

## CAPVT XXII.

IAm verò, & ſi quæ hactenus diſſeruimus Siculæ Eccleſiæ Politiam illuſtrè reddere per ſe ipſa poſſint, nihilò tamē minorem lucē afferet Iuſtiniani, vel, vt alijs placet, Iuſtini ad Petrum Cnaphæum Antiochenum Patriarcham epiſtola. Cū enim iſte Sacro Triſagio per omnes Orientis Eccleſias decantari ſolito: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, blaſphemiam in hæc verba addidiſſet: *Qui paſſus es pro nobis*, atque adeò Trinitati ipſi paſſionem adſcriberet, quæ Theopaſchitarum hæreſis fuit; continuò Orthodoxi Epiſcopi, tùm Orientis, tùm Occidentis, interque iſtos Iuſtinianus noſter, ad inſanum, & furioſum hominem dogmaticas epiſtolas ſcripſere, quibus illum ad ſanitatem reuocarent. Porrò Iuſtinianū hunc Siciliæ Metropolitanum fuiſſe titulus ipſe litterarum indicat: quippe tùm Græci, tùm Latini codices ita conſtanter habent: *Iuſtiniani Epiſcopi Siciliae ad eumdē Petrum.* Ex ijs verò quæ alibi latiſſimè diſputata, [a] non dubium eſt, Siciliæ Epiſcopum ideò dictum, quia Metropolitanus eſſet, moriſque fuiſſe veteri æuo Metropolitanos ſolo prouinciæ nomine deſignari. Sed clarius id fiet, ſi epiſtolæ partē hoc loco reddamus: *Suſcipe ergò*, inquit, *tamquam fratris tui admonitionem, extingue haereticorum conſperſionem, & fias paſtor ouili, non lupus, & ſecutus B. Proclum* (Conſtantinopolitanum Archiepiſcopū) *& ipſius reuelationem in campo timoribus exiſtentibus deprecatiuè dicas Triſagium ad pauſationem irae, & ne incites adhuc iram fortis; ſi autem non velis tu, Fraternitas mea innocens erit, & ego cum ipſis, & qui vna mecū de his tibi ſcripſerunt, cuſtodiemus nos ipſos ab ſcandalis.* Ex quibus poſtremis verbis quis paulò verſatior in veterum Patrum Actis, atque Epiſtolis legendis non intelligit, Iuſtinianum innuere ſe eas litteras ſcribere de cōmuni Fratrum, Siculorū nempe Antiſtitum, ſententia? proindeq; ſi Petrus ab inſania reſipiſcere prudens, volensq; neglexerit, immunem ſe, ſuoſque Suffraganeos eſſe ab eius ſcelere? hoc enim mihi illæ ſonant: *Fraternitas mea innocens erit, & ego cum ipsis, & qui vna mecum de his tibi ſcripſerunt, cuſtodiemus nos ipſos ab ſcandalis*, eadem omnino notione, atque alij Metropolitani

[a] ſupra cap 21

paulò

Digitized by Google

paulò diuerſis verbis, pari tamen ſenſu, paſſim dicere, atque ſcribere ſoliti ſunt: a *Ego N. & qui ſub me ſunt, Epiſcopi. Ego N. & qui* b *mecum ſunt Epiſcopi. N. & qui cum* c *eo ſunt, Reuerendi Epiſcopi.* aut ſi ſimplicius, ac parcius locuti: *Ego N. & qui mecum* d *ſunt*. Vt illud quoque Veteribus vſurpatum, Fraternitatis nomine Comprouinciales, ſeu Suffraganeos Epiſcopos ſignificari. inde frequens illa ſalutandi formula e *Omnem Fraternitatem, quae eſt veſtrae ſanctitati coniuncta, ego, & qui mecum ſunt, multum in Domino ſaluto. Omnem in Chriſto Fraternitatem veſtrę beatitudinis, ego, & qui mecum ſunt ſalutamus*, & cæteræ ijs ſimiles, quas longum eſſet hoc loco percurrere. Quòd ſi quiſpiam dixerit, Iuſtinianum. vt Metropolitam fuiſſe concedamus, non tamen apparere, quòd Meſſanenſem Eccleſiam tenuerit; mihi ſat erit in præſentia docere, non fuiſſe Syracuſanum. Nam quia hoc præſertim tempore, quod inquirimus, ſola Syracuſana Eccleſia de Metrópolis iure negotium facere Meſſanenſi poteſt, cùm Catanenſis non niſi longiſſimo poſt tempore, octauo nimirum ſæculò, eos honores à Græcis meruerit, Panormitana verò nec quidem audeat tàm altè dignitatis ſuæ originem repetere, reliquum fiet, vt, ſi palam fecero Iuſtinianum neutiquam dici potuiſſe Syracuſanum Epiſcopum, omnium confeſſione Meſſanenſem fuiſſe euincam. Id verò planiſſimum fiet, ſi primùm doceam, epiſtolam Iuſtiniani, de qua ſermonem inſtituimus, Felice Romanæ, & Petro Cnaphæo Antiochenæ Eccleſiæ Pontificibus ſcriptam, ac proinde etiam intra quadringenteſimum octuageſimum tertium annum datam eſſe, quo Felix Pontificatum inijt, & quadringenteſimũ octuageſimum ſeptimum, quo Cnaphæus finem viuendi fecit. Porrò hoc ipſo tempore Syracuſanæ Eccleſiæ Eulalium ſanctiſſimum hominem, non Iuſtinianum præfuiſſe, ita deprehendimus, vt nullus tergiuerſationi locus reliquus eſſe poſſit. Conſtat enim primùm Fl. Boethio Conſ. qui annus eſt quadringẽteſimus octuageſimus ſeptimus, Felicis Pontificis iuſſu Concilio Epiſcoporum Romæ celebrato, de Lapſis reſtituendis, aſſediſſe inter alios Candidum Tiburtinum, Creſconium Tudertinum, Baſilium Tolentinatem, Maximum Bleranum, Benignũ Aquauiuenſem, Vitalem Fundanum, & Romulum Præneſtinum, ex quibus Candidus Tiburtinus interfuit etiam f Concilio Romano ſub Hilaro anno, vt ipſa Concilij Acta docent, ſexageſimo quinto ſupra quadringenteſimum, item & alteri Concilio Romano ſub Felice anno octuageſimo quarto eiuſdem ſæculi. Conſtat item Synodo Palmari anni quingenteſimi, & ſecundi ſub Symmacho, quæ vulgò Quarta inſcribitur, poſt Eulalium Syracuſanum Epiſcopum ſubſcripſiſſe Candidum

a Concil. Calced. 1. act. 16. inter epiſtol. Illuſt. perſõ. pro Conc. Calced. in epiſt. Petri Epiſcopi Corinthi.
b Dorotheus Theſſalon. ad Hormiſd. Ioan. Nicopo. ad eũdẽ inter epiſtolas Hormiſdæ.
c Synod. Cõſtãtinopol. act. 1. in ep. Epiph. Epiſc. Tyrij, inter ep. Ill. perſon. per Conc. Calced. in ep. Epiphã. Epiſc. Pergenſis tom. 2. Conc. Epheſ. in Append. 1. c. 4. in petitione Rhegin. Metrop. Cypr. Act. 2. 3. 6. 7. 6 Syn. Conſtantinop. de Maiano Antiocheno.
d Serg. Epiſc. Cypri in epiſt. ad Theod. Pap. in Lateranenſi Synod. conſult. 2.
e Dorotheus Ep. Theſſalon. inter ep. Hormiſdæ to. 1. Ioan. Epiſc. Nicop. inter ep. Hormiſd. to. 1. Paulus Conſtãtinop. ad Theodor. PP. in Lateranenſ. Synod. conſult. 4. ſub Martino. Manſuet. Epiſ. Mediol. inter decret. Agathõ. Aſcã. ad Hilar. Papam. ep. 2.
f Baron. 484. pag. 397.

Tiburtinum, Creſconium Tudertinum, Vitalem Fundanum, Maximum Bleranum, Baſilium Tolentinatem, Benignum Aquauiuenſem. Inſuper etiam Quintæ Synodi Acta, quam anno quingenteſimo & tertio celebratam Baronius docet, ſuperſtites etiam tùm fuiſſe indicant, Benignum Aquauiuenſem, Romulum Præneſtinum, Candidum Tiburtinum, eoſque poſt Eulalium rogatos ſententiam dixiſſe. Quare cùm certiſſimum ſit, vt ſuo loco docebimus, veterem morem fuiſſe, vt in ſubſcribēdi ordine non Sedium prærogatiuæ, ſed temporis, quo quiſque Epiſcoporum ſedere cœpiſſet, haberetur ratio, manifeſtè inde colligitur, Eulalium multò antequàm Candidus, Creſconius, Vitalis, Benignus, Baſilius, Maximus, & Romulus ad Epiſcopalem gradum promouerentur, Syracuſanæ Eccleſiæ moderationem ſuſcepiſſe, atque adeò iam inde ab anno quinto & ſexageſimo ſupra quadringenteſimum, quo Candidum Tiburtinæ Sedi præfuiſſe legimus. Quam meam coniecturam locus ex D. Fulgentij vita apertiſsimè confirmat. Cum enim Fulgentius ob frequētes in Africa Vandalorum in Catholicam religionem iniurias receſſum in Ægypti partes vltimas meditaretur, atque è patria profugus caſu, an Deo volente, Syracuſas appuliſſet ante annum, vti cenſet Baronius, quingenteſimū, Eulalius Epiſcopus, cùm ex Fulgentij comite itineris ſuſcepti cauſam odoratus eſſet, dehortari iuuenem cœpiſſe dicitur (iuuenē enim fuiſſe id temporis Vitæ author prodit, cùm triceſimū ſextū ætatis annum ageret) multumq; periculi ei ſubeſſe, ſi Ægypti monachos adiret, vt qui ſe cum Alexandrina Eccleſia ab Romani Pontificis cōmunione iam pridem ſeiunxiſſent. Et cum exemplo ſuo permouere hominem cuperet: *Ego etiam quondam iuuenis*, inquit, *antequàm me Pontificalis honoris gratia praeueniret indignum, diù cogitaui ſanctiſsimae huius profeſsionis in ipſius prouinciae monaſterijs adimplere propoſitum, ſed haec cauſa me prohibuit aſſumpta perficere.* Hæc quidem de ſe Eulalius. Nemini igitur dubium eſſe debet, ea verborum periphraſi ſanctum Epiſcopum innuere voluiſſe, bene multos iam ante annos ſe Pontificium adeptum, ac ſenecta ætate tùm fuiſſe, cùm Fulgentium hoſpitem habuit, nec recentioris rei exemplū vſurpaſſe, ſed paulò vetuſtioris, & quæ ante Felicis Romani Pontificis tempora minimùm inciderit.



Digitized by Google

## *Veteres Scriptores Meſſanam Metropolim agnouiſſe, Archiepiſcopi appellationem ſero apud Latinos receptam. Poſtliminij ius ad Eccleſias trahi.*

## CAPVT XXIII.

SEd fortaſſe non deerunt, qui certi Scriptoris teſtimonium depoſcant, quo doceamur Meſſanenſem Eccleſiam antiquiori ſuo Archiepiſcopali honore præfulſiſſe, quaſi vnius hominis authoritas plus fidei conſecutura ſit, quã hæ, quas proferebamus, Gregorij, Felicis, & Iuſtiniani epiſtolæ. Sed audi Baronium [a] grauiſſimum, ac prudentiſſimum Cardinalem, quid de epiſtolaris hiſtoriæ dignitate, ac fide ſentiat: *Hanc*, inquit, *conſequeris ex epiſtolari hiſtoria vtilitatem, vt gloriari iure valeas, res geſtas magis te habere compertas, quàm ipſos Hiſtoricos illorum temporum, quos cùm datae epiſtolae praeterierint, res maximi momenti alto ſilentio ſepultas reliquere. Sed & alia complura, ſi ſapis, ex ipſis epiſtolarum verbis colliges monumenta: vt planè optandum tibi eſſet in via iſta, quam terimus, antiquorum annalium nullius hactenus calcata veſtigijs, ad paſſus ſingulos, ſi fieri poſſet, eiuſmodi illuceſcere tibi faces.* & alibi idem Baronius: *Pluris ſane ſunt*, ait, *ad faciendam certam fidem epiſtolae, & Acta Synodalia quouis authoris Chronico.* [b]

[a] Tom. 7. anno 520. num. 13. pag. 66.

[b] tom. 8. pag. 353.

At neque tamen eſt, quòd veterum Scriptorum authoritatem in hac ipſa re nimiùm deſideremus, ſi quidem Petrus Lõbardus, [c] quem Magiſtrum ſententiarum vulgo appellant, Felicem Meſſanenſem Siciliæ Præſidem appellat, haud dubiè, quin Metropolitam intelligere voluerit. Ad hæc verò eius libri auctor, quem Faſtos Siculos inſcripſere, quia in vetuſtae Siculæ Bibliothecæ latebris primùm erutus eſt, atque ab interitu vindicatus, cùm Chriſtiani orbis principum, ac Metropolium vrbium numerũ digerit, de quinto climate [d] hæc prodit. *Quinti climatis vrbes pracipuae, Italiae Neapolis, Roma, Siciliae Meſſana, Thraciae Aenus.* Porrò eam ſcriptionem antiquiſſimam eſſe, inde perſuaderi poteſt, quòd ſiue eam Georgio Piſidæ Conſtantinopolitano Diacono tribuamus, vt nonnulli putant, floruit is ſub Heraclio Imperatore; quòd ſi ex aliorum ſententia Petrum Alexandrinum Epiſcopum ſcripti authorem facimus, cùm tres eius nominis Sedem illam tenuerint, conſtat primùm, qui idem martyrium fecit ſub Maximino, anno fermè CCXXX. floruiſſe, alterum Valentis æuo, poſtremum vero

[c] lib. 4. diſt. 40

[d] Pag. 12.



Digitized by Google

rò, qui Moggus eſt appellatus, vix eſt cùm hæreticorum fuerit anteſignanus, librum hunc ſcripſerit, qui catholicam, ac ſanam doctrinam vbique redoleat. quamquàm & eum quoque antiquiſſimum dicere nihil prohibet, vt qui quadringenteſimo octuageſimo circiter anno Alexandrinam Sedem ſub Zenone Iſaurico occupauit.

Hùc quoque pertinet Mauritij Abbatis, & Epiſcopi Catanẽſis de Meſſana elogiũ, longo quidem interuallo priori illo paulò ante laudato poſterius, ſed quod tamen magnam quoque antiquitatem præſefert. Is de Agathæ Virginis ſacri corporis in Siciliam reditu ſcribens, hæc habet: *Fretum illud, quod ab Italia diſſeparatum. vt diximus, Carbydim, & Scyllam habet, quae fabuloſe dicitur ſuccincta canibus, & nauigantium delatrare naufragia. Huic adiacet Meſſana ciuitas insignis aedificio, rebus opulentiſsima, quae locorum dignitate meritò totius prouinciae caput extat. ad hanc praedicti viri Reliquiarum B. Agathae portatores nauigatione peracta venerunt.*

Obijciet alius, Meſſanenſem Antiſtitem, tùm in his, quas hactenus laudauı epiſtolis, tùm in omnibus ferè Conciliorum Actis, ſe non niſi *Epiſcopum* appellaſſe. quo vno argumento ſatis commodè exiſtimauit quiſpiam, negari poſſe, eum inter Metropolitanos cenſeri ſolitum. Sed nubecula iſta facillimè diſ-

a part. 3 cap. 5 ſect. 7. §. 5. Maurus Caſtel; Ferrer in hiſt. S. Iacobi lib. 3. cap. 19.

ijcitur, ſi planum fecero, priſcis illis ſæculis (quod Seuertius[a] adnotauit) quos nunc paſſim Archiepiſcopos dicimus, ſeu Metropolitanos, humilitatis gratia ſolum Epiſcopi nomen retinuiſſe. quocirca iuſtiſſimè eos reprehendit Cardin. Baronius[b], qui Arelatenſem Eccleſiam, priuſquàm in ea Caeſarius Pontificem ageret, Metropolitanam fuiſſe pernegabant: *Fefellit, puto,* ait, *ſimplices, quòd, qui praeceſſerunt Caeſarium, Antiſtites Arelatenſes non Archiepiſcopi nominati ſunt, ſed Epiſcopi. Verũ ſciant veterem nomenclaturã, qua etiam Patriarchaliũ Sediũ, imò etiam Romanae Eccleſiae Praeſules dici ſolebant Epiſcopi.* Et ſi enim in Oriente toto, qui eius gentis faſtus fuit, & arrogantia, eum ipſa penè naſcentium Eccleſiarum origine Archiepiſcoporum nomen vſurpari cœperit, conſtat tamen apud Occidentis orbem ſerò nimis appellationem eam receptam: quin & prohibitum quoque in Carthaginienſi Concilio legimus, ne quis Archiepiſcopus diceretur. qua vna coniectura Baronius[c] impoſturam detegit Actorum Quini ſextæ Synodi, nempe Appendicis centum, & octo canonum ad Sextam Synodum, in qua Cyprianus Carthaginienſis Archiepiſcopus appellatur, inuſitato id temporis (anno DCXC.) apud Occidentales nomine. eodemq; argumẽti genere alibi refellit idẽ author[d] epiſtolã Gregorio I. affictam, qua ille Marinianum Rauennatem Antiſti-

b tom 6. anno 508. nu. 25.

c tom. 8. anno 692. nu. 18.

d tom 8. anno 593. nu. 82.

tem

tem Archiepiſcopi nomine ſalutat: *Quàm procul*, inquit, *ab Gregorij aeuo, & vſu, qui non niſi Epiſcopum, & Fratrem Rauennatem Praeſulem nominare conſueuit.*

Iam ſi quis pertinaciùs eo neget, Felicẽ Metropolitanũ exiſtimari potuiſſe, quòd nullus Legationi, ac Vicibus Sedis Apoſtolicæ locus reliquus erat futurus, quas Syracuſano Epiſcopo Gregoriũ demandaſſe in loco videbimus, ſi quis ea tempeſtate Metropolitico iure Inſulæ præfuiſſet: quaſi, cùm in Eccleſiaſticis controuerſijs adiri eum liceret, nullo opus fuiſſet ad eas dirimendas Romani Pontificis Vicario; in promptu erit oſtendere frequentiſſimè accidiſſe, vt in ijs etiam prouincijs, quæ Metropolitano ſubeſſent, Romani Sedis Vicarios cõſtituerentur. eo fieri, vt vix conſtet hæc argumentandi ratio, ſiquidem obſeruare eſt in omnibus ferè Romanorum Pontificum reſcriptis, quibus ſuas Vices alijs ex more delegabant, id quoque expreſſim additum: *Metropolitani tamen honore ſeruato.* quo apertiſſimum ſit, fuiſſe quoque in prouincijs illis Metropolitanum, quas Vicarij operis adminiſtrabant.

Hactenus, vt opinor, apertiſſimè demonſtratum eſt, iam inde à D. Gregorij ætate Meſſanenſem Eccleſiam Metropolitano honore auctam. Nec quis perijſſe illi eam dignitatem ſuſpicetur in luctuoſa, ac diuturna Sarracenorum temporum vaſtitate, quaſi Eccleſiarum iura minuat, quam hoſtili manu iniuriam patiuntur, ac cum libertate ſimul etiam vetera priuilegia amittant. Nam, ſi verum amamus, contra ſe res habet, & iure quoque Romano religioſa, & ſacra loca, quæ ab hoſtibus capta ſunt, ſi ab hac calamitate fuerint liberata, perinde ac liberi homines, quaſi quodam poſtliminio reuerſa, priſtino ſtatui reſtituuntur. In Sexta verò, aut Quiniſexta Synodo, nam hoc quoq; nomẽ habet ſub Iuſtiniano ἐν τρούλλῳ celebrata, ita cautũ lego. *Quoniam diuerſis temporibus Barbaricae incurſiones fuere, & ex eo plurimae ciuitates ab iniquis, & exlegibus ſubiugatae, vt ideò non poſsit eius ciuitatis Epiſcopus, poſtquàm ordinatus fuerit ſuum thronum apprehendere, & in eo ſacerdotali collocutione collocari, & ſic pro ea, quae inualuit, conſuetudine, ordinationes, & omnia, quae ad Epiſcopum pertinent, agere, & tractare; nos honorem, & reuerentiam Sacerdotio ſeruantes, & gentilem iniuriam nequaquam ad Eccleſiaſticorum iurium perniciem poſſe quicquam agere volentes eis, qui ita ordinati fuerint, & propter praedictam cauſam in ſuis thronis non ſunt conſtituti, vt abſque vllo ex ea re praeiudicio conſeruentur, decernimus, vt & diuerſorum clericorum ordinationes canonice faciant, & Pontificatus auctoritate in proprio termino vtantur, & ſit firma, & legitima, quaecumque ſub eo procedit adminiſtratio, non enim à tempore neceſsitatis*

a l. cum loca D. de Religioſ. & ſumpt. fun.

b Can. 37. & Balſ. in reſp. de priuil. Patriarcharum hoc canone tuetur priuilegia Sedis Antiochenæ & Hieroſolymitanæ à Barbaris occupatarum.

exacta

*exacta iuris obſeruantia circumſcripta diſpẽſationis terminis cir-cumſcribitur.* Idemque in Latina Eccleſia receptum. Hadrian. ad Bertericũ Viennenſem: *Vnde placuit nobis, vt omnibus Archiepiſcopis authoritate litterarum noſtrarum mandaremus, vt ſicut ab antiquis priuilegijs ſingulae Metropolitanae vrbes fundatae ſunt, ita permaneant, & habeat vnaquaeque Metropolis ciuitates ſibi ſubditas, quas Beatiſsimus Leo poſt Calcedonenſem Synodum ſingulis Metropolitanis diſtinxit. nec debeat Eccleſia vllum damnum ſuſtinere, ſi per ſexaginta, aut ſeptuaginta, aut octuaginta, aut eo amplius annos iniuria quorumcumq; Praeſulũ, & vaſtationibus Barbarorum dignitatem antiquam, ac Romanorum Pontificum firmitate roboratam perdidit, & amiſit, quando innumeris penè annis illa diſponente ſpiritu Dei fuerit vſa.*

## *Sicilia quo primùm tempore à Romani Pontificis Diœceſi auulſa Conſtantinopolitano Patriarchæ ceſſerit, & quis illo æuo Siculæ Eccleſiæ ſtatus.*

## CAPVT XXIV.

Atque hæc, quæ hactenus dicta, haud dubiè obtinuiſſe cenſeo, quàm diù Sicula Eccleſia ſub Romani Pontificis imperio ac ditione manſit: nam vbi primùm ad Conſtantinopolitani Patriarchæ partes traducta eſt, Reipublicæ Eccleſiaſticæ forma non vulgarem rerum conuerſionem accepit. Porrò nullus, opinor, ignorauerit nouæ Romæ Epiſcopum, & Imperatoris authoritate fretum, & Regiæ vrbis dignitate elatum, quò Oecumenici Patriarchę titulos diù anxieque quæſitos [a] certa ſibi ratione confirmaret, omni ope contendiſſe, eòq; ſuas omnes admouiſſe machinas, vt quaſcumq; & quàm plurimas Chriſtiani orbis Eccleſias in ſuam fidem, & caſtra pelliceret. Hinc ſcilicet Theodoſio II. rerum potiente, Atticus Patriarcha [b] Illyricum ſubijcere omnium primus tentauit, ac mox etiam Acacius prætextu turbarum, quæ in ſubrogando Epiſcopo Antiochiæ futuræ erant, Antiocheni Patriarchæ electionem à Conſtantinopolitano fieri ab Zenone Imperatore obtinuit; [c] deriuaſſetque ad ſuos perpetuam hanc prerogatiuam, ni Romanæ vrbis Pontifex Simplicianus ſumma vi obſtitiſſet. [d] Theſſalonicenſem quidem Eccleſiam, cuius in Romanam Sedem fides egregio Leonis I. teſtimonio collaudatur, quamuis Apoſtolicæ Cathedræ Vices diù tenuiſſet, tandẽ malis Græcorum artibus ab Conſtantinopolitani Epiſcopi Dięce-

ſim

a Conc. Conſtantinop. ſub Menna, Act. 1.

b l. 6. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.

c l. 45. C. de Epiſc. aud. in Cod. Theodoſ.

d ep. 13. 14. & 31.

ſum tranſijſſe Pontifices Romani non ſemel queſti ſunt. Plenæ huiuſmodi querelarum ſunt Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem epiſtolæ, Hadriani item I. ad Conſtantinum, & Irenem. Tandem verò, & de Bulgariæ Eccleſiarum iure à Græcis vſurpato, fruſtraque à Romanis vindicato frequentiſſima eſt mentio in Conciliorum Actis. Quam Græcorum ambitionem Anaſtaſius Bibliothec. a meritiſſimè ſuggillat his verbis: *Sed quia iſti* ( Romani Pontifices ) *cum Petro ſuper petram verae confeſsionis ſtantes peſtiferam ſuggeſtionem audire poſſunt, obaudire non poſſunt, mox illi* ( Imperatores Romani ) *qui nunc Graecorũ appellantur, quando aliter eos laedere nequeunt, patrios, & antiquos terminos proferunt, priuilegia Sedis Apoſtolicae corrumpunt, & penè omnia iura diſponendarum Diecesum auferunt, atque ſuis haec fautoribus, conſentaneis, & ſectatoribus conferunt, cum quibus etiam ius, quod Sedes Apoſtolica ſuper praedictas regiones habuit, quia iuxta ſe sitae videbantur, vſurpant, & Conſtantinopolitanae Diœceſi nequiter applicant.*

a In præfatione ad Nicen. II Synodum.

Quo minus mirandum, quòd Siculas quoq; Eccleſias à Romani Pontificis clientela abalienare, ad ſuasque transferre partes Conſtantinopolitani Præſules enixè ſtuduerint. b Idque eis factu facillimum fuit, quippe cùm Orientis Imperatori in Ciuili Politia Sicilia pareret, veriſimillimum eſt, Epiſcopos, & dignitatum largitione, & muneribus illectos, & vi quoque adhibita, ſi qui paulò in Romanam Sedem eſſent propenſiores ad Conſtantinopolitanum tandem defeciſſe c præſertim cùm hæc quoque eo potiſſimùm tempore acciderint, quo oppreſſis Sarracenorum tyrannidè, vaſtatiſque Siciliæ ciuitatibus Siculi Antiſtites ſolito frequentiores in Regia Vrbe erant, tùm vt exilij incommoda, paupertatemque Principis, aut Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ liberalitate vtcumque ſuſtentarent, c tùm vt de recuperanda Inſula cum Imperatore, ac proceribus conſilia inirent.

b Balſam. in can 2. Synod. I. Conſtantinop. Bert. diatrib. 2. cap. 1. pag. 149. Baron. tom. 10. anno 854. n. 9.

c Balſam. in reſp. de Patriarchis.

Cæterùm ſi de eiuſce rei certa tēporis nota diſpiciendum ſit, ſcio Cardinalem Baronium ea fuiſſe opinione, vt ſenſerit anno octingenteſimo quinquageſimo quarto Siculam Eccleſiam Conſtantinopolitano paruiſſe, fortaſſe quia in Concilio eodem anno Conſtantinopoli celebrato ab Ignatio Patriarcha Gregorius Syracuſanus Epiſcopus gradu motus eſt; quo conijcit, Cōſtantinopolitanum Patriarcham id temporis in Siciliæ Antiſtites ius dixiſſe, ita tamen, vt eius Acta confirmatione Sedis Apoſtolicæ indigerent. Scio in Nicęna II. Synodo d Ioannem Tauromenitanum Epiſcopum his verbis ſe ſubſcripſiſſe: *Cum veluti diuinae Orthodoxiae terminus ſint litterae, quae ab Hadriano Papa ſenioris Romae ad pios Imperatores, nec non ad Taraſium*

d Act. 2. & 3.

a Epiſt. 9.

*vniuerſalem Patriarcham noſtrum miſſae ſunt, ita profiteor ſuſcipiens ſacros Icones*. Item Nicolaum I a Pontificem Gregorij Syracuſani proteruiam eo inprimis exagitare, quòd *in Ignatium, ſuum videlicet Patriarcham, rediuiua*, vt ille ait, *impietatis iacula irreuerenter exacuiſſet*. eoque veluti indicari iam tùm Patriarchæ Conſtantinopolitani in Siculos poteſtatem agnitam fuiſſe.

Sed, ſi quid in iſta antiquitate video, non dubitauerim affirmare, Nicolao I. Pontifice Siculas Eccleſias in Occidentis Diœceſi numeratas. Id quod clariſsimè ex ſecunda, & tertia Nicolai ad Photium Patriarcham, & Michaelem Imperatorem epiſtolis deprehendere mihi videor. in quibus, vt ſimiles priorum Pontificum querelas prætermittam, multus in eo eſt Nicolaus, grauiſſimeque expoſtulat *occupata ab Orientalibus Romanae Eccleſiae iura, non ſolùm quia ipſam ſuaſione Schiſmaticorum Patriarcharum prouincijs iis ſpoliaſſent, quas veluti peculiares Romanus Pontifex, alioqui totius Orbis vniuerſalis Epiſcopus, per Vicarios regere conſueſſet, vtraque videlicet Epiro veteri & noua, Illyrico, Macedonia, Theſſalia, Achaia, vtraque Dacia, tùm Ripenſi, tùm Mediterranea, Myſia, Dardania, Praeuali, quibus prouincijs*, vt ille ait, *Theſſalonicenſem Archiepiſcopum praefici mos erat, ſed quia etiam patrimonia, quae in Sicilia, quae in Calabria haberet, ſuſtuliſſent*. Atqui hic vides, nullam de Siciliæ Eccleſijs fieri mentionem, ſed de Calabro ſolum, & Siculo Patrimonio per ſummã iniuriam occupato Pontificem queri, quæ prædia, cùm eſſent ampliſſima ſacris luminibus in Principum Apoſtolorum templo nutriendis piè attributa, Leo Iſaurus cùm ſacrarum Imaginum, tùm Romanæ Sedis iuratus hoſtis fiſco addici iuſſerat. b Porrò verò, ſi præter enumeratas prouincias Siciliam quoque ab Romani Pontificis fide Græci abduxiſſent, par eſt exiſtimare, id Nicolaum Michaeli, & Photio inprimis iuſtiſſimè obiecturum fuiſſe.

b Theophan. in hiſtor. anni 732. Baron. anno 681. nu. tom. 8.

Neque illò pertinet, quòd Syracuſanum Gregorium Ignatius ab Epiſcopatu deiecerit. Primùm, quia nec multùm fortaſſe à vero abeſſet, Ignatium non niſi ex mandatis Romanæ Sedis Vicibus alienæ Diœceſis Epiſcopum reum peregiſſe, & ſuſpicionem illud confirmat, quòd iudicium illud non priùs vim habere voluit, quàm Romani Pontificis authoritas accederet. Sic enim narrat Nicolaus: c *Fuiſſe in Concilio Conſtantinopolitano Gregorium depoſitum, ita tamen vt Romani Pontificis conſenſus requireretur, quo per Legatos Ignatij à Leone IIII. expetito, negaſſe hunc, niſi Gregorio audito ſe ratam habere velle Patriarchae ſententiam, atque adeò per Leonis obitum cauſam ad ſucceſſorem eſſe delatã.* Nec verò deeſſent exempla, & ſi in præſentia

c Ep. 5. ad Mi-

non

non omnia occurrant,[a] quibus appareat Conſtantinopolitanum Præſulem Apoſtolicæ Sedis Vices non ſemel Oriente toto geſſiſſe Sed planiùs ſecundo loco reſpondeo, Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum Romani Pontificis æmulatione, multò pridem ante iſta tempora, de quibus loquimur, hoc ſibi vendicaſſe,[b] vti etiam in alienæ Diœceſis Epiſcopos coactis Antiſtitũ Concilijs animaduertere,& gradu mouere eos poſſent. Inde illa Leonis Sapientis,& Conſtantini Imperatorũ verba:[c] *Omnium Metropoleon, & Epiſcopatuum, Monaſteriorumque, & Eccleſiarum cura,& iudicium ad proprium Patriarcham pertinet. Conſtantinopolitano vero, licet etiam in aliarum Sedium territorijs, in quibus hęc praerogatiua non eſt, crucium fixiones in templis concedere. neque hoc ſolum, ſed & omnes controuerſias in alijs Sedibus exortas dirimere, & dyudicare poteſt.* Iam verò neque illa quoque multum vrgent, quòd Siculi Antiſtites Conſtantinopolitanũ Patriarcham SVVM appellauerint; id enim vel eorũ ambitioni adſcribendum, quò ea honoris ſignificatione, qua nihil ille carius habuit, Patriarchæ animum obſtringerent, vel quòd recepto iam pridẽ Synodi Calcedonenſis Canone IX. & XVII. quo clericis, atque Epiſcopis libertas conceditur,vel apud Metropolitanum, aut Primatem, vel apud Conſtantinopolitanum Epiſcopum inter ſe diſceptandi,inde cõmunis omnium, & vniuerſalis Patriarcha Græcis cenſeretur. Eòdemque Nicolaus I. reſpexit, cùm Gregorium in Patriarcham ſuum rebellem appellat,augendique criminis gratia id dixit, aut quia non eum latebat, Gregoriũ fuiſſe, qui Siculam Eccleſiam, Conſtantinopolitano ſubijcere omnium primus auſiſſet.

[a] Gelaſius ad Epiſcopos Dardaniæ. Baron. anno 471. pag. 334.

[b] Felix IIII. epiſt. ad Acatiũ Conſtantinop.

[c] tom. 2. Iuris Græco Romani in delectu legum Leonis, & Conſtantin. tit. 1. de Patriarcha.

## *Immutata à Conſtantinopolitano Patriarcha ſacra Siciliæ Politia.*

## CAPVT XXV.

Porrò vbi primùm Sicilia in Eccleſiaſtica quoq; Politia Regiæ vrbi ceſſit, nihil non ex antiqua rerum facie mutatum eſt. quippe vt recenter illectas in clientelam Eccleſias in officio contineret, earum Præſules, eoſque inprimis, quos factioſos, honorumq; cupidos nouerat, ſacrarum dignitatũ largitione Conſtantinopolitanus Patriarcha arctius ſibi deuincire omni ope cõtendit. Inde ſcilicet eſt, quòd hoc ipſo ferè tẽpore ab octingenteſimo,& quinquageſimo ad noningenteſimum annum in vna Siciliæ ora, quæ inter Pelorum, & Pachinum ad Orientem protenditur, duas Metropoles, duas item Archiepiſcopales Sedes dictas reperies, Catanam

nam, Syracuſas, Meſſanam, Tauromenium.

Et Catanenſem quidē Eccleſiā Metropolitano honore affe-ctā, Octauæ Synodi Acta apertè docent, in qua Ignatius eſt reſti-tutus, quibus inter alios Metropolitanos Euthimius Catanæ Metropolites adſediſſe ſcribitur. Sed & veteres quoque Notitię Catanam inter Metropoles cenſent, quamuis non certo, ac fixo ſemper loco. Nam quæ Andronico Imperatori Palęologo tri-buitur apud Georgium Codinum de Officijs Aulę Cōſtantino-politanæ, *prius quidem quadrageſimum, & quartum locum te-nuiſſe*, narrat, *Andronici verò aetate ſeptimum, & quinquageſi-mum*. Nec dubium eſt ijs verbis Leonis Sapientis Notitiam de ſignari, quæ, vti eam Leunclauius recenſet, quadrageſimum quintum Catanæ tribuit. Alia verò Diſpoſitio, quam M. S. ha-bet celebris Bibliotheca Monaſterij S. Saluatoris Meſſanæ, quæ Andronici II. eſt, ſi codicis inſcriptioni credimus ad quintum & nonageſimum reijcit. Quin & Sarracenis quoque imperan-tibus eam dignitatem, vel titulo ſaltem retinuiſſe Eccleſiam il-lam, Siſinnij Conſtantinopolitani Patriarchæ decretum indicat, ne duo Fratres duas accipiant conſobrinas; cui plurimos inter Metropolitas Leo Catanenſis ſubſcripſiſſe legitur, anno circi-ter noningenteſimo nonageſimo quarto.

a Act. 2. 3. 5. 6. & 8.

d tom. 1. Iuris Græco Romani lib. 2. inter Nouellas Leonis, Nouel. 1.

Syracuſanam verò etiam Metropolim dictam laudata Leo-nis Diſpoſitio ſuadet, quæ & omnes ei ſubiectas Eccleſias nu-merat, ſed & vetus illa Notitia S. Saluatoris Syracuſas Siciliæ Metropolim agnoſcit. Hoc tamen inter vtrâque Eccleſiam dif-ferentiæ eſt, quòd Catanenſis ſtatutum, ac proprium inter Me-tropolitanas locum habet, Syracuſana verò veluti extra ordi-nem adſcita incerti iuris eſt, nec quota in ſede collocanda ſit, apparet. Nam tres illæ Notitiæ, quas ante proferebam, cùm indicem texant Metropoleon, Catanæ quidem in loco memi-nere: Syracuſas verò omninò prætereunt. itaque neque inter LXXX. Metropoles à Leone deſcriptas, neque inter CXII. An-dronici Senioris, neque inter CXXII. quas Notitia Meſſanenſis habet, Syracuſæ in numero Metropolium vrbium, quæ Con-ſtantinopolitano Patriarchæ ſuffragantur vllum obtinent lo-cum. quamuis noſtra quidem Meſſanenſis Notitia ſub extre-mo libello huiuſmodi appendicem proferat: *Sunt etiam Metro-politani, qui à Romani Pontificis Diœceſi ſe ſubtraxere, nunc au-tem degunt ſub throno Conſtantinopoleos. Theſſalonicenſis nimi-rum, Syracuſanus, Corinthius, Rheginus, Nicopolitanus, Atheni-enſis, Patrenſis. Sub Syracuſano Siciliae Tauromenitanus, Meſ-ſanenſis, Agrigentinus, Cronienſis, Lilybaetanus, Drepanēſis, Pa-normitanus, Thermitanus, Haleſinus, Cephalędiēſis, Tyndaritanus, Melitēſis, Liparitanus*. Eadē prope, ijſdēq; verbis habet Leo in

ſua

ſua Diſpoſitione. Sic enim ſcribit poſt enumeratas quinquaginta, & ſex Metropoles Suffraganeas Sedes ( reliquæ namque ad octuaginta vſq; in Leunclauij editione deſiderantur ) *Auulsi à Diœcesi Romana iamque throno Constantinopolitano ſubiecti Metropolitani, & qui ſubſunt eis Epiſcopi, ſunt hi: Theſſalonicensis, Syracuſanus, Corinthius. &c.* Fuit autem hic Leo Baſilij filius, Sapientis, ſeu Philoſophi cognomine appellatus, cuius Imperij initia in annum DCCCLXXXVI. incidere.

Quod verò ad Archiepiſcopatus pertinet, Tauromenitanam Eccleſiam hoc titulo inſignitam probant veteres, & receptæ appellationes, tùm Theophanis, tùm etiam Gregorij Ceramei, quos Tauromeniæ Archiepiſcopos dictos Homiliæ, atque Hymni ab ijs ſcripti produnt, qui hodieque in Eccleſia Græca leguntur. Meſſanenſem verò ad Archiepiſcopalem honorem euectam, præter Leonem Imperatorem, qui inter triginta, & nouem Archiepiſcopales Sedes Meſſanam ſeptimo ſupra decimum loco cenſet, extat etiam Meſſanæ in Monaſterio S. Catharinæ, quod Synaitæ monachi incolunt, peruetuſtus codex, Nonimon dictus, qui poſt Andronici Notitiam iiſdem omninò Metropoleon nominibus, eodemque ordine deſcriptam, atque in Codino eſt, ſyllabum habet Eccleſiarum, quæ Archiepiſcopales dicerentur, interque eas decimo loco Meſſanam poſuit. Quamuis ( ne quis me Patriæ affectu in tranſuerſum ferri exiſtimet ) non planè in hoc mihi ipſi ſatisfaciam, ac potius ſuſpicer, non de Sicula Meſſene, ſed de Græca, Scriptores iſtos eſſe intelligendos. Suadet id, tùm quòd ciuitates aliæ, quas honore iſto affectas Notitiæ produnt in ſolo Oriente poſitæ, nulla in Occidente, tùm quòd Leonis Notitia inter ciuitates Patrenſis, aut Corinthij Metropolitani Suffraganeas Meſſenem præterit, haud dubium, quin veluti exemptam ab Metropolitæ poteſtate, vtpote, quæ Archiepiſcopali honore fungeretur, tùm demum quòd, cùm Græci codices *Μεσήνης* habeant, Leunclauius Meſſene vertit, cùm eorumdem Archiepiſcopatuum indicem ex Synodali incerti Patriarchæ reſponſo profert.

† tom. 1. Iuris Græco Romani lib. 1. ſent. Synod. 1. in 1. incertorum Patriarcharũ tit. de ſeſſ. ordine Metropolit. & Archiepiſc.

Cur

## *Cur Græcorum Notitiæ Catanenſem, & Syracuſanam Eccleſias inter Metropoles, Taurromenitanam inter Archiepiſcopatus cenſuerint.*

## CAPVT XXVI.

VErùm vt ad duas Metropoles redeamus, illud inprimis inueſtigandum, qua tandẽ ratione fieri potuerit, vt duplex eſſet in vna Siciliæ ora Metropolis ciuitas? tùm deinde quid cauſæ ſit, quòd cùm in tot iſtis Notitijs, quæ extant, nullus ſit Syracuſano inter Metropolitas locus, vna illa, ac ſolitaria appendix, Syracuſas Metropolem vrbem appellet? ſuſpicionem auget, quod eædem Notitiæ, cum reliquos in appendice deſcriptos rebelles Metropolitas ſuis locis ordine in Syllabo recenſeant, Theſſalonicenſem, Corinthium, Nicopolitanum, Rheginum, Athenienſem, Patrenſem, de Syracuſano mirum vbique ſilentium.

Qua in re, vtpote antiquitatis tenebris inuoluta, & quæ nullius interim Scriptoris luce perfundi poſſit, ſi ſolis coniecturis duci me fatear, nullus erit, opinor, qui me eo nomine reprehendendum iure exiſtimet. Senſerim igitur, ipſo quidem initio, cùm nec dùm fortaſſe Conſtantinopolitani Patriarchæ iuriſdictio in Siculas Eccleſias radices altius egiſſet, ſolum Epiſcopum Catanenſem Metropolitani nomine honeſtatum. Honori ne Agathæ celeberrimæ Virginis id tributũ, nõ ſatis cõpertũ habeo; An quod cùm in Nicæna II. Synodo, quæ pro reſtituẽdo Sacrarũ Imaginũ cultu celebrata eſt, Theodorus Catanæ Epiſcopus familiã duxiſſe viſus ſit, ac plerisq; in locis ſic de eo ſcriptum reperiatur: *Theodorus*, [a] *& qui cum eo erant Deo amabiles Siciliæ Epiſcopi. Sanctiſsimus* [b] *Epiſcopus Siciliæ* (Theodorus) *dixit*, Metropolites ſit exiſtimatus? ſed neq; abſurdum eſſet opinari ab ſolo Imperatore eum honorem profectum. notiſſimum videlicet eſt eum id ſibi vindicare ſolitum, & Alexiũ Comnenũ legẽ [c] tuliſſe, *vt Imperatori liceat Metropolitanũ thronum Eccleſiae largiri, & tàm Epiſcopatus, quàm Archiepiſcopatus in Metropolim erigere, ſi motu proprio faciendum id exiſtimauerit, ſiue in honorem ciuitatis, ſiue ob fidem in Eccleſiam, ſiue ob Epiſcopi virtutem?* An & fine Diœceſeos, ſeu prouinciæ iure? ſuſpicer fortaſſe, & ſuſpicionis anſam præbet, quòd noſtra illa Meſſanenſis Notitia, quæ ſuos cuique Metropoli ſubiectos Epiſcopos nominatim deſcribit, nullos Catanenſi attribuit. Idque paulò ante deprehẽdi clariùs ex Leonis Notitia cõſtare, cũ ait:

a Act. 1.

b Act. 3.

c tom. 1. Iuris Græco Romani lib. 2. in Nouel. Alexij. Nouel. 3.

*Nullum*

Digitized by Google

*Nullum eſſe thronum, qui Catanenſi ſubſit*. Poſt verò, cùm Gregorius cognomento Asbeſta Syracuſanam Eccleſiam adeptus eſſet, ſeu quia omnium primus ſe ab Romani Pontificis ditione ſubtrahere conatus eſt, ſeu quia Photio inuadendæ Conſtantinopolitanæ Sedi author, ac princeps fuit, earum rerum gratia veriſimile eſt opinari, Archiepiſcopi titulo primùm à Photio auctum eſſe in Synodo, quam Veteres poſtea Latrocinalem dixere, cuius præcipuum concinnatorem Gregorium fuiſſe conſtat. Atque hùc fortaſſe Nicolaus Romanus Pontifex reſpexit, cùm depoſito Gregorio Archiepiſcopos eius ſucceſſores ab Romana Eccleſia in poſterum conſecrari iuſſit. hoc quoque illud innuit, quod Actione VII. Octauae Synodi, in qua referuntur Acta Romani Concilij ſub Hadriano celebrati inter anathematiſmos ita habetur: *Omnibus ſectatoribus, & propugnatoribus Photij, & Gregorij Syracuſani quondam Archiepiſcopi anathema*. Tandem verò etiam Metropolitam eſſe factum, eique Siculas Eccleſias veluti Suffraganeas attributas, ſiue hæc contigerint, tùm primùm, cum ab Romana Eccleſia rebellare eſt auſus, ſiue cum viuo Ignatio Photius Sedem occupauit, ſiue demum cum illo mortuo legitimo Romani Pontificis permiſſu reſtitutus eſt. Enimuerò Gregoriũ primũ fuiſſe, qui Siculã Eccleſiam Conſtantinopolitano ſubijcere tentarit, non difficile credet, quiſquis in Niceta legerit, iam tùm ab Ignatij Conſtantinopolitani Patriarchæ inauguratione Photium ei occupandæ Sedi animum adieciſſe, ad eamque rem Gregorij Syracuſani opera, induſtriaque vſum: *Erat*, inquit, [a] *huius author, & initiator in omnibus Gregorius ille cognomento Aſbeſta, quem Syracuſanum olim Pontificem fuiſſe ferunt*, *tùm verò* (inaugurationis ipſius tempore) *Conſtantinopoli de maleficijs reum factum, & iam Romae, quòd contra leges, & ſanctiones Eccleſiaſticas peccaſſet, exauthoratum. Hunc Ignatius, cum eſſet Patriarcha conſecrandus, ne initiationi eius intereſſet, admonuit, donec per otium cauſa ipsius diligenter cognoſceretur. quod Patriarchae inter initia factum, quamuis iure factum, multi reprehenderunt. Hinc*, pergit author, *o quis ex his paucis verbis ortam cladem illam explicet, quis turbas, & factiones, liteſque, & improbitatem illius probi Siculi dicendo aſſequatur?* Ex quibus verbis procliuis eſt coniectura, Gregorium, quòd ſe Romanæ Diœceſi eripere, & in Cõſtantinopolitani clientelam tranſire auſus eſſet, ob imminutam Romanæ Sedis authoritatem læſæ veluti maieſtatis reum in iudicium Romæ vocatum, damnatumque. Certè Iuſtinianus [b] Imperator ſimilem Dioſcori Patriarchæ Alexandrini in Romanum Pontificem perfidiam non alia phraſi explicat. Sic enim de illo ſcribit; *Super haec omnia autem quis ignorat, ea*

[a] Nicet. in Vita Ignatij Patr.

*quae*

Digitized by Google

*quae noſtris temporibus in Eccleſia antiquioris Romae cõtra Dioſcorum acta ſunt, qui cùm nihil in fidem peccaſſet, tamen propter ſolum Eccleſiaſticum ordinem ab eadem ſancta Eccleſia Romana anathematizatus eſt.* Atqui Dioſcorus non aliud crimen admiſerat, quàm quòd ab Romanæ Sedis imperio deſciſcẽs, excommunicationis quoque ſententiam in Pontificem Romanum proferre auſus eſt. Hæc quoque eo confirmantur, quòd in Octaua Synodo,[a] cùm Photio obijceretur, quòd à depoſitis Epiſcopis, nẽpe à Gregorio conſecrari ſe paſſus eſſet, Photiani Antiſtites ita criminationẽ hanc retudere: *Quòd autem dicitur, quia à depoſitis eſt promotus, primùm non opinamur hoc verum eſſe; neque enim pro criminibus depoſiti fuerunt, ſed pro eo, quòd reſtiterunt Eccleſiae. vniti autem rurſus, & apoſtaſiam illam reprobantes ſuſcipiendi ſunt.* Sic quidem habet Latina ſextę Actionis editio. Græcolatina verò paulò clariùs id explicat: *Nec verum eſt illum à depoſitis conſecratum eſſe; nec enim ob flagitia vlla depoſiti ſunt, ſed quia pacem Eccleſiae perturbarunt, reconciliati verò peruicacia reiecta recipiendi ſunt.* Quis hic non apertiſſimè ſignificari cenſeat, Gregorium, de quo res erat, tentaſſe quidem abrumpere pacem, quæ inter Occidentalem, & Orientalem Eccleſiam erat, repreſſum tamen ab Romano Pontifice, & Epiſcopatu deiectum apoſtaſia abiurata in viam rediiſſe?

[a] Act. 6.

Iam circa illud alterum, quod ſubtexebam, Gregorium de Photio multis nominibus optimè meritum, nemo eſt qui neſciat, modò totam illã eiecti Ignatij hiſtoriam, vel ex Octauæ Synodi Actis, vel in Nicæta[b] ipſo aliquando cognouerit. Ignatio enim per vim, & ſcelus ab Epiſcopatu pulſo, Syracuſanus Gregorius ſolus repertus eſt, qui Photium inuaſorem conſecrare auderet, totamque illam in ſanctiſſimum Pontificem tragœdiam adornaret, fingeret, ad exitum perduceret: vt mirum ſit in Epiſcopalis ordinis homine tàm exitialis odij flammas tàm diù arſiſſe, tantam repertam eſſe mentis proteruiam, tantam dicendi, fingendique peritiam, an inſaniam, vt non modo Orientalem Eccleſiam pro libidine huc illuc trahere, ſed & Romanæ fucum facere potuerit. Eò fit, vt minus multò mirandum ſit, tantum hominem tàm inſigniter de Conſtantinopolitana Sede meritum, ſiue ob tentatam in Romanum Pontificem rebellionem, ſiue ob nauatam Photio operam, rependendæ gratiæ, Archiepiſcopali, & mox Metropolitica dignitate fuiſſe exornatum. Satis conſtat, tanti eum Photium feciſſe, vt cùm fortaſſe Syracuſana Cathedra impedientibus Sarracenis minus frui Gregorius poſſet, Niceam eumdem tranſtulerit, & non multò poſtea defunctum tàm honorificis encomijs

[b] Nicæta in Vita Ignatij Acta Octauæ Synod. Barõ. ãño 855. & ſequ. Nicol. Papa ep. 6 & 10

publicè laudauerit, ac ſi, vt quidam ſcribit, a eam vitam egiſſet, vt cum magnis illis Patribus comparari poſſet.

Idemque omninò de Tauromenitana Eccleſia ſentiendum dixerim, cuius Epiſcopus Zaccharias Cophus cognomento laborioſa primùm pro Photio b ad Nicolaum Pontificem legatione functus, tùm & acerrimus c fuit eiuſdem ſectarius, vt ne in aduerſa quidem fortuna cum detectis Photij fraudibus, & impoſturis per Concilij decretum Patriarchatu motus eſt, totiuſque Orientis Epiſcopi mutata fide turpiſſimas ſententias in eum dixere, deſerere amicũ voluerit, quin potiùs honoris iacturam ſuſtinere, eumque ſequi præoptarit, vt non immeritò Photius ſuum illum appellet, & poſtquàm Ignatio mortuo iterum Conſtantinopoli rerum Eccleſiaſticarum potitus eſt, ad Calcedonenſem Metropolim promoueri iuſſerit. d

Porrò verò Photium prodigiali, vt ita dixerim, Eccleſiaſticarum dignitatum largitione Græcorum leuitatem ſibi deuinxiſſe, Nicætas e optimè, ni fallor, indicat ijs verbis: *Ipse verò contra ſanctum Virum odium alebat, & quotquot ex eius germanis, ſeu ſpurijs ſectatoribus poterat, furtim ad ſe trahebat, dignitatibusque veſaniae ſuae illiciebat, per quos innocentis calcaneo insidiabatur. Sed enim ſpe ſua fruſtrabatur, quòd beatus ille iam extra omnem eſſet aleam calumniarum.* Sed & idem Nicætas f ſcribit, Theodorum quendam à Caria ad Laodicenſem Metropolem à Photio translatum, Samuelem, qui ad illum diem Chonarum Antiſtes Laodiceno ſubiectus fuerat, Archiepiſcopi honore dignatum, Ignatium Monachorum Archimandritam S. Ignatij deſertorem Hierapoleos Metropolitam factum. Tandem, vt Theodoro quoque Santabareno gratiam redderet bene de ſe merito homini, cùm nulla tùm fortaſſe vacaret ad manum Sedes, Pathmorum Metropolitam eum creaſſe, quem proinde facetiſſimè familiares ἀφαντοπόλεος Epiſcopum dixiſſe, hoc eſt, *Ciuitatis inuiſibilis*, quæ nuſquam eſſet, nuſquam appareret. Inſuper verò etiam Photium illud imprimis ſummis ſtudijs, artibuſque contendiſſe, vt Romani Pontificis maieſtatem imminueret, prouinciaſque illi ſubiectas ad ſe traheret, frequentiſſima ſunt apud Baronium g teſtimonia, qui hoc quoque ſcribit, Photium omnium maximè Orientis Eccleſias à communione Romanæ Sedis diuellere conatum eſſe: Occidentales quoque Epiſcopos vniuerſæ Galliæ, h & Aquileienſis prouinciæ non vano auſu in ſuam fidem pellicere tentaſſe.

Igitur vt vela colligam, cùm Photium ità animatum in Eccleſiã Romanã fuiſſe conſtet, ipſe verò Gregorius ob ſuos mores aptiſſimus huic facinori patrando videatur, rerũ item articuli, momentaque eo tempore geſtarum, coniecturæque hactenus

a Nicæt. in vita Ignatij Patr.

b Anaſtaſ. in notis ad VIII. Synod. Act. 11.

c Acta VIII Synod. Nicæt. Baron.

d Baron. anno 871. num. 49.

e Nicæt. in vita Ignatij.

f loco cita & Baron. anno 859. nu. 68.

g anno 858. n. 62.

h Baron. anno 867. nu. 86.



Digitized by Google

nus explicatæ id perſuadeant, facilè crediderim hoc potiſſimùm æuo Syracuſanam Eccleſiam Metropolis titulo, reque auctam, cùm Catanenſis appellatione tantum Metropolitana id temporis diceretur. Certè vtramque Eccleſiam in Conſtantinopolitanam propenſiorẽ fuiſſe in Gregorio Magno pridem obſeruabam. Is enim ad Ioannem Syracuſanum Epiſcopum ſcribens, queritur *amicos quoſdam ſuos, tàm Graeci, quàm Latini nominis eius acta eo nomine reprehendere, quòd Conſtantinopolitanam Eccleſiam deprimere niteretur, cuius alioqui conſuetudines in ſacris probaret, ac ſequeretur. Ac ſe quidem falſò inſimulari, quippe ritus illos, ac caerimonias non à Conſtantinopolitana Sede Romanos, ſed a ſuis maioribus accepiſſe. proinde cupere ſe, vt data occaſione Catanã Ioannes pergat, ac tum Catanę, tùm etiam Syracuſis publicè doceat, ſuos obtrectatores temerè in Gregorium illa iactaſſe, & falſos eſſe, ſi crederent Romanos Pontifices à Graecis eſſe mutuatos ſacros Miſſarum ritus, aut Conſtantinopolitanam Eccleſiam Sedi Apoſtolicae non eſſe ſubiectam.*

a lib. 7. Indict. 2. ep. 64.

At cur, dicet aliquis, Meſſanenſis Sedes Tauromenitanæ, Catanenſi, Syracuſanę in iſta honoris cõtrouerſia à Gręcis poſthabita? an quia viſa eſſet Romanæ Eccleſiæ addictior, quippe cuius authoritate Metropolis iura hactenus tenuiſſet? An quia Gregorius Meſſanæ Epiſcopus Photio inuiſus? conſtat ſanè illum neutiquam numerari inter Photij aſſeclas, Act. II. VIII. Synodi, quales inter multos fuere ex Siciliæ Epiſcopis Euthimius Catanæ Metropolites, & Zaccharias Tauromenitanus. An quia id temporis ſolæ ex vniuerſis Siciliæ ciuitatibus Catana, Tauromenium, Syracuſæ Græci Imperatoris in ditione, & fide erant; Meſſana verò à Sarracenis paulò ante expugnata eorum imperio ceſſerat? Porrò non dubiũ eſt, quin Panormus omnium prior in Barbarorũ manus venerit anno, vt Leo Hoſtienſis ſcribit, DCCCXX. poſt verò etiam Meſſana anno circiter DCCCXXVII. & ſubinde Siciliæ reliquæ ciuitates ab iiſdem occupatæ fuerint, vt ex Curopalate Baronius [b] colligit. vltimo tandem loco anno DCCCLXXVIII. ſub Baſilio Imperatore Syracuſæ, [c] ſub Leone verò eius filio Tauromeniũ. inde factũ fortaſſe, vt oppreſſa à Barbaris Meſſanenſi Eccleſia ſuperuacaneum videretur, de veteri eius dignitate retinenda diſputare.

b Baron. anno 827.

c Conſtãt. Porphirogen. de Themat. Imperij Them. 10.

Vt vt verò iſta ſe habuerint, certiſſimũ eſt, honores hoſce Siculis Eccleſijs á Conſtantinopolitano Patriarcha tàm liberaliter conceſſos, nomine tenus, ac titulò non re ipſa fuiſſe, quippe toto illo temporis interuallo, quo Sarraceni rerum potiti ſunt, nullus eſſe potuit vſus Eccleſiaſticæ huius Politiæ, neque in praxim deduci exulante ex vniuerſa Inſula Chriſtiana religione.

gione. Id quod veluti diuinitùs prædixiſſe mihi videtur Anaſtaſius Bibliothecarius, cùm Græcorum in Romanam Sedem inuidentiá meritiſſimè ſugillans, quòd Apoſtolicæ Eccleſiæ prouincias Conſtantinopolitano præter ius,faſque aſſeruiſſent: *Sed his*, inquit, *prouincijs,nec ipſi diu fruuntur. ſiquidem iam memorata Vulgarorum gens protinus irruit, & vniuerſa circa Danubium loca occupat, ſicque Graeci Principes, quòd Sedi ſurripiunt Apoſtolicae, in duplum quodammodo,& ſecundum legem reſarcinant. nam cùm iure Diœceſeos vſurpatae, ſua,ideſt Imperij proprij partem poteſtatis,amittunt.* Anaſtaſio etiā Nicętas cōſentit. *Has*, ait, *& his multò plures ob cauſas venit ira in filios diffidentiae.* & poſt pauca, *deinde etiam magna Syracuſanorum ciuitas horrenda clade perijt, Inſulaque omnis, & cuncta oppida,& omnis prouincia hoſtili manu fędè etiamnum hodie vaſtatur, diripitur, peſſundatur.* Tandem verò etiam ab Apoſtolica Romana Sede, cuius eſt ſacros iſtos honores inter Chriſtiani Orbis Eccleſias partiri, reiectum eſſe conſtat hoc Conſtantinopolitani Præſulis iudicium, cùm Catanenſem, & Syracuſanam Eccleſias in Epiſcopalem ordinem redegerit, Mamertinam in priſtinam dignitatem reſtituerit.

a In præfat. ad VIII. Synodum

b Nicæt. in Vita Ignatij

## *Inquiritur prima Meſſanenſis Archiepiſcopatus reſtitutio poſt exactos Sarracenos.*

## CAPVT XXVII.

PRæſtat nunc tractationem iſtam, quam de Siculæ Eccleſiæ antiquo iure ſuſcepimus, ab Normannorum Principum tempore metiri, vetuſtioraque, quæ illius æui ſuperſunt, monumenta in medium proferre. Ac ſanè quidem, vt quòd res eſt loquar,prima Meſſanenſis Archiepiſcopatus veſtigia, quæ hactenus aſſequi potui, in Rogerij primi Siciliæ Regis principatum incidunt. Horum alterius Fazellus b in topographia Cephalœditanæ vrbis meminit in hęc verba: *In nomine Dei aeterni, & Saluatoris noſtri. Rogerius diuina fauente clementia Siciliae, & Italiae Rex. Dignum, & rationabile, &c.* & poſt multa, *Hac itaque ratione ducti,ex longo iam tempore ad honorem Saluatoris propoſuimus Eccleſiam conſtituere in ciuitate Cephaledi, in qua Canonica obſeruantia coleretur, quam iubente Deo, & confirmante Hugone tunc Archiepiſcopo Meſſanae, & eius loci Metropolitano, aſſenſu quoque tam Meſſanenſium,quàm Troinenſium Canonicorum in eo loco Epiſcopatum fieri, ipſumque perpetuò, & inuiolabiliter permanere. Datum in vrbe*

c dec. 1. lib. 9. cap. 3.

*Panormi anno MCXLV. regni noſtri anno XV.* Huc quoque referendum Lucij II. Pontificis Romani reſcriptum: *Lucius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Venerabili Fratri N. Cephaludenſi Epiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum Dominus, & Saluator noſter humilitatis formam ſuis tradens fidelibus obſeruandam maioribus reuerentiam curauerit exhibere, non eſt diſcipulus, & contrarius meritò reputatur, qui ſuis maioribus debitam reuerentiam non impendit: ideoque Fraternitati tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Venerabili Fratri noſtro Meſſanenſi Archiepiſcopo reuerentiam debitam, & obedientiam impendatis, & Eccleſiam eius ad ipſius monita ſtatutis temporibus viſitantes eum in neceſsitatibus, & expenſis ſuis humiliter aſsiſtatis. Datum Veronae* 13. *Kalend. Auguſti.* Neque vno illo ſolùm loco Rogerius de Meſſanenſi Archiepiſcopo meminit. cùm enim Monaſterium D. Philippo ſacrum non longe Meſſana diſtans plurimis auxiſſet muneribus, eaque publicis tabulis teſtata eſſe voluiſſet, poſt multa ita ſubdit diplomate dato anno ab condito Orbe MMMMMMDCLIII. ex Græcorũ ſupputatione, qui noſtris eſt MCXLIII. cuius Bonfilius in
a lib. 1. Meſſenicis [a] mentionem facit. *Si autem contigerit Archiepiſcopũ* (Meſſanæ) *tranſire, & hoſpitio excipi ab ipſo Monaſterio, accipiat gratia benedictionis panes tres, & vini menſuras tres.* Lau-
b lib. 1. dantur etiam Bonfilio [b] aliæ Rogerij tabulæ ſcriptæ anno M.C. XXXII. in quibus hæc preter alia habentur. *Volumus, & mandamus, quòd Archiepiſcopus Meſſanae, & ſucceſſores habeant ab ipſo Monaſterio* (S. Saluatoris linguæ Phari Meſſanæ) *anno quolibet, & à quolibet Archimandrita, qui pro tempore fuerit, & ſucceſſoribus eius ratione cenſus viginti ſolidos, cerae libras centum, cados olei viginti ſecundum concordiam, & formam noſtram. & dicti Archiepiſcopi Meſſanae.* Extant verò etiamnum inter Eccleſiæ Meſſanenſis monumenta huius tranſactionis tabulæ in hanc formam conceptæ: *In nomine Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti anno ab Incarnatione ipſius MCXXXI. Indict. X. Menſe Octob. Dominus noſter Rogerius Sicilię, & Italię Glorioſiſsimus Rex quoddam Monaſterium erectum in honorem S. Saluatoris Beatae Mariae ſemper Virginis, & S. Nicolai Confeſſoris Chriſti prope Meſſanam in prato S. Hiacinthi in loco, qui vulgariter dicitur lingua S. Nicolai, pro anima ſua, & liberorum ſuorum, & patris ſui. & matris ſuae, & omnium peccatorum ſuorum inceptum tempore praedeceſſoris noſtri Vuillelmi Meſſanenſis Epiſcopi volens perficere, & opibus ſuis, proprijſque facultatibus ditare, & quaedam Monaſteria noſtrae Dioeceſeos, quae beatae memoriae pater ſuus Magnus primus Comes Rogerius fundauit, & per priuilegia ſua corroborauit, ſicut ſunt, cũ poſſeſsionibus, & priuilegijs, & pertinentijs*

tinentijs

*tinentijs ſuis ſupradicto Monaſterio ſubijcere, rogauit me, vt & ego Hugo Dei gratia Meſſanenſis humilis Eccleſiae Archiepiſcopus concederem, & Meſſanenſes Canonicos concedi facerem. Cuius iuſtae petitioni annuentes, ego videlicet Meſſanenſis Archiepiſcopus, & Meſſanenſes Canonici Fratres noſtri ſponte, & bona volũtate conceſsimus, & concedimus ſine aliqua ſaeculari exactione, ſiue Fratrum ibidem Deo ſeruientium aliqua inquietatione.* & poſt multa: *Verùm ego praedictus Meſſanenſis Archiepiſcopus tàm nouitati, quàm & impenſis ſurgentis Eccleſiae compatiens communi Fratrum noſtrorum aſſenſu conceſsi Abbati, eiuſque ſucceſſoribus cenſum annuum minimè perſoluendum, donec ipſa Eccleſia conſtrueretur, & dedicatione polleret, porrò ex tunc annalis cenſus ſolutio ſicuti praedictum eſt incohoaret*, Tandem verò diploma ita clauditur: *Ego autem iam ſaepè nominatus Meſſanenſis Eccleſiae Archiepiſcopus ipſa eadem Monaſteria praefatae Eccleſiae S. Nicolai, ſicut in ſuperiori pagina ſancitum eſt, quantum mihi iurique Archiepiſcopali ſpectat, concedo, confirmo, & corroboro ſubſcriptorum teſtium teſtimonio. Ego Hugo Meſſanenſis Archiepiſcopus conceſsi, & confirmaui.* Atque has ego puto eſſe illas pactiones, quas inter Rogerium, & Meſſanenſem Archiepiſcopum initas, poſtea confirmarunt Alexander Tertius anno MCLXXV. XII. Kalend. Nouemb. & Honorius Tertius Kalend. Nouemb. MCCXVI. atque iterum idem Honorius MCCXXIV. Sed & huic eidem Hugoni Archiepiſcopo Liparitana Eccleſia Epiſcopalis Cathedræ dignitatem acceptam ferre debet. cùm enim ad ea vſque tempora ſolo Monaſterio ordinis S. Benedicti, Bartholomæi Apoſtoli memoriæ ſacro inſignis eſſet, Hugonis conſilio factum eſt, vt ad Epiſcopatus honorẽ proueheretur Quarũ rerum publica monumenta in tabulario Eccleſię Meſſanẽſis me legiſſe memini his verbis: *In nomine Dei aeterni, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti anno ab Incarnatione eius MCXXXI. Indict. X. Menſe Octobris. Ego Hugo Dei gratia Meſſanenſis Archiepiſcopus, cum vnuſquiſque fidelium Eccleſię ſuae prouectui debeat prouidere, idcirco Meſſanenſis Eccleſiae dignitati amplificandae diſcretè prouidentes Liparitanam Eccleſiam conſilio Meſſanenſium, & Troinenſium Canonicorum, vtriuſque denique Conuentus Epiſcopatum conſtituimus. Igitur Frater in Chriſto cariſsimè Ioannes nunc eiuſdem loci Abbas te in Liparitanum Epiſcopum eligi concedimus, ita ſane, vt tàm tu, quàm & ſucceſſores tui in noſtra obediẽtia in poſterũ permanentes à noſtris, noſtrorumq; ſucceſſorum manibus, tamquàm Suffraganei, debeatis conſecrari.* Porrò harum tabularum fides inde etiam confirmari poteſt, quòd inter Liparitanæ Eccleſiæ ſchedas extat, vti ad me inde perlatum eſt, diploma Rogerij

eidem

eidem Ioanni Liparitano Primo Epiſcopo datum in hæc verba: *In nomine Dei aeterni, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti anno Incarnationis eiuſdem M C X X X I V. Indict. X I I. Ego Rogerius Dei gratia Siciliae, & Italiae Dux, Rogerij Primi Comitis haeres, & filius. Si noſtrae poſtulatio voluntatis omnibus Dei cultoribus, lociſque venerabilibus ſtudio debet proſequente compleri, illis pręcipue, qui pro culpis, & offenſionibus noſtris Dei miſericordiam inuocant, poſtulationis effectum iugiter impendere debemus. Ea propter Ioannes tàm Pactenſis, quàm Liparenſis Monaſterij Dei gratia venerabilis Epiſcope petitionibus tuis, Fratrumque tuorum clementius annuentes pro ſalute animae Patris noſtri glorioſę memoriae Rogerij Comitis, matriſque noſtrae Adelaſiae, & noſtra, noſtrorum denique parentum, concedimus eidem Monaſterio, & tibi, tuiſque ſucceſſoribus omnia illa, quaecumque Pater noſter magnificae memoriae Rogerius Comes, & beatae memoriae Robertus Guiſcardus, ſeu alij Principes, Duces, & Comites, & Barones pręnominato S. Bartholomęi Liparenſi Monaſterio, & Pactenſi dederunt, & ſuis priuilegijs confirmarunt.* Piget iam in proferendis integris tabulis diutiùs immorari. Satis ſit innuiſſe Boſonem Cephalœditanum Epiſcopum Roberto Meſſanenſi Archiepiſcopo, eiuſque Eccleſiæ, quam Matrem appellat, domum, ac vineam anno M C L I X. dono dediſſe, Guillelmum quoque Siciliæ Regem eidem Roberto Archiepiſcopo Palatium Panormitanæ Eccleſiæ proximum munificentiſsimè eſſe largitum, vt in authographis [a] ipſis tabulis videre licet Guillelmi, & Boſonis ſigno ſubſcriptis. teſtari item incertum Authorem Propugnationis [b] Siculæ, quam aiunt, Monarchiæ in tabulario Septimancæ extare in hunc diem tabulas tranſactionis initæ inter Liparitanum Epiſcopum, & Gualterium Guantes, Innocentij II. authoritate confirmatas anno MCXXXV. extare inſuper Lucij II. codicillos anno M C X L I V. datos, quibus obortæ inter Archiepiſcopum Meſſanenſem, & Regios magiſtratus controuerſiæ iudices dedit.

[a] Extāt in Archiuo Eccleſ. Meſſanenſis.

[b] Editæ Madriti anno 1605. apud Ludouicum Sanchez.

Metro-

## *Metropolitæ iuris fuiſſe nouos Epiſcopatus in prouincia inſtituere.*

## CAPVT XXVIII.

Sed ne quis in eo hæreat, quòd paulò ante dixeram, Hugonem Archiepiſcopum Liparitanam Eccleſiam in Epiſcopalem Sedem euexiſſe, quaſi id inſolens videatur, cùm præſertim hodie penes vnum Romanum Pontificem nouam Sedem inſtituendi ius, & authoritas ſit, animaduertendum eſt, quòd ſi priorum temporum morem conſideremus, facillimum erit inuenire, conſueuiſſe Archiepiſcopos in ſuis prouincijs, nedum Epiſcopatus, ſi id è Republica eſſe cenſerent, ſed etiam Metropolitanas Eccleſias inſtituere, tùm deinde vt id ratum eſſet ab Apoſtolica Sede petere: *Erat* (inquit Bernardus a in vita Malachię) *& altera Sedes Metropolitica, quam de nouo conſtituerat Celſus primae tamen Sedi, & illius Archiepiſcopo ſubdita, tamquam Primati, & huic quoque optabat nihilominus pallium Malachias, confirmarique Apoſtolicae Sedis authoritate praerogatiuã, quã Celſi beneficio adipiſci meruerat.* Hoc enim Metropolitani mun' eſt, idq; ſui natura dignitas aſſert, vt nouos Epiſcopos, nouas Eccleſias in prouincia ſtatuere poſſit, *non tamẽ abſq; Pontificis authoritate* (ait Zaccharias Brouerius b poſt Bellarminum) *qua ſuffulti Metropolitani eo etiam inconſulto Epiſcopos ordinabant; ſatis enim ad eam rem gerendam videbatur tacita quaedam, ac generalis à Romano Epiſcopo Patriarchis, atq; Archiepiſcopis tributa authoritas, ac poteſtas Chriſtianae fidei cauſam, cultumque quacumque poſſent ratione promouendi, atque amplificandi. Sic Euſebium Samoſatenum, ait, nouam Eccleſiam Dolichiae erexiſſe, eique nouum Epiſcopum Marim praefeciſſe. Sic Baſilium Cęſareae Archiepiſcopum Nazianzenum Gregorium Saſimorum Antiſtitem nouo loco Saſimis erecto Epiſcopatu ſtatuiſſe.* Et de ipſomet Baſilio Nazianzenus ſcribit: *Cùm Antimus Tyanae Secundae Cappadociae Metropolita ex prima Cappadocia, quae Baſilio parebat, pleraſque ciuitates ſibi vindicare conaretur, ſalubre conſilium iniſſe, vt plures in ſua Diœcesi nouos Epiſcopos crearet, quò & animarum maior cura ſuſciperetur, & quaelibet ciuitas prouentus ſuos haberet, quorum praecipuè cauſa turbas Antimus ciebat.* Quò nimirum Gregorius III. Pontifex Maximus reſpexit, cùm ad Sanctum Bonifacium ſcribens, c poſtquàm illum Archiepiſcopũ in tota Germania à ſe conſtitutum narraſſet: *Praecipimus*, inquit, *vt iuxta ſacrorum canonum ſtatuta, vbi multitudo excreuerit fidelium, ex vigore Apoſtolicae*

a Cap. 9.

b In cẽſura ad lib. 2. M. Anton de Dominis cap. 8. pag 363. Bellarm. de Eccleſ. lib. 4. c. 8.

c Suri' in vita S Bonifac. lib. 1. cap. 25.

*Sedis debeas ordinare Epiſcopos, pia tamen contemplatione, vt non vileſcat gratia Epiſcopatus.* Proinde legimus eumdem Bonifaciũ a in Baioaria prouincia quatuor Epiſcopales Sedes collocaſſe, idque tùm Gregorium III. tùm Zacchariam Romanos Pontifices b ſupremæ Sedis authoritate ratum habuiſſe. Miſſos hic facio Auguſtinũ Angliæ, c Hartuuicũ Bremenſem, d Adalbertum Pragenſem e Archiepiſcopos, qui diuerſis temporibus in eorum prouincijs Anglia, Liuonia, & extrema Germania innumeras ferè Epiſcopales Sedes erexere.

Patet igitur, vt eo redeat oratio, vnde primùm digredi cæpit, ex publicis hiſce monumentis Meſſanenſem Eccleſiam, vel ab anno ſaltem MCXXXI. Metropolis authoritate functam, haud quidem nuda tantum appellatione, ſed re quoque ipſa, cùm Liparitanum, & Cephalœditanum minimùm Epiſcopos eius Sedis Suffraganeos hoc tempore fuiſſe conſtet. Idque Fazello f ſatis compertũ opinor, qui Meſſanenſi Eccleſię ſub Rogerio I. Archiepiſcopalem dignitatem acceſſiſſe ſcribit. nam quòd ſubiectæ Epiſcoporum Sedes Metropoliticum honorem indicent illius Eccleſiæ, ſub cuius ditione ſunt, notius eſt, quàm vt pluribus demonſtrari operę pretium ſit. Quòd ſi quis tamẽ hæreat, vel omninò neget, non alio argumenti genere eum conuincam, quàm grauiſſimo Cardinalis Baronij g teſtimonio, qui Arelatenſem Eccleſiam multò ante Cæſarium Archiepiſcopali prærogatiua inſignem fuiſſe, his verbis probat: *Aiunt Eccleſiam Arelatenſem non niſi ſub Caeſario à Romano Pontifice fuiſſe Archiepiſcopali munere inſignitam, cùm tamen, quae dicta ſunt, ſępè ſuperiùs id praeter veritatem aſſeri manifeſtent. Nonne Archiepiſcopalis Sedes erat, quae ſub ſe habuit Epiſcopales Sedes? nonne dictum ſuo loco ſuperiùs, Saturninum Arelatenſem Epiſcopum collegiſſe Concilium ſubiectorum ſibi Epiſcoporum?* Siquidem, vt Theodorus Balſamo h ſcriptum reliquit, à Sanctis Patribus ſancitum eſt, *vt Diœceſes, in quibus ſunt vrbes ſub Epiſcoporum gubernatione conſtitutae à Metropolitanis regantur.* Quo factum, vt, cùm in Quinta Conſtantinopolitana Synodo i de Tyanenſi Metropoli ſermo incidiſſet, Euphranta eius Sedis Epiſcopum Metropolitanum fuiſſe, hoc potiſſimùm argumento demonſtrarit, *quòd in Dobara, quòd in Nazianzo Epiſcoporum ordinationes faceret.* Eamdem quoque ob rationem Anaſtaſius Nicænus Metropolitam ſe confirmabat in Secunda Calcedonenſi k Synodo, *quòd Baſilianopolis Epiſcopum creandi facultas ſibi eſſet,* & de Proculo Maſſilienſi Epiſcopo legimus, l Secundæ Narbonenſis Eccleſias Metropolitico iure ſibi vendicaſſe, *quòd eaſdem vel intra Parochiae ſuae limites poſitas, vel à ſe Epiſcopos accepiſſe liquidò conſtaret.*

a Ibid. c. 31. & 32.
b tom. 2. epiſt. Decret. epiſt. 2 inter epiſtolas Zachariæ.
c Beda Hiſtor. Anglic lib. 2. cap 3
d Arnold. Abb. Lubecen. Hiſt. Slauor. lib. 7. cap. 8 & 9.
e Adamus Hiſtor. ſuorum temp. lib 4. ca. 42. 43. & 44.
f Dec. 2. lib. 10 cap. vltimo in Indicẽ Epiſcopatuum.
g Anno 508. num. 31.
h In reſp. de Patriarch.
i Collat. 5.
k Act. 14.
l In Concil. Taurinẽſi c. 2.

Sed

Sed mihi quiſquam hoc locò obiecerit, vix apparere, quomodo hæc, quæ hactenus dicta ſunt, ſibi conſtent, cùm alioqui perſpicuū ſit, Nicolaum Epiſcopum primū fuiſſe, qui anno circiter M C L X X. dignitatem Archiepiſcopalem intulit in Eccleſiam Meſſanenſem. extant ſcilicet, inquiunt, diplomata, in quibus hoc ſe titulo inſcribit: *Nicolaus Primus Archiepiſcopus Meſſanenſis.*

Verùm facilis eſt reſpondendi ratio, nam vt conceſſerim, extare tabulas in hanc formam à Nicolao ſubſcriptas, eæ tamen ita intelligendæ ſunt, vt ordinalem numerum explicent, qui inter agnomines Archiepiſcopos Meſſanenſes erat futurus, quò facilè nimirum intelligi poſſet, primus, ne exempli cauſa Nicolaus, an Secundus, aut Tertius eius nominis eſſet is, de quo Acta loquerētur. Ac ne quiſquam replicet, receptum quidem eſſe eius demonſtrationis gratia, vt ſub extremis tabulis, cùm Æra dati diplomatis, vel epiſtolæ indicatur, aliena manu annotetur, quotus ſit eius nominis Pontifex, aut Imperator; inſolens verò, & ſine exemplo eſſe, vt propria manu quis ſe Primum, Secundum, aut Tertium inſcribat, placet huius ipſius moris exempla aliqua proferre. certè cùm Romę eſſem, memini me in Baſilica D. Pauli monumentum oblationum legiſſe, quas Gregorius III. in dies ſingulos fieri iuſſiſſet. Id ita habet: *In nomine Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Breue factum à me Gregorio Tertio Papa de oblationibus, quae debentur per ſingulos dies in Eccleſia S. Pauli.* Similia habes in Vuillelmo Malmesburienſi [a] de Geſtis Reg. Angl. profert enim Ioannis XII. priuilegium, in quo ita præfatur: *Nouerit cunctorum notitia fidelium, quòd ego Ioannes XII. conditoris clementia Romanae Sedis exiſtens indignus Papa* Item aliud [b] Ioannis XV. in hanc formam: *Ioannes XV. Sanctae Romanae Eccleſiae Papa, omnibus fidelibus ſalutem.* Sed & in decreto condemnationis Anaſtaſij in Synodo Romana [c] ita ſe Romanus Pontifex ſubſcripſit: *Leo Sanctae Catholicae, & Apoſtolicae Romanae Eccleſiae Quartus Epiſcopus in hac excommunicatione, & anathemate Anaſtaſij Presbyteri tituli S. Marcelli manu propria ſubſcripſi.* Romualdus quoque Archiepiſcopus Salernitanus Hiſtoriam ab condito Orbe ad annum M C L X X V I I. productam claudens, ſcriptam à ſe teſtatur Romualdo Secundo Archiepiſcopo Salernitano. Taceo hic innumera ferè alia Imperatorum diplomata, quibus Lotharius, Federicus, Henricus, Otho, Primos ſe, Secundos, Tertios Imperatores inſcribunt. Habes illa tùm in Baronij Annalibus, tùm in Metropoli Salisburgenſi Viguleī Hundij, Ingolſtadij edita M D L X X X I I. Sed neque ab hac loquendi conſuetudine Scriptores ipſi recedunt, exempli

[a] lib. 2. cap. 8.

[b] lib. 2. cap. 10

[c] Apud Baron. anno 853. n. 58

cauſa Gratianum profero, qui Leonis decretum recitat, quo *ſe Othoni Primo Regi Teutonicorum ius eligendi Romanum Pontificem concedere*, ait. item & Codinum, [a] qui cùm de *Michaele Palęologorum Primo* meminiſſet, ac paulò poſt de Andronico ſermo incidiſſet, hunc quoque Imperatorem *Palęologorum Primum* appellauit, quod ſanè, ne pugnantia dixiſſe videatur, ex Nadabi Agmonij [b] ſententia ita intelligendum eſt, quaſi Primus fuerit, qui nomen Andronici tulerit, cùm alioqui ex Michaele Comneno Palęologo natus eſſet, cuius proximè Author meminerat. Quis igitur, obſecro erit, qui negare audeat, in formulis hiſce, & ſexcentis alijs, quæ afferri poſſent, ordinalem numerum, qui nomini cuiuſque adiungitur, non quidem ad nominum ſeriem explicandam pertinere, ſed hoc ſolum indicare, quotus quiſque fuerit poſt Regni, aut Eccleſiæ primam originem Pontifex, Imperator?

[a] De officijs Aulæ Conſtantinopolitanæ.

[b] In Notis ad Curopal.

DE

# ALBERTI PICCOLI I.C.

## DE ANTIQVO IVRE SICVLAE ECCLESIAE DISSERTATIONIS PARS SECVNDA.

*Syracuſanæ Eccleſiæ tituli, ac prærogatiuæ recenſentur.*

### CAPVT I.

SEd iam ex his, quæ hactenus diſputata ſunt, magnam mihi concertationem, & fortaſſe etiam periculum cum Syracuſana, & Panormitana Eccleſijs parari video. Et iſtæ enim Metropoliticũ honorẽ ambiunt, atq; adeò multò ſanè antiquiorem apud ſe fuiſſe prædicant. Porrò Panormitanæ titulos inferiùs examinabimus, Syracuſanæ nunc diſpiciamus neceſſum eſt.

Iam verò hic primùm illud teſtatum volo, neque huius loci eſſe, nec temporis, inanes quaſdam, ac, ſi dicere liceat, pueriles afferre rationes pro ſtruendo iſto Syracuſanæ Sedis Primatu. ſolida enim, & ſucci plena argumentorum genera perſequi mens eſt. Abſit verò, vt nobiliſſimæ iuxta, atque antiquiſſimæ Eccleſiæ cauſam in ſuſcepta Primatus, ac dignitatis controuerſia tàm infirmis ſubnixam præſidijs opinemur, tàm tenui, vt ille dixit, tibicine ſuffultam, vt ad commentitia quædam, & ampulloſa teſtimonia recurrendum ſit, quæ paulò litteratiores pudeat in medium protuliſſe. qualia illa ſunt, quòd à quibuſdam Syracuſana Eccleſia *Prima B. Petri Filia* ſalutatur, ab alijs neſcio quo Leonis Papæ ſuffragio *Secunda poſt Antiochenam Sedes*. Sed nimirum hæc de alijs quoque Eccleſijs vulgo iactari inaudiuimus. quare, & illud reſpondere ſit ſatis, quo in eiuſdem exempli cauſa Baronius [a] refellit Rauennatis Eccleſiæ

a tom. 8. annõ 595. n. 42.

cleſiæ propugnatores. *An non, inquit, ante Rauennatem Eccleſiam alias Petrus ſtatuit? an non aliae fuerunt per Orbem Chriſtianum digniores Cathedrae?* Certè ſi de antiquitate res eſt, Hieroſolymitanam ipſo primo poſt Chriſti aſcenſionem anno fundatam accepimus. vndecim verò poſt annis Alexandrinam, quo item anno conſtat, Petrum Apoſtolorum Principem primam ſcripſiſſe epiſtolam ad Eccleſias, quæ in Ponto, quæ in Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithinia iam pridem erectæ ab eo fuerant. Atqui tamen Occidentis Sedes, ac proinde etiam Siculas, non niſi quarto Claudij Principis anno, qui idem duodecimus eſt à morte Chriſti, inſtitutas lego. [b] Neque integrum eſt reſpondere Marcianum in Siciliam à Petro miſſum, cùm Antiochiæ Epiſcopum ageret; quando ipſa Marciani Acta, quæ in Syracuſana Eccleſia olim legebantur, item & Gallicani Breuiarij non priùs ab Apoſtolorum Principe Marcianum, & Pancratium Epiſcopos deſignatos docent, quàm Claudio Principe Romam veniſſet, quibus & Græcorum Menologia conſentiunt. Porrò verò ſi Cathedrarum dignitas committenda eſt, cùm poſt Antiochenam primas partes Syracuſanæ deferre iſtis placeat, quo tandem loco erit Hieroſolymitana, quæ omnium mater Eccleſiarum quandoque [c] audijt? quo loco Alexandrina, Carthaginienſis, Cæſareenſis, Epheſina? nam Mediolanenſem, & Rauennatem ex horum ſententia vix eſt vt in certamen venire patiamur. Quæ non eò à me dicta eſſe volo, vt clariſſimę ac Principis olim vrbis dignitati quicquam detrahatur. id enim neque poſſem, ſi vellem, neque officij mei eſt, neque eius neceſſitudinis, quæ Syracuſanos inter, & Mamertinos fuit, eritque, ſed vt antiquiorum rerum, præſertim vero Eccleſiaſticarum cognitionem in vſum reuocemus.

a Chryſoſt. homel. 87. in Ioannem.

b Baron. tom. 1. anno 44.

c Theodoret. lib 5. cap. 9. Baron. 325. nu. 138. & 139.

## *Vices Apoſtolicæ Sedis in Maximiano Syracuſano Epiſcopo ad tempus fuiſſe, non idem de Felice Meſſanenſi dici poſſe.*

## *CAVPT II.*

PRimùm igitur obijciunt, Syracuſanum Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Vices tota Sicilia tenuiſſe. idque ex D. Gregorio ſatis conſtare, qui Maximiniano Syracuſano Antiſtiti Vicariam in omnes Siculos Epiſcopos præfecturam concedit his verbis: [d] *Mandata cęleſtia efficaciùs gerimus, ſi noſtra Confratribus onera partiamur. Proinde ſuper*

d lib. 2. ep. 4. Indict. X.

*cunctas*

*cunctas Siculas Eccleſias Reuerendiſsimum te virum Maximianum Fratrẽ, & Coepiſcopũ noſtrũ Vices Sedis Apoſtolicę miniſtrare decreuimus, vt quiſquis illic religionis habitu cenſetur, Fraternitati tuae ex noſtra ſubiaceat authoritate, quatenus eis non ſit neceſſarium poſthaec pro paruulis ad nos cauſis tanta maris ſpatia tranſmeando peruenire, ſed ſi quę fortaſſe difficilia exiſtunt, quae Fraternitatis tuae iudicio nequaquam dirimi poſſunt, haec ſolummodo noſtrum iudicium flagitent, vt ſubleuati de minimis in cauſis maioribus occupemur. Quas videlicet Vices non loco, ſed perſonae tribuimus, quia ex tranſacta in te vita didicimus, quid etiam de tua ſubſequenti conuerſatione praeſumamus.* Hæc quidem Gregorius.

Sed huic ego argumento facillimè occurrere poſſum. Primo ſi negem, Gregorium Epiſcopos Siculos, eorumque Eccleſias ijs verbis Maximiano vllatenus ſubieciſſe. planum id ex clauſula illa: *Vt quiſquis illic religionis habitu cenſetur, Fraternitati tuae ex noſtra authoritate ſubiaceat.* Non niſi igitur religioſas perſonas Monaſticæ regulæ addictas, ac ſacrum præferentes habitum Syracuſano ſubeſſe voluit. his etenim omninò verbis Monachos vbique exprimere ſuo veluti idiotiſmo Gregorius conſueuit, quod facilè ex nonnullis eius epiſtolis [a] probari poteſt. Sanè illum prudentiſſimum conſilium ſecutum exiſtimabit, quiſquis ſciat, Maximianum, priuſquàm ad Syracuſanæ Eccleſiæ clauum proueheretur, S. Andreæ Monaſterio ab Gregorio ipſo conſtructo ſumma cum laude præfuiſſe; [b] par igitur erat opinari, ſi Siculorũ Monachorũ cura eidem mandaretur, nõ minori diligentia, ac fructu prouinciã adminiſtraturũ.

[a] lib. I. Indict. IX. epiſt. 33. lib. 3. Indict. XII. epiſt. 22. lib. 4. Indict. XIII. epiſt. 18. lib. 7. Indict. I. epiſt. 9.
[b] D. Gregor. homil. 34.

Quid verò, ſi ſecundo loco oſtenderim, prærogatiuam illam, quæcumque fuerit, non loci, ideſt Eccleſiæ Syracuſanæ, ſed perſonæ fuiſſe? an non enim clarè, luculenterque teſtatur Gregorius, non ſe Eccleſiæ, ſed Maximiano honorem habere? *Quas videlicet Vices*, ait, *non loco, ſed perſonae tribuimus, quia ex tranſacta in te vita didicimus, quid etiam de tua ſubſequenti conuerſatione praeſumamus.* Quibus vnis verbis mihi videtur prudentiſſimus Pontifex anſam omnem præcidere voluiſſe, ne ob adminiſtratas ſemel Apoſtolicæ Sedis Vices Syracuſana Eccleſia in ſpem veniret vindicandæ ſibi Metropoliticæ dignitatis, & ad illud reſpexiſſe, quòd multò antea Leo I. [c] ſcripſerat: *Et ſi enim diuerſa ſunt nonnumquam merita Praeſulum, iura tamen permanent Sedium.* At verò cum Felice Meſſanenſi Epiſcopo longè diſpari, ac diuerſa ratione actum. neque enim Gregorius honorem, de quo in ſuperioribus erat ſermo, Felicis perſonæ, ſed Eccleſiæ proprium fuiſſe ſignificat. id quod ea præſertim verba indicant; *Hanc, Frater cariſsime, obſer-*

[c] Epiſt. 66. ad Maximian.

*uantiam*

*uantiam Poſteris noſtris relinquendam teneamus.* Quam eamdem clauſulam ijſdem omninò verbis expreſſit Gregorius, [a] cùm Deſiderium Viennenſem, Ætherium Lugdunenſem, Vigilium Arelatenſem, Syagrium Auguſtodunenſem Metropolitanos per litteras hortatus eſt ad indicendas in ſuis prouincijs annuas Synodos: Quin igitur Concilij indicendi ius, Epiſcoporum cauſas cognoſcendi, aliaque prouinciæ negotia in Concilio curandi authoritas, haud quidem Felicis propria, ſed Eccleſiæ, atque adeo Poſteris etiam fuerit communis, dubitari non poteſt. Nā qua tandē ratione potuiſſet Felix morē illum Synodi annuatim euocandæ ad Poſteros ſuos tranſmittere, ſi poteſtas ea peculiaris, ac propria Felicis perſonæ fuiſſet? Quid ſi illa quoque conſideremus: *Quia quod tibi, tuiſque, vt tuae litterae innotuerunt, conſulti, ſcribimus, generaliter omnibus tenere mandamus.* Quis non videt hic Felicis ſucceſſores deſignari?

[a] ep. 112. lib. 7 Indict. II.

Sed eſto, nullam Gregorius de Felicis ſucceſſoribus mentionem inieciſſet, num ne id impediret, quòminus certò, ac veriſſimè cenſeamus, ad hos etiā tranſiſſe Felicis prærogatiuam? minimè verò, & in mentem ſubit, quòd cùm negaret olim Eboracenſis priuilegium à S. Gregorio Eccleſiæ Cantuarienſi irrogatum ad ſucceſſores eius Sedis primi Archiepiſcopi Auguſtini extendi poſſe, quia nihil de ijs Gregorius meminiſſet, Lanfrancus Cantuarienſis inanem aduerſarij tergiuerſationem exemplo ſimili ſic eluſit: [b] *Porrò quòd dicis, potuiſſe B. Gregorium, ſi voluiſſet, ſucceſſoribus Auguſtini confirmare, quod conceſſerat Auguſtino, verum omninò eſt, nec poteſt ambigi. Sed quod, quaeſo, praeiudicium hoc Cantuarienſi Sedi affert? nam quando Dominus, & Saluator noſter Ieſus Chriſtus dixit B. Petro:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum; *potuiſſet, ſi voluiſſet adiicere, eamdem poteſtatem ſucceſſoribus concedo. Verum dicti praetermiſſio nihil reuerentiae imminuit ſucceſſoribus Petri. Ibis ne his obuiam? referes ne aduerſa? enimuero omnium Chriſtianorum conſcientijs eſt inditum, vt nihilominus, quàm Petro, ſucceſſoribus eius, & minantibus attremant, & ſerenam benignitatem indulgentibus gaudenter applaudant.* & paulò poſt, *Romana Eccleſia eſt maior omnium Eccleſiarum, & quod in ea valet, debet & valere in minoribus, vt poteſtas primi cuiuſcumque Eccleſiae Principis in ſuccedentes dimanet.* N I S I *ſi quid perſonaliter, & nominatim excipiatur. quare ſicut Chriſtus dixit omnibus Preſulibus Romanis, quod dixit Petro, ita dixit Gregorius omnibus ſucceſſoribus Auguſtini, quod dixit Auguſtino.*

[b] Vuillelmus Malmesburienſis de geſt. Pontif. Anglor. lib. 1.

Sed illa objiciet aliquis: *Qui vos, ac veſtrā prae caeteris perſonam elegimus.* quaſi eo loquendi genere perſonale, vt aiunt, beneficium

neficium in Felicem contuliſſe Gregorius videatur, ac cum eo denique finiendum.

Verùm ego aliter hæc intelligo. ſentio enim D. Gregorium tota hac epiſtola, non Felicem modò alloqui, qui tum Meſſanenſi Eccleſiæ præerat, ſed in huius perſona omnes eius ſucceſſores, iiſque modum, ac formam benè regendæ prouinciæ præſcribere, ne Romani Pontificis iudicium alioqui reprehendi poſſet, qui eos præ cæteris ad Archiepiſcopalem honorem extuliſſet. non abſimilem phraſim Leo I. Pontifex vſurpat, cum Legatos ad Calcedonenſem Synodum celebrandum à ſe miſſos inſtruens: a *Sanctorum quoque Patrum*, ait, *conſtitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari, ſeruantes omnimodè Perſonę noſtrę in vobis, quos vice noſtra tranſmiſimus, dignitatem*. Et Hormiſda ad Saluſtium Hiſpalen. b *Quicquid autem vel prouida diſpoſitione praecipies, vel Perſonae noſtrae authoritate firmabis, totum ad ſcientiam noſtram perduces*. Atqui hic non ſuæ ſolum, ac ſolitariæ perſonæ dignitatem commendatam voluit Pontifex, ſed in ea etiam ſucceſſorum ſuorum, atque adeò Apoſtolicæ Sedis. Itaque, ſi quid video, hoc ſenſit Gregorius, quod poſteriores Romani Pontifices paulò immutatis verbis exprimere conſueuere, cùm pallij honore Epiſcopos dignantur, vel Metropolitani prærogatiua; ſic enim earum rerum diplomata concipi mos eſt. *Pro deuotione, & honeſtate tua, Frater Vbalde Piſane Archiepiſcope, perſonam tuam, & per te Piſanam Eccleſiam pallio, &c.*

a Conc. Calcedonenſ. Act. 16

b ep. 61. & 77. ad Epiphaniũ Conſtantinop.

Aliter etiam, & planiùs reſponderi huic obiecto poteſt, Gregoriũ iis verbis illud agere, Felicem à ſe Meſſanenſi Eccleſiæ præpoſitum hortari, vt Epiſcopi Metropolitani munus piè, ſanctèque, ac diligenter exequatur, ita vt expectationi de ſe conceptæ reſpondeat, reque ipſa oſtendat vtiliter Gregorium prouidiſſe, qui Meſſanenſis Eccleſiæ præfectura, Archiepiſcopali ſcilicet honore, præ cæteris, qui ad eum gradum vocari potuiſſent, Felicem digniorem cenſuerit. Et ſanè minimè primùm omnium Meſſanenſium Antiſtitum Felicem Metropolitam eſſe dictum, ipſe idem Gregorius inſinuat, his verbis: *De tribus enim Apoſtolicam Eccleſiam, in qua alitus es, & doctus, capitulis conſulendam Praedeceſſorum tuorum ſequens exempla credidiſti*. Quo intelligamus, Felicem, cùm tres illas Eccleſiaſtici iuris controuerſias ex muneris ſui Metropolitici officio ad Romanæ Sedis iudicium reiecit, ſuorum deceſſorum exemplo permotum id cõſilij cepiſſe, qui, vti fas eſt opinari, ſi quando ab Fratribus ſuis Siculis Epiſcopis de re dubia conſulti ſententiam dicere veriti ſunt, cauſæ cognitionem omnem ex Canonum præſcripto ad Romanum Pontificum detulere.

Certè

Certè,vt hoc quoq; obiter,ac perfūctoriè moneā,nec temerè eſt, quod Gregorius ſcribit: *Felicem praedeceſſorum exemplo commotum Apoſtolicam Sedem conſulendam putaſſe*, & ſubolet mihi hic neſcio quod antiquitatis veſtigium. numquam enim hactenus video in inferioris gradus Epiſcopis prædeceſſorum ſuorum memoriam vſurpatam,bene tamen frequenter Metropolitanis inculcatam. *Si quam ergò*, ait Vigilius ad Aurelianum Arelatenſem a *inter Fratres Diabolus generis humani hoſtis zizaniam ſeminauerit, aut de aliquo Sacerdote Fraternitati tuę ſeruatis per omnia maiorum conſtitutis fuerit querela depoſita,adhibitis tibi Fratribus, & Coepiſcopis tuis,ſecundum qualitatem negotiu numero cōpetenti,cauſam Canonica ordinatione diſcutias.Si quod verò de religione fidei, quod Deus auferat, fuerit certamen exortum, aut tale aliquid negotium emerſerit, quod pro ſui magnitudine ibidem nequeat definiri, veritate diſcuſſa relationis ſerie diſtincta ad noſtram conſultationem potius vt remittas, hortamur: quia ita deceſſores veſtros, qui deceſſorum noſtrorum Vices egiſſe noſcuntur, feciſſe, teſtimonium noſtri declarat ſcrinij.* Hormiſda b verò ad Anaſtaſium Auguſtum: *Frater*, inquit,*& Coepiſcopus meus Nicopolitanae ciuitatis Antiſtes praedeceſſoris ſui ſanctae recordationis Alcyſoni ſecutus exemplum.* Idemq; Nicopolitanus c ad Hormiſdam: *Votum mihi eſt, veſtram ſequi doctrinam, ſicut inter ſanctos praedeceſſor meus Alcyſon extiterat.* Idem in Leone I. videre eſt d ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, ad Viennenſis prouinciæ Epiſcopos, & frequentiùs in Gregorio noſtro, e cùm ad Ioannem Rauennatem, ad Ianuarium Caralitanum, ad Vigilium f Arelatenſem & ad alios eius æui Metropolitanos ſcribit.

a Apud Baron. tom. 7. anno 546. num. 61.

b Epiſt. 19.

c Inter epiſtolas Hormiſdæ.

d ep.87.& 88.

e ep. 9. lib. 3. Indict. XII. & ep.11.16.lib.4. Indict. XIII.

f ep 117.lib.7 Indict. II. ep. 52.& 53. lib.4. Indict. XIII.

## *Vices Sedis Apoſtolicæ Eccleſijs conceſſas eas Metropoles conſtituiſſe contra Berterij ſententiam.*

## CAPVT II.

Redeo nunc ad propoſitam aduerſariorum argumentationem, quæ non eo ſolùm refellitur, quòd Vices Sedis Apoſtolicæ in Syracuſana Eccleſia perſonale beneficium fuere, ſed etiam alia ratione tollitur. Sciendum igitur eſt, quòd & ſi munus Apoſtolicæ Vicis,& Legationis antiquioris æui Epiſcopi à Romano Pontifice obnixiùs efflagitarint, acceptumque pro ſummo beneficio habuerint, vt Leo f Magnus, Martinus g & Iuſtinianus h Imperator diſertè probant, non tamen is magiſtratus, ac dignitas Primatem quempiam conſtituebat, aut Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum

f Epiſt. 8.

g ep. 5. 6.

h In Nouella 336.

tanum

ſanum. cùm id muneris, nedum Epiſcopi, ſed ijs etiam inferiores plerumque obire ſoliti ſint. Nam, & in hac noſtra Sicilia Gregorius (eum ſæpè ac plurimùm in teſtem aduoco, quòd in Sicula Eccleſia magnū vſum habuiſſe præ ſe ferat, adeò vt penè mihi Siculus videatur) Petro Subdiacono Vices ſuas per vniuerſam Siciliam cōmiſit, vti ex pluribus ad eum Gregorij epiſtolis fit clarum. Quare rectiſsimè Berterius: a *Sed caue*, inquit, *ne putes ob id Vicarios omnes Sedis Apoſtolicae Primates fuiſſe, vt quibuſdam viris doctiſsimis viſum eſt. Enimuerò Primates aliquādo Pontificis Maximi Vices ſuſtinuiſſe in dubium vocari non poteſt, ſed differunt tamen à Vicarijs. nam quis Heracleanum, Sardanenſem, Corinthium, & alios huiuſmodi Epiſcopos, qui Vicarij Sedis Romanae in Oriente fuerunt, Primates appellauerit? eos Balſamo in Sexta in Trullo Legatos vocat ἐκπροσώπε. a latere dixerunt noſtri Pontifices.* Hæc ille. quæ tamen non ita ſimpliciter, ac planè intelligo, vti Berterius ſenſit, ſed in ijs ſolum Vicarijs, qui temporarij fuere. nam ſi quæ nobilis, aut inſignis Eccleſia Romani Pontifices Vices perpetuò egiſſet in prouincia aliqua, næ parum ego antiquitatis ſciens iure cenſendus forem, ſi hunc Primatem, aut Metropolitanum dicendum negarem. Quin potius, vt quod ſentio liberè dicam, in ea ſum opinione, Epiſcopos ferè omnes, paucis quibuſdam exceptis, dignitate, ac iuriſdictione omninò pares, vetuſtiſſimis Eccleſiæ temporibus fuiſſe, ſuæ quemque ciuitatis, ac Diœceſis cura contentum, neque alterum alteri ſubiectum, aut, vti nunc dicimus, Suffraganeum appellatum. Deinde verò, cùm Romanus Pontifex Orbis Chriſtiani curam ſibi vni à Chriſto creditam cum certis cuiuſque prouinciæ Epiſcopis b partiri cæpiſſet, mandatis videlicet eiſdem Apoſtolicæ Sedis Vicibus, inde paulatim emerſiſſe Metropolitanorum, ac Primatum dignitatem, nempe vt is Primas, aut Metropolitanus diceretur, qui inter vnius, vel plurium prouinciarum Epiſcopos ob Vices eas diuturno tempore vſurpatas iuriſdictionem habuit. Centena ſcilicet exempla ſuppetunt, quæ ſententiam hanc probent. ea proferri à me operæ pretium eſt, ne Berterij vnius opinio, tùm publicis monumentis, tùm doctiſſimorum hominum authoritati præiudicet.

Ac primùm ſanè Viennenſis Eccleſiæ Primatus ex eo potiſſimùm fonte originem ducit, quod Romanæ Eccleſiæ Vices in ſubiectis ſibi Galliae prouincijs perpetuò tenuerit. Vnde illa ſunt Nicolai II. ad Adonem Viennenſem: c *Sicut ergò ab anteceſſoribus noſtris B. ſcilicet Leone, vel à reliquis penè vſque ad noſtra tempora anteceſſoribus praeſtitum eſt, [illegible]gitione Apoſtolica, vt ad priuilegium Viennenſis Eccleſiae ſeptem prouinciae pertinerent,*

a Diatrib. 1. c. 4. pag. 186.

b Baron. tom. 6. año 514. nu. 17. & in apendice ad tom. 3. anno 325. nu. 128.

c Ioannes Boſco in Antiquitat. Viennenſ.

*nerent, in quibus Praeſul ipſius Vices noſtras agens conuentus in dicerét, & iuſtè, & regulariter iura Eccleſiaſtica definiret.* Gregorij item VII. ad Vuaremundum: a *Certum quippe eſt, Viennenſem Eccleſiam huius Sedis conceſſione ſuper ſeptem prouincias Primatũ tenuiſſe, in quibus Viennenſi Epiſcopo iuxta Nicolai decretũ Romani Pontificis Vices agere, conuentus ſcilicet Synodales indicere, & iuſtè, & regulariter Apoſtolica authoritate conceſſũ eſt definire.* Calixti II. ad Capitulum Viennenſe: b *Nos quoque authore Deo concedimus, & praeſentis priuilegij pagina confirmamus, vt videlicet ſuper ſeptem prouincias Primatum obtineat, & in eis Viennenſis Archiepiſcopus Romani Pontificis Vices agat, conuentus indicat, & negotia Eccleſiaſtica iuſte, canoniceque definiat.*

a Ibidem.

b Ibidem.

Sed enim neque ſoli Viennenſes ob cõmiſſas eis Apoſtolicas Vices Primatum vindicarunt, nam & Lugdunenſis Primatem ſe in Senonenſi prouincia veluti Legatum natum, quod aiunt, aliquando contendit, vt ex Iuonis epiſtolis c conſtat. Epiſcopi verò Arelatenſis prouinciæ an non iiſdem ex cauſis Arelatenſis Eccleſiæ Primatum probant in epiſtola ad Leonem I? nam cùm ab eo peterent, vt ex more antiquo Viennenſis Arelatenſi ſubijceretur, inter alia, quibus Primatum adſtruunt, hoc quoq; addunt: d *Cui etiam* (Arelatenſi) *id honoris dignitatisque collatum eſt, vt non tantùm has prouincias poteſtate propria gubernaret, verùm etiam omnes Gallias ſibi Apoſtolicae Sedis Vice mandata ſub omni Eccleſiaſtica regula contineret.* Quin ipſos quoque Arelatenſes Epiſcopos non alia ratione dignitatem illam aſſeruiſſe, quàm quia Vices Romanæ Sedis tenuere, e plures indicant Vigilij, Pelagij, Gregorij, aliorumque Romanorum Pontificum epiſtolæ. Sed iam hic earum aliquas ex plurimis, quæ afferri poſſent, reddamus. Vigilius quidem, cùm ad Auxanium ſcribens f narraſſet prius ſe ei Vices Apoſtolicæ Sedis commiſiſſe, hortatur, *talem ſe operibus praebeat, vt inde rectum Pontificis iudicium circa eius perſonam oſtendatur, cauſas Epiſcoporum adhibito ſecum competenti numero Sacerdotum finiat. fidei verò controuerſias, aut grauiores, quae Arelati prae ſui magnitudine terminari non poſſent, ad Apoſtolicam Sedem referat, nullum ex ſubiectis ſibi Epiſcopis ſine Formatis diſcedere è prouincia patiatur.* ſubdit tandẽ, *& quia digna credim⁹ ratione compleri, vt agẽti Vices noſtras pallij non deſit ornatus, vsũ tibi eius, ſicut deceſſori tuo praedeceſſor noſter Symmachus legitur contuliſſe, B. Petri functa authoritate concedimus.* Pelagius verò ad ad Sapaudum g *Vices ſe ei Apoſtolicae Sedis iniungere,* ait, *hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Eccleſiae Romanae teſtantur ſcrinia, à ſanctis Patribus, & Deceſſoribus noſtris tuis Deceſſoribus eſſe conceſſum.*

c Ep. 59. 61. 67. 71. 118. & Seuertius hiſtor. Eccleſ. Lugdunenſ. part. 1. n. 68. in Hugonis Archiepiſcopi elogio.
d Apud Baroniũ anno 450. num. 54.

e Bertet. Diatrib. 2. cap. 4. pag. 186. 187. 188. Azor. inſtitut. moral. part. 2. lib. 3. c. 36. quæſt. 1.
f Baron. recitat anno 545. num. 4. tom. 7.

g Baron. recitat. anno 555. num. 18. 10. 7.

& poſt

& poſt pauca, *Sic ergo participata ſollicitudine ſanctam Dei vniuerſalem Eccleſiam noſtri rexere maiores. hinc eſt quòd & nos, Fraternitati tuae huiuſmodi curas iniungimus, vt Sedis noſtrae Vicarius inſtitutus ad inſtar noſtrum in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem, vel diſpoſitionem gerendam eſt neceſſarium, ſeruatis Patrum regulis, & Sedis Apoſtolicae conſtitutis diuini iudicij conſideratione diſpenſes, talemque te in cuſtodiendis canonibus ſancta conuerſatione demonſtres, qualem tanti loci decet eſſe Vicarium. vſum quoque pallij tibi alacriter, affectuoſèque concedimus, pariter etiam dirigentes, vt in tanti loci faſtigio conſtitutus, praeclaro quoque habitu decoreris.* Neque ab more hoc recedere videtur Leo, † cùm ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum ſcribens, ita præfatur: *Quoniam ſicut praedeceſſores mei praedeceſſoribus tuis, ita etiam dilectioni tuae priorum ſecutus exemplum Vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuerſis Eccleſijs principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtrae manſuetudinis effectus adiuuares, & longinquis ab Apoſtolica Sede prouincijs praeſentiam quodammodo noſtrae viſitationis impenderes.*

† Epiſt. 82.

## *Idem alijs exemplis demonſtratum. quot modis dicti Vicarij Sedis Apoſtolicæ, & quæ eorum munera.*

## CAPVT IV.

QVibus præſertim Leonis, & Pelagij verbis fit planum Romanum Pontificē per Vicarias iſtas præfecturas vniuerſæ Eccleſiæ adminiſtrationem partiri conſueuiſſe, ac cum ijs quoq; pallij honorem tradere ſolitum. ſed tamen in hac deleganda iuriſdictione antiquitatis habitam eſſe rationem, eumque modum ſeruatum, vt vno quodam tenore eorum Antiſtitū opera vteretur, [a] quibus ex veteri more id muneris à ſuperiorib' Pontificibus fuiſſe impoſitū, vt Pelagius loquitur, *ex ſcriniorum inſpectione* appareret. Cōſtat inſuper in ijs ſolùm prouincijs aliquem Metropolitani, aut Primatis perſonam egiſſe, in quibus etiam Apoſtolicæ Sedis Vices tenuiſſet, eademque omninò fuiſſe Primatis, aut Archiepiſcopi munia, atque ea erant, quæ Vicarius, ſeu Legatus præſtare iure ſuo poterat, Concilia nimirum Epiſcoporum indicere Romanæ fidei integritatem accurare, grauiores cauſas, ac controuerſias ad Sedem Apoſtolicam referre, Formatas litteras

a Colligitur etiam ex Leonis I. ep. 84 ad Anaſtaſ. Theſſalonicenſ. Gregorij. ep. 9 lib. 4. Indict. XIII. Vigilij ad Aurelian. Arelat. apud Baron to. 7 anno 546. num. 61.

dare è prouincia diſcedentibus Romani Pontificis decreta comprouincialibus Epiſcopis ſignificare.

Quo factum, vt vix, ægreque dignoſci poſſit, quid inter hæc Vicarij Sedis Apoſtolicæ, & Primatis, aut Archiepiſcopi dignitates interſit. quin imò rectiſſimè concludere vtrumque poſſis, eum, qui in prouincia munera iſta obierit, & Vicarium Pontificis Romani,& Metropolitanum, vel Primatem dici potuiſſe. Huc etiam pertinet, quòd Tarraconenſi Archiepiſcopo, cum Toletano parere negligeret, Vrbanus Papa ſcripſit [a] *Memineris te, inquit, ita Archiepiſcopum conſtitutum, vt tam tu, quàm vniuerſae prouinciae Tarraconenſis Epiſcopi Toletano tanquam Primati debeatis eſſe ſubiecti. ſic ei à nobis in Toletanae Eccleſiae priuilegio conſtitutum, quod nos omninò ratum volumus permanere, nunc autem multò amplius, cùm noſtrae ſollicitudinis Vices in Hiſpania vniuerſa, & Narbonenſi prouincia iniunximus miniſtrandas.* Et de patria ſua loquens Iuſtinianus Imperator: [b] *Beatiſsimus autem pro tempore Archiepiſcopus Iuſtinianae Primae patriae noſtrae ſemper ſub iuriſdictione ſua habeat Epiſcopos Daciae Mediterraneae, & Daciae Ripenſis, item Triballiae, ac Dardaniae, & Miſiae Superioris, & Pannoniae, & ab ipſo hi ordinentur. ipſe verò à propria ordinetur Synodo, & in prouinciis ſibi ſubiectis locum teneat Apoſtolicae Romanae Sedis, ſecundum ea, quae Sanctus Papa Vigilius conſtituit.* Certè Aimoinus [c] Anſegiſi Senonenſis Archiepiſcopi Primatum non aliò refert, quàm ad Vices Sedis Apoſtolicæ per eum adminiſtratas. nam Synodi Pontigonenſis res geſtans enarrans: *Et legit,* inquit, *Ioannes Tuſcanenſis Epiſcopus epiſtolas à Domno Apoſtolico, cum quibus, & legit epiſtolam de Primatu Anſegiſi Senonenſis Epiſcopi, vt quoties vtilitas Eccleſiaſtica dictauerit, ſiue in euocanda Synodo, ſiue in alijs negotijs exercendis per Gallias, & Germanias Apoſtolica Vice frueretur, & decreta Sedis Apoſtolicae per ipſum manifeſta efficerentur, & rurſum, quae geſta fuerint, eius relatione, ſi neceſſe fuerit, Apoſtolicae Sedi pandantur, & maiora negotia, & difficiliora quaeque ſuggeſtione ipſius à Sede Apoſtolica diſponenda, & enucleanda quaerantur.* Tudenſis verò de Iſidoro ita ſcribit: [d] *Rexit Archiepiſcopatum Hiſpalenſem XL. annis diuerſis fulgens miraculorum ſignis, Primaria dignitate florens, & Romani Papae in Hiſpania Vicem gerens.* quam ille dignitatem ad ſucceſſores tranſmiſit, nec priùs ijs abrogata, quàm ob Theodiſci Epiſcopi præuaricationem, & apoſtaſiam in Toletanã Eccleſiam transferretur. Ex quibus tàm multis locis apparet primùm, quanta Berterio fides ſit, qui erroneo illo fundamento iacto negabat, Hiſpalenſem Epiſcopum, quamuis Romani Pontificis Vicarium ageret, Primatem fuiſſe. Apparet

etiam

[a] Azor. refert Inſtit. moral. Part.2.lib.3.ca. 36. quæſt. 1.

[b] In Nouel. c. 31.

[c] lib 5.cap.32. & 33.

[d] In Cinthila no Rege.

etiam nullam ferè Eccleſiam inſigniori aliquo Metropolis, aut Primatis Sedis honore floruiſſe, quæ non ſimul etiam Vicariam Romani Pontificis præfecturam in prouincia obiuiſſet. Nullam item eiuſdem Apoſtolicæ Sedis Legatione functam, quæ non aut Metropolis, aut Prima Sedes diceretur. Senſit hoc nimirum Gelaſius, [a] cùm dicebat. *Romanam Eccleſiam primariam eſſe Orbis Chriſtiani Sedem. Antiochenam, & Alexandrinam Vicem ipſius in ſuis prouincijs repreſentare. in quarum exemplum caeteras poſteriores Sedes ex priuilegio id ab ipſa Romana Eccleſia conſecutas eſſe eodem modo, quo inſtitutae erant antiquae.* Senſit & Balſamo in meditatis de Patriarcharum priuileg. cùm Orientis Patriarchas cum Romano Pontifice committens (vt qui pro innata gentis ſuperbia paria illos facere, impudentiſſimè exiſtimat) *Solis Patriarchis*, inquit, *per diuinos, ſacroſque canones Orbis terrarum Tractus eſſe conceſſos. inde eſſe, vt nullus Epiſcopus ſuo iure prouinciam habeat, vel aliud quodpiam ius Sacerdotale, ſed in ea dumtaxat parte Diœceſis munere Sacerdotali fungatur, quae ipſi a ſacra Patriarchali amplitudine conceſſa eſt, eoque ſolum nomine, vt qui à Patriarchis mittantur, Vicemque illorum impleant, Apoſtolica priuilegia* (Epiſcopale munus) *conſequi.* Senſere etiam omnes ferè Romani Pontifices, cùm ad Metropolitanos, aut Primates Epiſcopos ſcripſere, quibus nihil frequentius in ore eſt, nihil tritius, quàm vt oſtendant ſe, cùm Metropolitanos Epiſcopos creant, aut Archiepiſcopales Sedes erigunt, vocare eos in partem ſollicitudinis, [b] ſuas Vices ijs elargiri. Indicio quoque illa ſunt, quòd eminentiorum Eccleſiarum Epiſcopis Romanam Sedem ſuas Vices delegare conſueuiſſe, pluribus exemplis non ſemel teſtatum reliquit Baronius, [c] quòd qui Primates hodie cenſentur, ij quoque Legati nati in ſuis prouincijs appellantur, quò etiam reſpexiſſe mihi videtur Seuertius, [d] cùm ait, Lugdunenſes Epiſcopos *ob eam praeſertim rationem Archiepiſcopos dici, quod antiquiſsimi authores Irenaeo, Iuſto, aliſque Lugdunenſibus Epiſcopis indidere Legati, & Praefecturae nomina, veriùs forſan perpetuae, quàm temporaneae ſupra reliquos Galliarum Antiſtites.*

Igitur vt diſputationem iſtam paucis concludam, non timidè ſenſerim triplici notione Veteribus vſurpatas Apoſtolicæ Sedis Vices. Prima quidem pro Legationis munere, quia ſæpe, ac plurimùm non modo Italiæ, aut etiam Occidentis Epiſcopi, ſed & Romanæ quoque Eccleſiæ Presbyteri, ad Reges, ad Imperatores, ad Concilia pro Romano Pontifice fungebantur. Alius eius vocis erat vſus, cùm Pontifex, quòd non præſens vbique, ac præſertim in Oriente eſſe poſſet, certos Epiſcopos ſeligebat vitæ ſanctitudine, aut prudentiæ fama inſignes, qui illius

[a] In Conc. Romano.

[b] Vide epiſtolā Vigilij ad Eucherium Lugdunenſ de qua ſupra part. 2. cap. 20.

[c] tom 6. anno 517. num 63 & tom. 7 anno 589. num. 9.

[d] In hiſt. Lugdunenſ. Eccleſiæ part. 1. in Leidrado Epiſcopo.

lius Vices ſuſtinerent. Porrò inter vtriuſque generis Legatos, ſeu Vicarios hoc intererat, quòd illorum munus ad breue tempus, exiguumque durabat, hactenus dùm impoſitam ſibi prouinciam ex præſcripto exequerentur: horum verò diuturnior erat adminiſtratio, ac plerumque, niſi aliter Pontifici viſum eſſet, cum vita ipſa finiebatur. De his illud accipio, quod apud Gregorium VII. olim legi, [a] maius aliquid fuiſſe Vices Sedis Apoſtolicæ, quàm Legationis munus; ſic enim ille ſcribit ad Manaſſen Archiepiſcopum: *Quòd si vos Legatos Romanos intelligere videmini quoſlibet cuiuſlibet gentis, quibus Romanus Pontifex aliquam Legationem iniungat, vel, quod maius eſt, Vicem ſuam indulgeat, &c.* Nempe primi generis Legati, & Vicarij fuere, Paſchaſinus Lilybœtanus, Lucentius Aſculan' Epiſcopi, & Bonifaci' Presbyter pro Leone I. Peregrinus Meſſanenſis, & Ennodius Ticinenſis pro Hormiſda, Ioanes Rheginus, & Abūdātius Paternēſis pro Agathone, Vincētius Capuanus, & Euſebius Vercellenſis pro Liberio, & plerique alij, quos longū eſſet numerare. Secundi generis erant Sardanēſis Epiſcopus, & Heracleanus, quos Berterius laudat, item & Coenſis, & Philadelphienſis, quorum ille Leonis, [b] hic Martini [c] Vicarium in Oriente egit, & cùm inferiorum Eccleſiarum præfecturam gererent, ſolius perſonæ meritis eum honorem conſecuti. Tandem tertia acceptione Vices Sedis Apoſtolicæ adminiſtraſſe illos cenſeo, qui pro ſuarum Sedium dignitate, atque præſtantia, pro veteri, ſemperque vſurpata Romanæ Eccleſiæ conſuetudine, in ſingulis prouincijs in ſubiectos Epiſcopos Vicariam Romani Pontificis iuriſdictionem exercuere, cuiuſmodi ex ſuperioribus fuiſſe vides Lugdunenſem Epiſcopum, Viennenſem, Arelatenſem, Piſanum, Toletanum, Theſſalonicenſem.

Fit ex his, vt cum functiones illas, quæ dubium eſt, propriæ ne ac peculiares Vicariorum Sedis Apoſtolicæ fuerint, an verò etiam Primatibus, & Metropolitanis communes, Meſſanenſis Eccleſiæ Epiſcopus in tota Sicilia ſuo iure, atque ex officio geſſerit, & à *deceſſoribus* ſibi per manus traditas, *ad poſteros*, vt ait Gregorius, *ſuos veluti hæreditarias tranſmiſerit*; Syracuſana verò Eccleſia viuo ſolū Maximiano Vices eas tenuerit, atq; adeo vix triennio integro (quippe qui Indict. X. magiſtratum illum inijt, deceſſit verò Indict. XIII. anno DXCVI.) iurè meritoque cenſeamus, hac quidem inſpectione meliorem fuiſſe Meſſanenſis Eccleſiæ conditionem.

Sed verò neque deſpicienda omninò eſt conſideratio illa, quam penè oblitus eram, Maximiano Gregorium cauſas commiſiſſe, non quidem eas, quæ paulò grauiores eſſent, ſed leuiores tantum: *Quatenus eis*, inquit, ***non ſit neceſſarium pro paruulis***

[a] In Regiſtro lib. 6. ep. 2.

[b] Inter epiſt. Leonis ep. 59.

[c] Inter epiſt. Martini ep. 5.

Digitized by Google

*lis ad nos cauſis tanta maris ſpatia transmeando peruenire*. Atqui Felix noſter in regenda prouincia Sicilia nullis conſtrictam vinculis, aut cancellis incluſam poteſtatem habet, ſed vnus omnia implet, omnia pro arbitrio moderatur, Concilia indicit, Eccleſias prouinciæ conſecrat, Epiſcopos inſtruit, coercetque, Eccleſiaſticarum legum vindicem agit, Romanæ Sedis decreta per prouinciam promulgat. quæ ſane munera, & cætera id genus ſicuti maiorem prudentiam, & ſollicitudinem requirunt, ita amplioris dignitatis, & prærogatiuæ argumenta ſunt.

Neque eſt, quod miretur quiſquam, ſupremæ huius poteſtatis, quam Meſſanenſis Eccleſia ante milleſimum annum tota Sicilia habuit, nulla alia extare veſtigia, quàm quæ hactenus ex Gregorij epiſtolis eruimus. extarent illa quidem, & vt opinor, non pauca haberemus venerandæ antiquitatis monumenta, ſi non fatale hoc Sicilia ſemper habuiſſet, vt perpetua quædam belli palaeſtra, & potentioris cuiuſque præda eſſet, aut præmium. extarent ſi per Vandalos, Gothos, ſi per omni barbarie barbariores Sarracenos licuiſſet. quamuis ad illam quoque cauſam referri id poſſit, qua Treuerenſis Eccleſiæ obſcuritatem Berterius [a] excuſat, quòd nullum ferè in veteri memoria Primariæ dignitatis, quam in Gallijs tenuit, indicium occurrat: *Verecundiae ſcilicet, & modeſtiae tribuendum hoc eſſe, quae tanta quidem priſcis temporibus in primis Eccleſiae moderatoribus elucebat, vt ſpecioſa iſta honorum vocabula facile reſpuerent, & extraordinaria poteſtate, quam haberent, comiter vterentur*, Sed ſi liceat dicere, in tanta temporum antiquitate, in tanta publicorum monumentorum iactura, in non huius Meſſanenſis Eccleſiæ dignitatis vmbræ quædam ſunt, ac veluti delineaturæ, quòd ante Gregoriũ Pelagius Eucarpo Meſſanenſi Epiſcopo Catanenſis Eccleſiæ viſitationẽ imponẽs, [b] excuſat ſe, quòd curã hãc ipſi demandet, ea præſertim ratione, *quòd impoſsibile eſſet in prouincia illa cauſas Eccleſiaſticas alij, quàm Eucarpo committi.* Quid illa, quæ ſtatim ſubſequuntur verba: *Niſi forte talem per te Deus nunc in Catanenſi Eccleſia eligere voluerit, de cuius conſcientia poſsimus eſſe ſecuri, vt à te labores iſtos paululum remouere poſsimus*. An non manifeſtò indicant, Meſſanenſem Epiſcopum vnum fuiſſe, qui Romani Pontificis in Sicilia Vices ageret, eaſque vix alteri cuiquam quantumuis pio, ac prudenti Antiſtiti, niſi ad breue aliquod temporis ſpatium eſſe conceſſas, ad Meſſanenſem ſtatim rediturasꝰ An non eò quoque reſpicit, quòd Vrbanus II. Pontifex vix dum reſtituta, ac bene confirmata Chriſtiana religione Robertum Troinenſem, & Meſſanenſem Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis in Sicilia Legatum eſſe iuſſerit? quamuis id quoque poſtea Rogerio adnitente reuocarit,

[a] Diatrib. 2. c. 4. pag. 185.

[b] In cap. Catinenſis 62. diſt. & .

uocarit,

a lib. cap. 29. uocarit. *Sed quia ipſe Apoſtolicus*, ſcribit Gaufridus, [a] *iam dudum Robertum Troinenſem Epiſcopum Comite inconſulto Legatum in Sicilia ad exequendum ius Sanctae Romanae Eccleſiae poſuerat., perpendens hoc Comitem graue ferre, & nullo modo, vt ſtabile maneat, aſſentiri, cognoſcens etiam ipſum Comitem in omnibus negotijs Eccleſiaſticis exequendis zelo diuini ardoris exferueſcere, caſſato, quòd de Troinenſi Epiſcopo fecerat, Legationem S. Petri ſuper Comitem per totam Siciliam poſuit.* Enimuero, vt ita raciocinemur, quid cauſæ fuiſſe potuit, vt cùm plures id téporis Sicilia Epiſcopos haberet, ac præſertim, vti Panormitani prædicant, adeſſet Panormitanus Archiepiſcopus, Vrbanus Meſſanenſi Roberto Legationis munus imponeret? Sanè arbitror, prudentiſſimum Pontificem erecto, ſeu veriùs reſtituto, non ita pridem Epiſcopatu Meſſanenſi, ſuorum deceſſorum morem retinere voluiſſe, qui immenſæ molis opus totius Chriſtiani Orbis curam cum Collegis Epiſcopis partientes, Vices Apoſtolicas ijs delegarunt, qui vel inter prouinciales dignitatis prærogatiua altiùs eminerent, vel diuturna Romanę Sedis conſuetudine id muneris obire ſoliti eſſent.

## *Chreſtus Syracuſanus, quem Conſtantinus Imperator ad Concilium Arelatenſe inuitat, fuerit ne Primæ Sedis Epiſcopus.*

## CAPVT V.

b lib. 10. cap. 5. AT non vno hoc fundamento ſolùm Syracuſanæ res nituntur. extant ſcilicet apud Euſebiū [b] Conſtantini ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum litteræ, quibus eum ad Arelatenſe II. Concilium inuitat his verbis: *Proinde, quando plurimos Epiſcopos ex locis diuerſis, & penè infinitis in vrbem Arelateſiorum ad Calendas Auguſti conuenire mandauimus, tibi etiam per litteras ſignificandum putauimus, vt accepta rheda publica à clariſſimo viro Latroniano Siciliae conductore* ( Correctore rectiùs emendarim ) *duobus item alijs ex Secunda Sede Epiſcopis, quos tamen ipſe maximè deligendos iudicaueris, tibi in ſocietatem adſcitis, quin etiam tribus famulis, qui vobis inter vias miniſtrent, aſſumptis, ad eum diem in loco praeſcripto alijs occurras.* Iam, inquiunt iſti, ſi Conſtantinus alios Epiſcopos è Secunda Sede appellat, conſentaneum eſt adſtipulari Chreſtum Primæ Sedis Epiſcopum fuiſſe, & proinde Metropolitam, qui Suffraganeos ſuos ad generalem Synodum

dum vocare poſſet. quo item loquendi genere D. Auguſtinum aliquando vſum confirmant, cùm quendam Epiſcopum à Tigeſitano Primæ Sedis Epiſcopo ordinatum fuiſſe aſſerit. & ne à præſenti Eccleſiæ forma exemplum deſit, *Non alia acceptione*, inquit Littara, *Toletanae Ecclesiae Antiſtes Primae Sedis Epiſcopus appellatur.*

Verum hæc Conſtantini epiſtola, quæ Littaram in ſpem vindicandæ Primatus dignitatis Syracuſanæ Eccleſiæ nō omninò temerario auſu erexit, neſcio an expectationi par futura ſit. primùm, quia ſi ex Topicis Iuriſconſultorum locis argumentari licet, & ſi verborum proprietati hærendum eſt, multò certiùs, atque etiam veriſimiliùs conſequetur, Chreſtum Secundæ Sedis Epiſcopum fuiſſe. iubet enim Imperator, illū duos alios ex Secunda Sede Epiſcopos in ſocietatem adſcire. atqui *Alius*, dictio ſimilium rerum repetitionem importat, quod tùm ex Grammaticorum regulis, quæ Littaræ notiores eſſe debuerant, tùm ex Iuriſconſultorum placitis receptiſſimum eſt. Chreſtus igitur Secundæ magis, quam Primæ Sedis Epiſcopus fuit.

Adhæc quæ iſta, obſecro, eſt argumentandi ratio. Chreſtus adſciuit ſibi ſocios duos ex Secūda Sede Epiſcopos, ergo Chreſtus Primæ Sedis erat Epiſcopus. nam ſi rectè memini, quæ à primis Logicæ incunabulis didici, ſi quando contradictorium conſequentis ( loquor ex Logicorum formulis ) veritati antecedentis nihilo repugnat, falſa eſt, quæ ex antecedenti deducitur, coſequentia. inde eſt, quod ex Sapientum placitis reprehenditur ea ratiocinandi forma, Caius eſt homo, ergo Caius eſt Philoſophus. quis enim non videt, duas haſce poſitiones neutiquam inter ſe pugnare, Caius eſt homo, & Caius non eſt Philoſophus. Atqui non alia eſt hæc differendi ratio, in qua tantum ſibi Littara perplacet. Chreſtus adſciuit ſibi ſocios duos è Secunda Sede Epiſcopos, ergo Chreſtus erat Primæ Sedis Epiſcopus. nihil enim hæc inuicem refragantur, quòd quis Secundæ ſit, vel Tertiæ Sedis Epiſcopus, & tamen Imperatoris præſertim iuſſu, duos Secundæ Sedis Epiſcopos ad Concilium vocet. alioqui verò rectiſſimè quis inferret, Seius Ducis ſui iuſſu duos è ſecunda cohorte milites ad certam rem delegit, ergo Seius erat primæ cohortis miles, quo nihil abſurdius dici, aut fingi poteſt. quid enim impedit, quo minus ſecundæ, tertiæ, aut quartæ ſit miles?

Quid, quòd ipſius etiam epiſtolæ verba, quæ in teſtimonium proferuntur, indicant, Chreſtum vnum fuiſſe ex plurimis, & prope infinitis Epiſcopis, qui ad Concilium cogebantur? ſic enim ſcribitur: *Proinde quando plurimos Epiſcopos ex locis diuerſis & penè infinitis in vrbem Arelateſiorum ad Calendas Au-*

*guſti conuenire mandauimus, tibi etiam per litteras ſignificandum putauimus, &c.* Vnus igitur ex ijs Epiſcopis erat Chreſtus, quos ſanè omnes fuiſſe Metropolitanos nemo prudens dixerit. neq; enim veriſimile eſt, infinitos propè Metropolitas, vt Conſtantinus loquitur ad Concilium accitos. Ac præterea Epiſcopos quoque inferioris ordinis euocari ad Synodos conſueſſe, vt exempla alia in præſentia omittam, ſatis docere poſſunt Honorij Imperatoris litteræ, quibus Paulinus Nolanus ad Concilium inuitatur, quas ex Vaticano Codice Baronius [a] profert, in quo etiam alias ad alios Antiſtites contineri ſcribit. Et ſi verò Baronius [b] ducentos fuiſſe cenſeat Arelatenſis Concilij Patres, ſcio tamen ex Adone [c] longè maiorem numerum, ſexcentos videlicet, interfuiſſe. reliquum igitur eſt, vt non Metropolitas ſolùm, ſed etiam Epiſcopos, datis ad eos Tractorijs, Imperator ad Synodum venire iuſſerit.

a anno 419. n. 20.
b anno 314. n. 49.
c In Chronico ætate 6.

## *Primæ Sedis Epiſcopi, & Primæ Sedis varia notio, & quales fuerint Africæ Primates.*

## *CAPVT VI.*

DEinde illud primùm Littaræ probandum erat, Primæ Sedis Epiſcopum eum olim dictum, qué nunc Primatem, aut ſaltem Metropolitanum, ſeu Archiepiſcopum vocamus, qua in re non omninò Veterum teſtimonia ſibi conſtant. Scio equidem Primarum Orbis Chriſtiani Diœceſum Archiepiſcopos, quorum initio tractationis memini, Primæ Sedis Epiſcopos interdum appellatos. qua mente Baronius [d] cenſet, Africanos Primates noluiſſe ſe inſcribi Principes Epiſcoporum, quòd ea vox etiam Metropolitanis Epiſcopis eſſet communis, neque item Summos Sacerdotes, quia id quoque nomen Epiſcopis adaptari poterat, qui Metropolitanis ſubijcerentur; ſatius igitur fuiſſe, eos dici Primæ Sedis Epiſcopos, quo nullus amplior titulus dari poterat. Berterius [e] quoque Primam Sedem dici opinatur, quæ Primas ſit ex epiſtola Lugdunenſis Epiſcopi ad Iuonem Carnutenſem: *Cùm ergo*, dicebat ille, *Primae Sedis Lugdunenſis Praeſul pro ſuis, aut illorum neceſſitatibus Secundae, vel Tertiae Praeſules vocat, non ad alienam prouinciam trahit, ſed rationabili, & iuſto ordine ſeruato inferiora membra ad caput reuocat.* & rurſus: *Primae Sedis Pontifex ad Secundam, Tertiam, vel Quartam prouinciam progrediens prouinciam non excedit.* Ad idem etiam egregiè facere videtur canon XXVI. Carthaginienſis Concilij, qui ex Bal-

d tom 5 anno 397. num. 17.
e Diatrib. 2. c. 5. pag. 205.

ex Balſamonis contextu, Heruetique interpretatione ita habet: *Epiſcopi trans mare non peregrinentur, niſi cum decreto Primae Cathedrae proprij vniuſcuiuſque regionis Epiſcopi. hoc eſt, niſi à Primate acceperint eam, quae dicitur dimiſſoria, Formatam.*

Tamen, & illud ſcio, inter prouinciæ Eccleſias Primam Sedem interdum eam eſſe appellatam, cuius ciuitas ſecundum à Metropoli locum habebat, & ſecundo ordine in Notitia deſcribebatur. quò ſpectare crediderim ea, quæ apud Sidoniũ Apollinarem [a] lego, cùm ad Græcum Maſſilienſem Antiſtitem ſcribens, *quod vtique*, ait, *ſaepe, diuq; facientes, iam nõ primi Comprouincialium* ( Epiſcoporum ) *cepiſtis eſſe, ſed vltimi.* Atqui, vt notat ibi Sirmondus, [b] diuiſa per Leonem I. Viennenſi prouincia, ita vt pars Viennæ antiquiori Metropoli cederet, pars Arelato, inter Arelatenſis prouinciæ ciuitates Prima Sedes erat Maſſilia, non quòd Metropolis haberetur, ſed quia prima poſt Arelatum Metropolim: quæ tamen, vt inquit Sidonius, cæteris ferè ciuitatibus in Gothorum, vel Burgundiorum poteſtatem redactis, iam non prima cæperat eſſe, ſed vltima. Ad eandem formam legimus [c] Tyri Epiſcopum Primatis nomen ſuſtinuiſſe, quo factum, vt in Octaua Synodo *Protothronus Antiochiae* quandoque appelletur, interdum verò *Primae Sedis Epiſcopus Antiochiae*, ideſt Diœceſis Antiochenæ, quòd Eccleſia Antiochena vacante, illius Sedis locum teneret; alibi etiam Primi Seſſoris nomine inſignitur, quia, vt Anaſtaſius notat, præ reliquis Antiochenæ Diœceſeos Epiſcopis in conſidendo prærogatiuam ferret.

Scio etiam Primæ Sedis Epiſcopum illum dictum quandoque, & frequenter fuiſſe, qui inter prouinciales Epiſcopalis honoris æuo alios antecedebat, quem etiam Primatem appellari ſolitum Hilari litteris didicimus. [d] Sic enim ille ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis ſcribit. *Ei, qui nunc Eccleſiae Narbonenſi praeſidere permittitur, ordinandorum Epiſcoporum ob hec, quae prauè facta ſunt, ſuſtulimus poteſtatem: quam ita ad Fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Conſtantium Vecticae Eccleſiae Antiſtitem, quia aeuo honoris Primus eſſe dicitur, pertinere cenſuimus, vt ſi ſuperſtite Hermo defunctus fuerit, illum haec cura reſpiciat, quem repererit Epiſcopalis ordo Primatem.* id eſt, Epiſcoporum prouinciæ antiquiſſimum, quod eruditè ſatis, vt reliqua omnia Sirmondus docet in notis ad Gaufridum Vindocinenſem. [e] Sanè ego in poſtremo hoc ſignificatu acceperim cõtrouerſiam, quam apud Auguſtinum [f] legimus de Numidiæ Primatu inter Victorinum, & Xantippum Epiſcopos. cùm enim ad Primatis officium pertineret Tractorias epiſtolas dare ad Epiſcopos, qui ad Concilium vocabantur, Victorinus ad

N 2 plures

[a] lib. 7. ep. 7.

[b] In notis ad Sidonium.

[c] Vuillelm. Tyrius de bello ſacro lib. 14. c. 12. Berter. Diatrib. 2. c. 1. pag. 153.

[d] Apud Baronium to. 6. anno 462. nn. 6.

[e] lib. 3. ep. 11

[f] Ep. 15 aliàs 217.

plures Tractoriam miſit. id quod Auguſtinum mouit, vt datis ad Victorinum litteris eum moneret, quid facto opus eſſet, cùm alioqui ſciret, Xantippum Epiſcopum id munus ſibi vindicare. locum integrum afferre non grauabor, quòd ad multarum rerum cognitionem plurimùm conferat. *Praeterea*, inquit Auguſtinus, *Venerabilis Frater, & Collega noſter Xantippus Tagaſtenſis dixit, quòd eum Primatus iſte contingat, & erga plurimos ſic habetur. qui etiam error ſi facilè inter veſtram Sanctitatem cognoſci, & corrigi poteſt, non debuit tamen in Tractoria, quam miſit Venerabilitas tua nomen eius praetermitti; quod ſi in mediis locis conſcriberetur, & non in primo loco poneretur, multùm mirarer; quanto magis mirandum eſt, quòd nulla tibi eius admemoratio facta eſt, qui maximè ad Concilium venire debuit, vt de ipſo Primatus ordine cauſa omnium Numidarum Epiſcopis Eccleſiarum primitùs ageretur. His de cauſis venire dubitaui, ne forte falſa eſſet Tractoria. Vnde peto Beatitudinem tuam, vt mihi ignoſcas, & primò inſtare digneris, vt inter tuam Sanctimoniam, & Senem Xantippum conſtet, quis veſtrum debeat conuocare Concilium, aut certè, quod ſalubrius arbitror, ſine cuiuſquam praeiudicio ambo conuocate Collegas noſtros, eos maximè, qui vobis Epiſcopatus aetate vicini ſunt, qui facilè quis veſtrum verum dicat, agnoſcant, vt inter nos paucos eadem prae caeteris queſtio dirimatur, & errore ſublato minores à caeteris conuocentur, qui nec poſſunt, nec debent, niſi vobis in hac re tamquam prioribus credere, & nunc ignorant, cui potiſſimùm credant.*

Ex qua Auguſtini epiſtola in adiudicando alterutri parti Numidiæ Primatu non dignitatis Eccleſiarum, ſed ætatis cuiuſque Antiſtitis habitam eſſe rationem per ſe quiſq; facilè cognoſcet. quale enim erat, vt prouinciales Epiſcopi iura prærogatiuaſque ſingularũ Sedium ignorarent? quæ ſcilicet inter alias Primatũ obtineret, quæ vel antiquitate, vel præſtantia cęteris anteiret. Illud potiùs controuerſum fuiſſe exiſtimauerim, quod obſcurum, ac dubium tùm erat, quis prior in Epiſcopali ordine ſediſſet, Victorinus ne an Xantippus, adeoq; rectiſſimè conſulebat Auguſtinus, ad eam rem dijudicandam ab vtroque Competitore vocandos eſſe prouinciæ Epiſcopos, eos maximè, qui Epiſcopatus æuo viciniores ipſis eſſent, ac propterea facilè recordari poterant, quis illorum prior Epiſcopus eſſet creatus.

Proinde nec temerè exiſtimauerim Baronium [a] vix aſſecutum mentem Mileuitanorum Patrum, qui in Mileuitana Synodo ſtatuerunt, [b] *vt Matricula, & Archiuus Numidiae, & apud Primam Sedem ſit, & in Metropoli, id eſt Conſtantina.* Sentit enim Baronius hac cõſtitutione Patres definire voluiſſe altercationẽ duarum Sedium in Numidia poſitarum de Metropolis iure, quaſi

a anno 402. n. 65.

b Apud Conc. Afric. cap. 53.

quaſi illud Xantippo adiudicarint Conſtantinenſi, vt putat ille, Epiſcopo, eiuſque Sedi Conſtantinæ. qua in re tùm in eo falli mihi videtur Baronius, quòd Xantippum Conſtantinæ Epiſcopum appellat, cùm ex epiſtola Tagaſtenſem fuiſſe conſtet, & ratio quoque ipſa ſuadeat, eum alterius omninò ciuitatis Antiſtitem fuiſſe, quam Conſtantinæ, quam ex contextu apparet Metropolim dictam, ac proinde vix fieri potuit, vt idem Xantippus, Conſtantinenſis nempe Epiſcopus, cùm Metropolitanus eſſet, de Primatu quoque cum Victorino contenderet. tùm in eo etiam peccat, quod canonem iſtum putarit inuentum ad ſedandam litem, quæ erat inter Xantippum, & Victorinum, adiudicatamque cauſam eſſe Xantippo, eiuſque Sedi Conſtantinæ. atqui inter hos nec de iure Metropolis diſputatum eſt, nec de Archiuij Numidici Sede deligenda, ſed de Primatus prærogatiua, quia vterque ſe priùs altero ordinatum contendebat. Id verò Mileuitani Patres intactum reliquere, nec quis antiquior eſſet Epiſcopus, hoc canone declararunt, ſed cùm fortaſſe quereretur, quis locus Archiuio ſtatui deberet, cenſuiſſe, duobus in locis conſtitui oportere, & in Metropoli Conſtantina, & in prima Sede. Et hæc quidem obiter monuiſſe non abſurdum fuerit,

Porrò verò non alia Primatus acceptione locum alterum Auguſtini a intelligo: *Nos autem*, ait, *alia habere geſta Eccleſiaſtica, in quibus Secundus Tigiſitanus, qui tunc agebat in Numidia Primatem, pręſentes, & confeſſos Traditores reliquit Deo iudicandos.* & paulò poſt, *haec res ſollicitare debuit Secundum, qui tunc erat Primas.* Quem alibi b quoque Primæ Sedis Epiſcopum, alibi verò Primatem Numidiæ appellat. Atque huiuſmodi fermè fuiſſe Primates Africæ Franciſcus Turrianus c docet his verbis: *Sancitus eſt ergo ille canon de Primatibus Africanis, ideſt Epiſcopis Primarum Sedium. quia olim, vt Leo IX. in epiſt. ad Petrum, & Ioannem Epiſcopos Africanos contra Epiſcopum Gummitanum ſcripsit, in ſingulis prouincijs Africae conſtituebantur Primates, non ſecundum potentiam alicuius ciuitatis, ſed ſecundum tempus ſuae ordinationis.*

Tandem Primatem non ex loci, Sediſue dignitate dictum, ſed ætatis merito Gregorius I. d ad Gennadium Exarchum docet: *Concilium verò*, inquit, *Epiſcoporum admoneri praecipite, vt Primatem non ex ordine loci poſtpoſitis vitae meritis faciat, quoniam apud Deum non gradus elegantior, ſed vitae melioris actio comprobatur. ipſe verò Primas non paſsim, ſicut moris eſt, per villas, ſed in vna iuxta eorum electionem ciuitate resideat, quatenus adeptae dignitatis meliori ingenio reſiſtendi Donatiſtis poſſibilitas diſponatur.* & alibi, e *Donatiſtas Epiſcopos ad Prima-*

a Epiſt. 161.

b In breuiculo collat. diei 3. cap. 13.

c In diſput. pro canonib. Apoſt. & epiſt. decret. lib. 3. cap. 1.

d lib. 1. epiſt. 72. indict. IX.

e lib. 1. ep. 75. Indict. IX.



Digitized by Google

*ius dignitatem promoueri prohibet, etiam cùm ordo Clericorũ eos ad locum eumdem defert. ſufficere enim ijs debere commiſſę plebis tantummodo curam gerere, non autem etiam illos Antiſtites, quos Catholica fides in Eccleſiae ſinu, & edocuit, & genuit, ad obtinendum culmen Primatus anteire. Conſuetum enim erat in Africa*, inquit Baronius, [a] *vt ille Primas prouinciae diceretur Antiſtes, qui antiquitate ordinationis reliquos antecederet. cùm igitur inter prouinciae Epiſcopos quidam reperiretur Epiſcopus Donatiſta, caeteris Sede antiquior, ipſe ſibi Primatum veluti iure veteri vindicabat, quod ne vllo modo fieret, S. Gregorius interceſſit.* Suadet etiam, quòd cùm in Concilio Viticenſi S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus Quoduultdeo, qui ſe multò ante Fulgentium Epiſcopatum iniijſſe confirmabat, in ſedendi, ac ſubſcribendi ordine priorẽ locũ tuliſſet, idq́; grauiter ille ferre viſus eſſet, in Supphetano Concilio poſtea celebrato reconciliandi Fratris gratia loco ceſſit, & vt nomen ſuum poſteriùs recitaretur, impetrauit. quam animi facilitatem laudans Vitæ Scriptor: [b] *Ecce*, inquit, *B. Fulgentius nec Primatum, quem meruit, defendere voluit, quia ſine charitate prior eſſe alicui minimè concupiuit.* Demum verò hoc etiam indicat, quod Xantippus Numidiæ Primas, itemq́, Donatianus Bizacenus, Syluanus, & quotquot alij eã dignitatẽ tenuere, ſancti Senes [c] vbiq; appellantur. Neque interim præteribo, Africanam iſtam conſuetudinem in Gallijs quoq; admiſſam. quod tùm Hilari Papæ epiſtola docet, qua vt paulò ante vidimus, Primatum Prouinciæ ad Conſtantium Vecticenſem deferebat, quia honoris æuo primus eſſe dicebatur, tùm etiam Leo I. [d] innuit ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis, qui hoc quoque ad Primatis prerogatiuam pertinuiſſe indicat, ſimul cum Metropolitano Epiſcopos ordinare. Sic enim ait: *Ordinationem ſibi, vt ante diximus, ſinguli Metropolitani ſuarum prouinciarum cum his, qui caeteros Sacerdotes antiquitate praeueniunt, reſtituto ſibi per nos iure defendant. alienũ ius alter ſibi non audeat vindicare. ſuis limitibus, ſuis terminis ſit vnuſquiſque contentus, & priuilegium ſibi debitum in alium transferre ſe poſse nouerit non licere. quòd ſi quis negligens Apoſtolicas ſanctiones, plus gratiae tribuens perſonali, ſui honoris deſertor eſſe voluerit, priuilegium ſuum in alium transferre poſſe ſe credens, non is cui ceſserit, ſed is, qui intra prouinciam antiquitate Epiſcopali caeteros praeuenit Sacerdotes, ordinandi ſibi vendicet poteſtatem.* nec longè poſt. *Et quoniam honoranda eſt ſemper antiquitas, Fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Leontium probabilem Sacerdotem hac, ſi vobis placet, dignitate* (Primatus) *voluimus decorari, vt pręter eius conſenſum alicuius prouinciæ non indicatur à vobis Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum*

*vetuſtas*

[a] to.8.pag.24.

[b] In vita S. Fulgentij cap. 29.

[c] Conc. Afric. c. 69. Mileuit. ca. 27 49. Auguſtin. ep. 261.

[d] Epiſt. 87. ad Epiſcopos Vienenſ. prouinc. conſtit.

*vetuſtas eius, & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis priuileg ij ſui dignitate ſeruata. aequum eſt enim, nec vlli de Fratribus fieri videtur iniuria, ſi his, qui Sacerdotij vetuſtate praecedunt, pro aetatis ſuae meritò in ſuis prouincijs à caeteris Sacerdotibus deferatur.*

Igitur ex his omnibus, quæ de Primatus notione variè apud authores vſurpata, in hunc locum à me ſeriò congeſta ſunt, non video quàm firmum, quàm ſolidum argumentum duci ex Conſtantini epiſtola poſſit, ad adſtruendam Syracuſanæ Eccleſiæ dignitatem. nam, vt hoc etiam Littaræ condonemus, probari ex epiſtolæ verbis, fuiſſe Chreſtum Primæ Sedis Epiſcopum, ea vox, cùm varia adeo, & inconſtans apud Veteres fuerit eius acceptio, vſuſque, non video, cur in Chreſto pro Primate, aut Metropolitano ſumenda ſit? cur non magis illum vel honoris æuo alijs præſtitiſſe, vel vitæ meritò, vel primum à Meſſanenſi Metropolitana Eccleſia locum habuiſſe aſſeueremus? Porrò Siculam Eccleſiam potuiſſe iſtiuſmodi Primatum inſtitutionem ex vicina prouincia Africa mutuari, non difficilis eſt coniectura, quando ſolemnem Baptiſmi celebritatem in Epiphaniæ feſto ab illa accepiſſe Victor [a] indicat, & Leo I. [b] Pontifex, vt temerè factum reprehendit.

[a] lib. 2 de perſec. Vuandal.
[b] Epiſt, 4.

## *Viſitandi vacantes Eccleſias ius Metropoliticum nè munus ſit. Et quis fuerit in veteri Eccleſia inter Epiſcopos conſidendi, & ſubſcribendi ordo.*

## CAPVT VII.

Tertium, quo Syracuſani Primas ſibi vendicant, illud eſt, quòd eius Sedis Epiſcopo cæteras Siciliæ Eccleſias viſitandi ius fuit, eiſdemque, dum ſuus cuique ſufficeretur Antiſtes, præſidendi, vt ex pluribus Gregorij epiſtolis conſtat. quo argumenti genere magnum aliquid ſe præſtitiſſe, inſulſiſsimè quiſpiam putauit. quaſi non vbique Gregorius ſui ſimilis appareat, & promiſcuè pro voluntatis arbitrio, non vicinarum modò Eccleſiarum curam ſed & remotiorum Epiſcopis delegarit, quorum exempla abundè in epiſtolis ſuppetunt. nam Syracuſano [c] Liparitanam, & Anconitanam Eccleſias interdum cõmendat, alibi verò Panormitano Tarracinenſem. [d] quin & ipſius Panormitanæ Eccleſiæ adminiſtrationem Barbaro Carinenſi [e] traditam conſtat. An verò, vt cætera exēpla in re clariſſima miſſa faciamus, quis quam

[c] lib. 2. Indict. X. epiſt 26. & lib. 12. Indict. VII. epiſt 6.
[d] lib. 7. Indict. II epiſt. 74.
[e] lib. 11 Indict. VI. epiſt. 16.

quam erit, qui ob id exiſtimet, Syracuſani Epiſcopi Suffraganeos fuiſſe Liparitanum, & Anconitanum, Tarracinenſem Panormitani, aut viciſſim Panormitanum Carinenſis?

Quarto loco Syracuſanę Eccleſię cauſam inprimis adiuuat, quòd Syracuſanus Epiſcopus non ſemel eximia quadam honoris prærogatiua ante alios Siciliæ Antiſtites ſe ſubſcripſerit. Sic in Romana Synodo ſub Agathone celebrata, cuius Acta extant in Sexta Synodo Conſtantinopolitana, Theodoſius Syracuſanus in ſubſcribendi ſerie reliquos omnes antecedit, Benedictum Meſſanenſem, Ioannem Thermitanum, Iulianum Catanenſem, Georgium Triocalitanum, quin etiam in Romana Quinta Synodo ſub Symmacho Eulalius Epiſcopus Syracuſanus tertium poſt Romanum Pontificem locum tenuit. in Secunda verò Arelatenſi Chreſtus primus inter Concilij Patres legitur. haud dubium, quin ijs notis Syracuſanæ Eccleſiæ Primatus commoſtretur.

Verùm hic argumentandi locus è ſubſcriptionum ordine petitus his, qui Eccleſiaſticæ antiquitatis vſum aliquem habeant, non magnam vim faciet. quippe ordo ille non ad prærogatiuam Sedium pertinuit, ſed ætatem demonſtrabat, qua quiſque primùm inter Epiſcopos eſſet allectus. Poſſem id quoque præter veterum Pontificum [a] ac Patrum teſtimonia Mediolanenſis, & Rauennatis Eccleſiarum exemplo confirmare. inter has enim aliquando prior ſententiam dixit Mediolanenſis Epiſcopus, interdum verò Rauennas. *Sed haec diſcriminis ratio tempus ordinationis, non Eccleſiarum dignitatem indicabat,* inquit Gratianus. [b] Proinde rectiſſimè in Mileuitano [c] cautum eſt: *Vt quicumque deinceps ab Epiſcopis ordinantur, litteras accipiant ab ordinatoribus ſuis manu eorum ſubſcriptas, continentes Conſulem, ac diem, vt nulla altercatio de poſterioribus, vel anterioribus oriatur.* Et bene admonet Baronius [d] ex ſubſcribentium Antiſtitum ſerie colligi, non Eccleſiarum prærogatiuam, ſed temporis, quo quiſque primùm in Epiſcopatu ſedere cepit, idq; vel vno exemplo Cócilij Aquileienſis apertiſſimè probari, qua in Synodo, cui pariter D. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus interfuit, ante Diogenem Genuenſem Philaſtrius, ſeu Philaſter ponitur Brixianus Epiſcopus; in Concilio verò Mediolanenſi priorem locum obtinet Paſchalis Genuenſis Antiſtes, & poſt alios ſubſcriptus legitur Octaui⁹ Brixienſis. Sed hęc clariora in Auguſtino, [e] qui ad Victorinum cauſas afferens, quibus ſuadentibus Concilio intereſſe non potuerat, ad quod à Victorino euocabatur: *Deinde,* inquit, *ad ipſos Numidas* (Epiſcopos) *ita perturbato, ac neglecto ordine ſcriptum eſt, vt nomen meum tertio loco inuenerim, qui noui, quàm poſt multos Epiſcopus*

*factus*

[a] Ex Lucij Papæ epiſt. Conc. Cabilon. cap. 6. African. cap. 53 Tolet. IIII. c. 3. Mileuit. c. 13. Iuon. 5. part. decret. cap. 164. 165. 166. Gratian. diſt. 17. 18 Ferrar. de antiquo Eccleſiaſtic. epiſt. genere lib. 2. c. 1.

[b] cap. Epiſcopum § ſequēt. diſt. 17.

[c] Mileuit. cap. 14.

[d] tom. 6. anno 451. num. 26.

[e] Ep. 15. aliàs 217.

*factus ſum, quae res & alijs iniurioſa eſt ſatis, & mihi inuidioſa.* Præterea hic ego, quòd in Anglicana Synodo ſancitũ, Beda a teſtatur: *ne quis Epiſcoporum ſe alteri praeferat, ſed agnoſcant omnes tempus, & ordinem conſecrationis ſuae.* Quo nimirum more inſpecto Synodo in Ponto celebratæ Palmas tamquàm antiquiſſimus præfuit, ſi Euſebio b credimus; Toletanæ verò VIII. Orentius c Emeritenſis Antiſtes. Sed nihil clariùs euincit, hunc ipſum veteris æui morem, quem inquirimus, quàm quòd idem ipſe Syracuſanus Antiſtes interdum poſtremo inter Siculos Epiſcopos loco ſedit. hunc enim illi ordinem in Secundæ Nicænæ Synodi ſubſcriptionibus tenuere. d Theodoſius Catanenſis, Ioannes Tauromenitanus, Gaudioſus Meſſanẽſis, Theodorus Panormitanus, Conſtantinus Leontinorum, Conſtantinus Carinis, Ioannes Triocaleos, Theodoſius Lilibœi, Stephanus Syracuſarum.

a Hiſt. Anglic. lib. 4. cap. 5.

b lib. 5 cap. 22.

c Baron. to. 8. anno 646. nu. 40.

d Act. 7.

Quin illud quòque animaduertendum hic eſt, nullam habitam eſſe rationem Metropoliticæ dignitatis, qua quis inter alios præfulgeret, & hunc enim eum gradum in conſeſſu, in rogandis ſententijs tenuiſſe, quem eius in Epiſcopatu ætas mereretur, indicat Vigilij Papæ conſtitutum, e cui Ioannes Epiſcopus Marſorum, Zacchæus Scillitanus, ante Paſtorem Iconij, & Vincentium Claudiopolis Metropolitanos ſubſcripſere. indicat Concilium Romanum ſub Hilaro, in quo Maximus Taurinenſis primo loco poſt Romanum Pontificem ſententiam dicit, multò ante Ebredunenſem, Mediolanenſem, alioſque Archiepiſcopos, *haud quidem,* inquit Baronius, f *ex Sedis praerogatiua, ſed ex antiquitate aetatis in Epiſcopatu agentis, quod vetus mos fuerit, vt qui plures annos ageret in Epiſcopatu, priorem ſibi in Synodis locum vindicaret, etiam ſi alioqui dignitate Sedis eſſet inferior, ſalua tamen Patriarchalium praerogatiua Sedium.* Conſentiunt prædictis Synodi Romanæ ſub Agathone Acta, in quibus Eboracenſis, Arelatenſis, Mediolanenſis, Aquileienſis, & plerique alij Metropolitani neque inter ſe ipſos collati legitimum Eccleſiarum ordinem ſeruant, & promiſcuè poſt multos ſecundarum partium Epiſcopos locum ſortiuntur. Idem in Epheſino I. idem in Tarraconenſi I. in Epaunenſi, Aurelianenſi I. II. III. idem in alijs g Concilijs ſeruatum probari poſſet. quin & in iſto ipſo Arelatenſi Concilio, quod pro Syracuſana Eccleſia profertur, inſcriptos legimus hoc ordine Epiſcopos, Syracuſanum, Capuanum, Arpinatem, Aquileienſem, Mediolanenſem, Arelatenſem, Viennenſem, Treuirenſem, Carthaginienſem. at nemo quidem, opinor, propterea exiſtimauerit, Syracuſanum, Capuanum, Arpinatem, ex loci prærogatiua ante nobiliſſimarum Eccleſiarum Antiſtites priores partes tuliſſe.

e Baron. tom. 7. anno. 553. num. 213.

f tom. 6. anno 465. num. 27.

g Tolet. II. ſub Pelag. Roman. V. ſub Symmacho. Maur' Caſtel. Ferrer. in Hiſt. S. Iacobi lib. 3. cap. 19.

Sermone 69 Sanè non alio prætextu apud S. Ambroſium legimus in Concilio Mediolanenſi ſub Liberio Papa, & Conſtantino Imperatore anno CCCLV. celebrato, Dionyſium Mediolanenſem, qui damnationi Athanaſij Arianorum fraude impulſus ſubſcripſerat, facti mox pœnitentem, Euſebij Vercellenſis, ſui nimirum Suffraganei, conſilio ſubſcriptionem reuocaſſe. Monitus enim Euſebi', vt Dionyſij exẽplo & ipſe ſubſcriberet, viſus eſt illis annuere, ea tamen lege, ſi in ſerie chirographorum Euſebij ſubſcriptio Dionyſianæ præponeretur, *indignum ſcilicet eſſe*, affirmans, *Dionyſium iuniorem Epiſcopum ſibi ſeniori, & veluti parenti filium praeferri*. Quo Ariani dicto permoti, quibus nihil optatius eſſet, quàm vt Euſebium toti Occidentis orbi ſanctitate conſpicuum ad ferendam in Athanaſium ſententiam pellicerent, ſtatim Dionyſij nomine è tabella penitus expuncto, ſubſcribendi prærogatiuam Euſebio detulere. Sed ille detecta fictionis cauſa Arianos irridens, negauit ſe illorum ſceleribus immiſcere velle, vnaque opera Dionyſium alterius iam eſſe ſententiæ dixit. vel vno igitur hoc exemplo fit apertiſſimum, antiquiores Epiſcopos etiam ſuis Metropolitanis ex veteri more præferri ſolitos.

### *Syracuſanus Epiſcopus an ante Photij Patriarchæ Conſtantinopolitani tempora Archiepiſcopus fuerit appellatus.*

## CAPVT VIII.

Conſequenter ad ſuperiora, pro Syracuſanæ Sedis dignitate aſſerenda illa afferri poſſent, quæ in Nicæna II. Synodo olim obſeruaui. Cuius primæ Actioni, cùm Epiſcopi Siculi, & Calabri interſuiſſent, hunc in Grecolatina editione ordinem inter illos ſeruatum lego. Nam poſt Theodorum Catanenſem Epiſcopum, Ioannem Tauromenitanum, Gaudioſum Meſſanæ, Theodorum Panormi, Stephanum Vibonenſium, Conſtantinum Leontinæ, Theodorum Taurianæ, Theotimum Crotonenſium, Conſtantinum Cannæ, ſiue Carinæ, Ioannem Ieropoleos, ſiue Triocaleos, Theophanem Lilybœi, Theodorum Tropœorum, Sergium Nicoterenſium inſcriptus legitur Galatho quiſpiam his verbis: *Galathone Presbytero, & Locumtenente Stephani Epiſcopi Syracuſani*. atqui is idem Galatho Actione Quarta ita ſe ſubſcribit: *Galatho exiguus Presbyter, & ex perſona Stephani Archiepiſcopi Siciliae libenter*

*benter omnia, quae preſcripta ſunt, ſuſcipiens ſubſcripſi.* Nulli igitur dubium eſſe poteſt, quin ea tempeſtate Syracuſanus Antiſtes Archiepiſcopus ſit appellatus. Quibus adde, quòd Nicolaus I. a ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum in cauſa Ignatij, & Photij ſcribens, hæc inter cætera habet: *Inter iſta, & ſuperius dicta volumus, vt conſecratio Syracuſano Archiepiſcopo noſtra à Sede impendatur, vt traditio ab Apoſtolis inſtituta nullatenus veſtris temporibus violetur.* a Ep 1. tom. 3. epiſt. decretal. edit. Romanæ.

Sed non tanti hæc ſunt, vt ſententiam mutare inuiti cogamur. ac primum quidem teſtimonium, quod à Nicæna Synodo petebatur, inde quàm futile ſit apparet, quod Vulgata editio in I. Actione ita habet: *Theodoro Catanenſi, Ioanne Tauromenitano, Gaudioſo Meſſanenſi, Theodoro Panormitano, Stephano Bibonenſi, Conſtantino Leontinae, Theodoro Taurianes, Chriſtophoro Adraces, Theotimo Crotonis, Conſtantino Triocaleos, Theophilo Lilybęi, Theodoro Tropheorum, Sergio Nicoterenſi, Galathone Archipresbytero locum tenente Rhegij, Stephano Epiſcopo Syracuſano.* Secũda item, & Tertia, & Quarta Actione Galathas Presbyter in locum Rhegij ſe ſubſcribit. Septimæ verò Actionis hic eſt ordo. Conſtantinus Epiſcopus Rhegij, Ioannes Monachus ex perſona Patrarum, Catanenſis, Tauromenitanus, Meſſanenſis, Panormitanus, Bibonenſis, Triocalitanus, Taurianenſis, S. Cyriacæ, Carinenſis, Lilybœi, Nicoterenſis, Bizias. Nullus verò Galathas inter iſtos numeratur Epiſcopi Rhegini Vices gerens: quippe ipſo præſente Epiſcopo Rhegino nullus iam Vicarij vſus eſſe poterat. quæ cùm ita ſint, tantum abeſt, vt Græcolatina Nicæni Concilij editio negotium nobis faceſſat, vt imò ad fidem Vulgatæ corrigenda ſit, & vbique legi debeat, Galathonem non Syracuſani, ſed Rhegini Epiſcopi Vicem geſſiſſe. quod præſertim ſuadetur ex ipſo Græco, & Latino cõtextu, qui Actione II. his conceptus eſt verbis: *Galatho Presbyter, & ex perſona Sanctiſsimi Epiſcopi Rhegij ſimiliter.*

Quare facilè crediderim errorem Græcolatinæ editionis inde irrepſiſſe, quòd cùm in prima Actione Epiſcoporum omnium nomina, qui Concilio interfuere, non recto caſu, vel ablatiuo, ſed genitiuo efferantur, nimirum Ioannis Catanenſis, Theodori Tauromenitani, Gaudioſi Meſſanenſis, &c. ac Galathonis nomen ſtatim ſubſequeretur inſcriptio Stephani Syracuſani, facilè duæ, quæ ſeorſim erãt poſitæ, Legati Rhegini, & Syracuſani Epiſcopi inſcriptiones in vnam librarij vitio coaluere: ita vt cum legendum eſſet: Γαλάτωνος πρεσβύτερου, κἀι τὸν τόπον ἐπέχοντος τῦ Ρηγίου; ac mox conſequenter legeretur ſubſcriptio Syracuſani, Στεφάνου Ἐπισκόπου Συρακουσίων, ex duplici ſubſcriptione vna ſit facta, Galathonis Presbyteri, & Vicarij Stephani

Epiſcopi Syracuſani, quæ coniectandi ratio eo confirmatur, quòd nullibi præterea fit mentio Conſtantini Rhegini Epiſcopi veluti præſentis, præterquam in ſeptima Actione, in qua tunc demum Nicæam adueniente Conſtantino ſuffragium tuliſſe eum legimus. neq; impedit, quod Latina verſio Anaſtaſij IIII. Actione ita legat: *Galatha exiguus Presbyter, & ex perſona Stephani Archiepiſcopi Siciliæ.* Et ſi enim Anaſtaſius ita verterit, Græcus codex proprium nomen eius, qui dicitur Archiepiſcopus fuiſſe, non habet, quod fortaſſe Anaſtaſius ex fide Græcæ editionis IV. Actione ita commodè reſtitui poſſe exiſtimauit; cùm alioqui ex prædictis conſtet, Galathonem Legatum egiſſe, non quidem Stephani Epiſcopi Syracuſani, ſed Cõſtantini Rhegini. quòd verò hunc Archiepiſcopum Siciliæ tùm Græcus textus, tùm Anaſtaſius appellent, non multi momenti eſt. frequentiſſimè enim veteres etiam Scriptores pro Calabria Siciliam vſurparunt, vt ex Strabone [a] Philippus Cluuerius, [b] & Paulus Merula [c] docent.

[a] Initio lib. 6. [b] Lib. 1. Sicil. Illuſt. cap. 6. [c] In Italiæ deſcript. lib. cap.

Reliquum eſt igitur, vt Nicolai Pont. Rom. teſtimonio occurramus, qui Syracuſanam Eccleſiam Archiepiſcopalem nominat. Sed iam ante à me latiùs diſputatum eſt, quis fuerit Eccleſiæ Siculæ ſtatus Nicolai I. & Photij Conſtantinopolitani Patriarchæ ætate. eò igitur Lectorem relego. vnum hic moneo, quòd & ſi ſciam circa hæc ipſa fortaſſe tempora Syracuſanum Epiſcopum Photij beneficio Archiepiſcopi nomine honeſtatum, vix tamen perſuaderi poſſum viuo Nicolao id obtinere ab eo potuiſſe: quod, vt aſſerã, facit, quia ipſe idem Nicolaus alibi [d] Synodi Romanæ contra Photium res geſtas enarrans, ſcribit: *Hunc ex ſaeculari adminiſtratione, & militia ſubitò tonſuratum, à Gregorio Syracuſano Epiſcopo in Synodo damnato, & ab Apoſtolica Sede conuicto, Epiſcopum ordinatum.* Epiſcopus quoque appellatur cap. 2. eiuſdem Synodi Romanæ. *Gregorium, qui Syracuſanae Eccleſiae irregulariter, atque contempto Deo præeſt, eo quòd & ipſe ex parte Schiſmaticorum ſit, & poſtquam à Synodo Epiſcopatus officio priuatus eſt, & à deceſſore S. memoriae Benedicto Papa obligatus eſt, &c.* Idẽ factũ in Concilio Romæ celebrato ſub Hadriano, itemq; in omnibus Nicolai epiſtolis, quibus Gregorius ſolo Epiſcopi nomine proclamatur. Proinde difficillimum mihi videtur, & nullo modo ferendum, vni illi Nicolai verbulo contra tot aliorum locorum teſtimonia fidem adhiberi, aut ſaltem credendum, cùm hoc ipſo tempore Photius referendæ gratiæ cauſa Gregorium Archiepiſcopali honore auxiſſet, eaque appellatione Gregorius notior apud Græcos eſſet, hanc quoque Nicolaum vſurpaſſe.

[d] Ep. 7. & 11.

## *Veterum Syracuſarum dignitas. Syracuſana Eccleſia ante Gregorij Aſbeſtæ tempora Metropolis honore caruit.*

## CAPVT IX.

TAndem non parum authoritatis in aſſerenda Syracuſanæ Sedis dignitate illud habet, quod Eccleſiarum nobilitas ſæpe, ac plurimùm ex loci amplitudine,& claritate deſumitur. hinc nimirum Romanæ Eccleſiæ maieſtas, ac principatus originem habet. hinc Alexandrinæ, Antiochenæ, Cóſtantinopolitanæ,Cæſareenſis. ꝙ Roma Orbis caput fuerit, Alexandria Ægypti, Antiochia Syriæ, Thraciæ, Conſtantinopolis Palæſtinæ Cæſarea, idemque alijs aliarum vrbium exemplis ad ſatietatem Littara confirmat. Quocirca cùm antiquiori æuo Syracuſæ primaria, & Metropolis vrbs Siciliæ fuerit, cui tandem dubium eſſe poterit, quin eius vrbis Eccleſia prima,ac Metropolitana inter Siculas haberetur? nam illud primum, quòd Sicilia tota Syracuſas caput, ac Metropolim agnouerit, notius eſt ex Valerio Maximo, Solino,Floro, & Fazello, quàm vt huc eorum teſtimonia afferre neceſſe ſit, Quamuis autem ſciam, ſubdit Littara, id Maurolyco Abbati impenſè diſplicere,atque adeò Fazellum hoc nomine ab eo reprehendi,quòd Syracuſas nulla Scriptorum authoritate ſuffultus Metropolim appellarit, nos planiorem hominem facientes docebimus, Valerij verba in teſtimonium à Fazello producta explicantes. Is enim & ſi Syracuſas Siciliæ caput ſolummodo appellet, ijs verbis : *Carthaginis imperio rupta Hiſpania, & Siciliae caput abſciſſum Syracuſae*, certè tamen nihil aliud eſt, Siciliæ caput eſſe, niſi Metropolim, præcipuam ſcilicet, & primariam vrbem. In quo vno canone adſtruendo multus eſt,ſi vnquã alibi, Littara, multaſque implet paginas, nempe quia iſtam glorioſè, & baſilicè, vt quidam dixit, ſe inferendi, ſpaciandiq; in ſuo illo Grammatices regno occaſionem nactus eſt, mordicus eam tenet, ægreque ſe ab ea diuelli patitur. at quis non rideat, quis non ſibilo, plauſuque vaniſſimum Pumilionis huiuſce conatum excipiat, qui Maurolycum cœli,terreque contemplatorem magnum, alterum æui ſui Archimedem Grammaticam docere audeat ? Sed pergit ille etiam, eoque amplius Metropolim Syracuſas appellandas contendit ex Græca vocis acceptione, qua matrem vrbium, & coloniarum ſignificat, nempe qui ignorat, inquit, an Syracuſis Camerinam, Acras,& in alia

alia oppida coloniæ deductæ ſint, is Sicanicæ hiſtoriæ ſe fateatur imperitum. Illo etiam confirmat ſuam ſententiam, quòd ab Apoſtolis Epiſcopi, & Sacerdotes in ijs ciuitatibus conſtituti ſunt, in quibus antiqui Ethnicorum Flamines præfulſerant, vt in pari dignitate impar religionis cultus ſuccederet. id quod fortaſſe Petrum Apoſtolorum Principem mouit, vt Martianum Antiochenum vitæ ſanctitate, & clariſſimæ mortis teſtimonio celebrem primum Syracuſis Præſulem deſignarit. eccui enim magis vrbi conueniebat, quàm aliarum, & capiti, & principi? Et ſi primus omnium, cùm ſubinde Pancratius, & vt quidam ſcribunt, Baſilides, cur non toti Trinacriæ, vt in alijs regionibus, præpoſitum credamus? Hæc quidem Littara.

Vereor hic ego, ne ſi Littaræ opinio pro viribus confutanda mihi ſit, & quod de re tota ſentio, iudicium candidè, ſincereque aperiendum, amiciſſimæ Vrbis laudibus, & de noſtra benemerentiſſimæ obtrectari videar. verùm intra modeſtiæ fines me continebo, vt quiſque intelligat ſolius veritatis indagandæ, non vanæ oſtentationis, aut æmulationis hæc diſputari. Sic autem ſentio, Syracuſanum Præſulem numquàm omninò ante Gregorij Syracuſani tempora Siculis Epiſcopis Metropolitani nomine præfuiſſe. quale enim eſt, vt ſi Maximianus, aut Ioannes, qui Syracuſanam Eccleſiam Gregorij Magni ætate rexere, Metropolitani fuiſſent, nullum in tot his, quas ille ad eos ſcripſit, epiſtolis huius dignitatis veſtigium exiſtat, quo vel prouinciam, vel Suffraganeos habuiſſe conſtet, vel iure proprio, atque ex officio Epiſcoporum cauſas cognouiſſe?

Contra verò illos inferioris gradus Epiſcopos habitos, ſi verum amamus, vnus, & alter apud Gregorium locus apertiſſimum facit. Ac primùm ſanè in memoriam reuocemus, Maximianum, ſi quid vſpiam negotij geſſit in alienis Eccleſijs, id nō ſuo iure, ſed Vicaria Romani Pontificis poteſtate feciſſe. inde illa Gregorij verba ad eumdem Maximianum: [a] *Olim quidem Fraternitati tuae noſtra fuerat authoritate commiſſum, vt ſi quae in Sicilia exciderent Eccleſiae, caeteriſque venerabilibus locis, vel incongruè gererentur, noſtra Vice corrigeres*; Sed & illud quoque animaduertendum, Gregorium, cùm Vices ſua Maximiano delegauit, expreſſis verbis cauiſſe, *non ſe id muneris loco conferre, ſed perſonae*. Atqui ſi Metropolitico iure Syracuſana Eccleſia Siciliæ præfuiſſet, inutilis, planè, vanaque omninò cenſeri debuiſſet ea Gregorij proteſtatio, quippe vel eo inuito, ac reluctante ſuperiorum Romanorum Pontificum conceſſu Metropolis iurè donata in partem ſollicitudinis, atque adeo in Vices Apoſtolicas multò ante fuerat vocata. iam enim oſtendimus Vicariam Sedis Romanæ præfecturam in prouincijs obitam,

[a] lib. 1. ep. 11. Indict. XII.

tam,

tam, & Metropoliticam dignitatem, aut idem inter ſe eſſe; aut alteram ab altera profectam. aut quid verò etiam periculi timeri poterat, quod ſubeſſe incommodum, ſi vnquam appareret Metropolitanæ Eccleſiæ creditas eſſe Apoſtolicas Vices? Indicio quoque eſt, quòd Maximiano mortuo, & Ioanne illi ſuffecto, nuſquam iſte, aut in prouinciales Epiſcopos, aut in alienæ Sedis clericos ius dixiſſe legitur, præter vnam Lucilli Melitenſis [a] cauſam, quem Gregorio iubente ab Epiſcopatu deiecit. Neque hoc loco prætereundum, Gregorium in eo iudicio Ioanni delegando his verbis vti: *Fraternitas veſtra tres, vel quatuor de Fratribus, ac Conſacerdotibus ſibi noſtris adhibeat.* vt intelligas iſtos neutiquam Ioannis Suffraganeos fuiſſe habitos; alioqui enim ſi Gregorius Ioãnem Metropolitanum credidiſſet, non ab recepta Veterum formula abſtinuiſſet, qua ſubiectos alicui Epiſcopos Fratres eius, & Coepiſcopos appellarunt. [b] Accedit, quòd ex Felicis epiſtola conſtat, Benedictum Syracuſanum Antiſtitem cum alijs quoque Epiſcopis Felicem adijſſe Meſſanenſis Eccleſiæ Præſulem, ſiue vt eum de Eccleſiaſticis controuerſijs conſuleret, ſiue de obiectis ſibi à laicis criminibus reſponſurũ. At quis credat Metropolitanum ad inferioris Sedis Epiſcopum vltrò accurriſſe, aut prouocaſſe, aut eius auxilium contra ſeditioſos accuſatores imploraſſe? Neque obiecti vim eluderet, quiſquis Benedictum ad Felicem confugiſſe exiſtimaret, vt qui id temporis Gregorij Vicarium ageret. quippe etiam ſi ſtatuamus ex laudatis Felicis, & Gregorij litteris neutiquam Metropolitanum probari, ſed Legatum Sedis Apoſtolicæ Felicem fuiſſe, non tamen in Benedictum vtpote Metropolitam ius dicere potuiſſet. Cùm etiã in Vicibus Apoſtolicis conferendis vetus mos fuerit Romanorũ [c] Pontificum de Metropolitanorum priuilegijs expreſſim monere, ne quid præiudicij fraudiſue factum ijs intelligeretur ex Legationis munere alteri commiſſo.

Sed & illa potiſſimùm huius ſunt loci, quòd cùm defuncto Maximiano Ioãnem Catanenſem Archidiaconum ſucceſſorem dari cuperet Gregorius, & vt eò ſtudia ſua omnia conferret, Cyprianum defenſorem per litteras hortaretur, ſic tandem ſubdit. [d] *Quod cum factum fuerit* (electus ſcilicet Ioannes Epiſcopus) *etiam Frater, & Coepiſcopus noſter Leo* (Catanenſis Antiſtes) *ceſſionem ei praeſtare debebit, vt liber ad ordinandum poſſit inueniri.* Alibi [e] verò Gregorius ad eumdem Cyprianum de Ioanne Syracuſano Epiſcopo recens creato ſcribens, eum narrat, proprium quẽdam Presbyterum habuiſſe, qui tamen à Leone in Catanenſi Eccleſia diceretur ordinatus: *Et quia,* inquit, *in nouam Eccleſiam vadit, & ſuos illic proprios homines habere*

[a] lib. 7. ep. 62. Indict. II.

[b] Vide ſupra part. 1. cap. 20. & lo. VIII. ep. 126. ad Auſbertum Mediolanenſ. & ep. 103. ad Archiepiſc. Acherontinum Vigil. ad Aurelian. apud Baron to. 7. anno 646. num. 61.

[c] Leo ad Anaſtaſ. Theſſal. ep. 84. Hormiſ. ad Saluſt. Hiſpal. ep. 61. & ad Io. Tarracon. epiſt. 59. S. Gregor. lib. 4. epiſt. 50. Indict. XIII.

[d] lib 4. ep. 19. Indict. XIII.

[e] lib. 5. ep. 20. Indict. XIIII.

*habere neceſſe eſt, vt cùm cauſarum tumultibus premitur, in ſecreto ſuo inueniat, vbi requieſcat; praedicto Fratri, & Coepiſcopo noſtro Leoni blandè, & leuiter perſuadere debes, vt ei praefatum Presbyterum cedat, ne qui tàm benignus ad ordinandum ceſſit, ordinatum deſtituere videatur.* Vides hic Ioannem Catanenſem Archidiaconum ad Syracuſanæ Eccleſiæ regimen promoueri minimè potuiſſe, niſi Leonis Epiſcopi conſenſus accederet, nempe vt iuri, quod in Eccleſiæ ſuæ clericum habuiſſet, ſponte renunciaret. Vides hunc ipſum Ioannem, cùm Presbyterum illum ſuum ſecum eſſe cuperet, ab Leone eum petere coactum eſſe. Atqui ſi Ioannem fuiſſe Metropolitanum volumus, haud quidem in ijs conficiendis rebus Leonis authoritate, aſſenſuque opus erat. quippe Metropolitano Epiſcopo licuit, inuito Suffraganeo huius ſubditum ad Epiſcopatũ promouere, aut alijs ordinibus inſignire, Eccleſiæque adſcribere. idque præterquam quòd Cæſareenſis Metropolitani exemplo confirmari poſſet, qui inuito, ac repugnante Hieroſolymitano Epiſcopo ad ſe venire iuſſit eius Eccleſiæ clericum alibi ordinandum, ex Concilij Africani [b] decretis apertiſſimè euincitur. Nam cùm Aurelius Carthaginienſis Epiſcopus à Patribus legem ſcribi in eam ſententiam peteret, vt Archiepiſcopo ius eſſet, cuiuſcumque Eccleſiæ clericum pro arbitrio euocare, ſacriſue miniſterijs præficere; Numidius Epiſcopus dixit: *Fuit ſemper haec licentia huic Sedi* (Carthaginienſi) *vnde vellet, & de cuius nomine fuiſſet conuentus, pro deſiderio cuiuſque Eccleſiae ordinare Epiſcopum.* cuius conſuetudinis rationem ſubijciens Epigonius: *nam quia*, inquit, *neceſſe habes tu omnes Eccleſias ſuffulcire, inde tibi non poteſtatem damus, ſed tua aſsignamus, vt liceat voluntati tuae ſemper tenere, quem voles, vt praepoſitos plebibus vel Eccleſijs conſtituas, qui poſtulati fuerint, & vnde voles.*

[a] Baron. to. 3. anno 325. nu. 131.

[b] Cap. 22.

*Syracuſanæ, & Meſſanenſis Sedium prærogatiuæ inter ſe conferuntur.*

## CAPVT X.

Sed iam Littaræ reſpondeamus neceſſe eſt, & enimuero vti illud meritò, ac libens fateor, Syracuſas Principem vrbium, vt Solinus ſcribit, Siciliæ caput, ex Flori, & Valerij ſententia dictas, nemo tamen mihi negauerit, integram vrbi illi, ac ſolidam gloriam hanc fuiſſe, quam diù Romana Reſpublica ſtetit, floruitque. ſcilicet vbi ea concidit inteſtinis ciuium odijs, quis ignorat, Syracuſas à Sex. Pompei Magni

gni filio vnà cum pluribus Siciliæ ciuitatibus vaſtatam demum, exciſamq; [a] iacuiſſe? quamuis autem Auguſtus Cæſar hoc floręntiſſimæ Vrbis memoriæ dederit, vt cæteris antiquæ ciuitatis partibus deſertis, ac dirutis relictis, ſolam Inſulam Ortygiam Veteribus appellatam reſtitueret, non tamen hæ renaſcẽtis Vrbis reliquiæ tanti fuere, vt cum antiquæ vaſtitate, ac magnificentia collatæ vel minimam eius partem æquare poſſent. Quare ſi præſtantiam vrbium, & magnitudinem à præſenti rerum ſtatu, qualis ſcilicet ineunte Chriſtiana religione inter Siculas ciuitates fuit, metiri voluerimus, certiùs multò, atque etiam veriùs coniectari licebit, Meſſanam id temporis decreſcente iam Syracuſarum gloria illuſtriorem locum tenuiſſe. nam, vt alia taceam, nil tale infortunij genus ab eo tempore, quo populo Romano ſocietatis fœdere ſe iunxit, penè vſq; ad noſtram ætatem paſſa eſt, quale ſub M. Marcello. Sex. Pompeio, Vandalis, Gothis, Sarracenis Syracuſæ ſubiere; ſed perpetuo quodam, & æquabili rerum curſu priſtinum vrbis ſplendorem, opulentiam, magnitudinem diù ſemperque tenuit, ac volente Deo tenebit. His adde, quòd Romani populi beneficio meliori iure fuit, quàm aliæ eſſent Siciliæ ciuitates. ſiue quòd ſola Meſſana Ciuium Romanorum oppidum, ſiue quòd optimo fœderis genere cum eo populo cõiuncta, ſiue quòd Meſſanæ Prætor ius dicere Prouinciæ ſolitus, cùm ipſa interim ſui iuris eſſet, ſuamque Rempublicam in poteſtate haberet, ſiue demum, quia ob præclara eius in Romanam ciuitatem officia egregia tot illa ornamenta conſecuta eſt, quot hodieque meritò gloriatur. quocirca, ſi vera ſunt, quæ Baronius diſſerit, multiſque exemplis probat, Apoſtolos in cõſtituendis Eccleſiarum Sedibus ciuiles Prouinciarum, ac Ciuitatum formas, prærogatiuaſq; ſpectaſſe, quis mihi hoc iure negauerit, Meſſanenſem Eccleſiam eodem loco poſitam ab Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus, quo in ciuili quoque Politia fuerat. Quòd ſi mihi Littara obiecerit, Syracuſas Metropolim dictam, quia inde Acras, Camerinam, & in alias vrbes ductæ coloniæ ſint, contendam ego neque hanc Meſſanæ laudem deeſſe. habet enim Sicilia Hiblã, Himeram, Tauromenium, Mylas: habet Italia Metaurum, Pixuntem, quæ ciuitates Meſſanam matrem, ac Metropolim [b] agnoſcant. Iam quod ad alterum illud pertinet, quòd Primus Syracuſarũ Epiſcopus à Petro creatus ſit Martianus, quaſi hoc argumento ille prærogatiuam Vrbis agnouiſſe videatur, atque adeò meritiſſimè primariam cathedram in ea ciuitate ſtatuiſſe; ſi tanti id æſtimandum eſt, conſequens erit, vt & Tauromenium. Metropolis Siciliæ cenſenda ſit, quippe ea etiam vrbs Pancratium Petri iuſſu primum Epiſcopum ſortita eſt, ac ſub-

a to.1.anno 39 nu.10.11.& anno 46.Vuolfãg Lazius Repub Rom.lib.2.c.29

b Strabo lib 6 Solinus.cap.8. Fazel. Dec. 1. lib.2.cap. 1. 2.

inde Maximum. quamuis, ſi quid in tanta antiquitate ſuſpicari licet, in eam ſum opinionem procliuior, vt putem Apoſtolorum Principem Pancratium, Maximum, Marcianum haud quidem certæ ciuitati Epiſcopos addixiſſe, verum toti ſimul prouinciæ primùm præfectos eſſe; poſt verò, cùm illos, vti caſus tulit, in hac, illaue vrbe pro Chriſtiana fide mortem oppetere contigiſſet, huius, aut illius Eccleſiæ proprios Epiſcopos ab his, qui res eorum geſtas poſtea deſcripſere, exiſtimatos. certè in Sophronio, a in Metaphraſte, b item in Nicephoro c lego, hos ipſos Pancratium, Maximum, Martianum, Siciliæ vniuerſæ præpoſitos, vt & Martialem, & Dionyſium Gallijs, Titum Cretæ, alios alijs prouincijs datos Epiſcopos legimus. Meſſanæ quidem ab antiquiſſimis Eccleſię temporibus Chriſtianam fidem floruiſſe præter illuſtria Ampeli, Caij, Victoris, Coronæ, Eleutherij, Anthiæ, Corœbi, aliorumque martyrum illuſtria ob fidei confeſſionem certamina, Felicis Thibarienſis Acta indicant, quem ab Præfecto Prętorio iuſſum ad Imperatores Diocletianum, & Maximianum Romam nauigare, cùm Carthagine nauem conſcendiſſet, *Meſſanam poſt longum iter appuliſſe*, narrant, *ibique à Fratribus ſummis honoribus fuiſſe exceptum*; ac præterea quòd Sardicenſi Concilio, quod anno CCCXLVII. celebratum eſt, Alexandrum Meſſanæ Epiſcopum adfuiſſe legimus. Sed fuerit Martianus ſolis Syracuſis datus, eò nè primariam, ac principem inter Siculas Eccleſiam cenſebimus? minimè verò. Fuit hic error noſtra hac tẽpeſtate Marci Antonij de Dominis Spalatrenſis olim Archiepiſcopi. Senſit is, *ex doctrina Apoſtolica Eccleſiarum, quae ab Apoſtolis eſſent fundatae, earum ſuper alias preeminentiam eſſe natam, quaſi Eccleſiae poſterius inſtitutae, vt quae non ab ipſis Apoſtolorum fontibus Catholicae doctrinae riuos hauſiſſent, ſi quid dubij, aut controuerſiae interdum occurreret, ad Apoſtolicas praecipuas Sedes confugere, eorumque authoritatem, & conſilium ſequi ſolitae ſint.* Sed hanc M. Antonij opinionem, nouam fortaſſe illam quidem, ac proinde plauſibilẽ ſolidiſſimis rationibus retundit Zaccharias Brouerius: e *Quot enim.* inquit ille, *per orbem Eccleſiae ab Apoſtolis fundatae ſunt? quot Petrus, quot Paulus, quot Ioannes, Matthaeus, Andreas, quot reliqui Apoſtoli, in omnibus fere Orbis plagis extruxerunt? num hae omnes ſuper alias praeeminentiam habuerunt? ſi id putas, exere tandem, quid nam cauſae ſit, quòd Corinthienſium, Philippenſium, Epheſiorum Eccleſiae, ad quas Paulus ſcripſit, cur omnes Ponti, Galatiae, Cappadociae, Aſiae, & Bithyniae, ad quas Petrus Epiſtolas miſit, Patriarchalium, aut Metropolitanarum Sedium dignitatem adeptae non fuerint? certè ſi omnes Eccleſiae ab Apoſtolis fundatae, & creatae, eo quòd ab*

*Apoſto-*

a In peregrinatione ſanctorũ Apoſtolor. Petri, & Pauli.
b In vita eorumdẽ 29. Iulij
c lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 35.

d lib. 3. de Republica Eccleſiaſtica cap. 2.

e In cenſura ad lib. 3. cap. 2.

*Apoſtolis originem duxerint, authoritatem ſibi ſuper alias compararent, omnes eſſent praelatae, nullae ſubiectae, omnes Metropolitanae, nullus Suffraganeus Epiſcopus, imò omnes Primates, omnes Patriarchae. quis enim inter eas diſcernat, quae neque ab Apoſtolis inſtructae ſunt. non igitur ex Apoſtolicarum Eccleſiarum fundatione, ſed ex Apoſtolorum praeſcripto, habita illuſtrium vrbium ratione, Patriarchalium, & Metropolitanarum Sedium authoritas inſtituta fuit, vt docent Anacletus, Stephanus, & Iulius ſuperius allati. Siquę verò aut Metropolitana, aut Patriarchalis Sedes poſt Apoſtolos erecta fuit. vt ſaepe contigit, id quidem Romani Pontificis authoritate peractum eſt.* Neq; aliter Baronius [a] diſputat: *nam ſi Petri praeſentia*, inquit, *quamlibet Eccleſiam primariam feciſſet, tot eſſent numerandae Sedes Patriarchales, quot à Petro fuiſſent inſtitutae. fuiſſe namque earum immenſum numerum, nemo puto inficias ierit. cùm verò ex aduerſo Sedes Alexandrina, in qua aliquando fuiſſe Petrum certa aliqua aſſertione nequaquam monſtrari poteſt, poſt Romanam Sedem maxima ab eo fuerit inſtituta, planè perſpicuè intelligi poſſe videtur, non praeſentiam Petri, ſed eius potiſſimùm eſſe requiſitam authoritatem ad conſtituendam aliquam Sedem Patriarchalem.* Nam quod vltimo loco Littara ſubiungebat, Apoſtolos in ijs ciuitatibus Epiſcopos ſtatuiſſe, in quibus Veteres Ethnici Flaminum collegia ſacris faciendis olim erexerant, id quidem nihilò Syracuſanorum, multò verò Meſſanenſium cauſam meliorem facit. nam ſi, vti Clemens ſcribit, Apoſtolorum mos fuit, in Eccleſiaſticæ Politiæ, quam ſtruebant, gradibus conſtituendis veteris Pontificij iuris formam ſequi, [b] nimirum vt Primates, & Patriarchas ijs ciuitatibus darent, in quibus Primi Ethnicorum Doctores, Primarijque Flamines ſediſſent, Archiepiſcopos verò, ac Metropolitanos Archiflaminum loco ſubrogaſſe, veriſimillimum ſit, primarium Chriſtianæ religionis Sacerdotem, vnde Siculi ſacra peterent, Meſſanæ ab Apoſtolis præfectum fuiſſe. Conſtat ſiquidem iam inde à Romanæ Reipublicæ florentis æuo Meſſanenſes Sacerdotes potiori iure inter alios ſacrorum Antiſtites fuiſſe, ipſaquemet Romanorum Flaminum prærogatiua functos; ſic enim loquitur vetus P. R. plebiſcitum de Mamertinorum, ac Meſſanæ ciuitatis iure ab C. Atilio Calatino. Trib. Pleb. latum: *aliſque prouinciae ciuitatibus Sacerdotes, eiuſque ciues Romanorum honore Siciliae caput illi fungi poteſtate Romana.*

Porrò verò vetuſtiſſimæ huius Meſſanenſium Flaminum prærogatiuæ veſtigium illud eſt, quòd vti olim quindecim [c] tùm maiores, tùm minores Romana ſacra Flamines habuere, ita non maiori numero vſque ad patrum memoriam Meſſa-

a Anno 39. n. 16.

b Vide Turris. pro canonibus Apoſt. & decretal. epiſt. R R. Pont. lib. 3 c 8. & lib. 5. cap. vltimo.

c Ioan. Roſſinus Antiquit. Roman lib. 3. cap. 16. & 17.

nenſes Canonici cenſebantur, quamuis hodie tribus additis ad duo de viginti numerum excreuerint. ab hac eadem antiquitate eſt, quod, quia veteres Flamines albo Galero, [a] pileo nempe ex hoſtię albę Ioui cæſę pelle cōpacto vtebantur, calceos quoq; albos induere mos fuit, inde etiam credimus ad Meſſanenſis Eccleſiæ Canonicos hęc eadem ornamentorum genera permanaſſe, de quibus ſuo loco dicturi ſumus. Sanè tiaras albas deferendi ius, quod noſtri vſurpant, ex populi Romani inſtituto, nimirum ex laudato Calatini plebiſcito fluxiſſe Iulius Pontifex Maximus teſtatur diplomate de ea conſcripto in hæc verba: *Cùm dilecti filij Canonici Eccleſiae Meſſanenſis, dùm Miſſas celebrant ſolemnes, & proceſſionaliter incedunt, quamuis id raro contingat, cùm nonnulli Preſbyteri, & Capellani eidem Eccleſiae deſeruiant, & propterea dicti Canonici diuinis officijs dumtaxat ſollemnibus feſtis intereſſe conſueuerint, mitra etiam ſerica, Sacerdotum olim Gentilium ipſius ciuitatis olim illam ex S. P. Q. R. decreto deferentium morem in hoc adhuc retinentes ab immemorabili tempore citra, de cuius contrario hominum memoria non exiſtit, vſi fuerint, & vtantur de praeſenti: Modernis, & pro tempore existentibus dictae Eccleſiae Meſſanenſis Canonicis, & Dignitates in eadem obtinentibus, vt tàm in Miſſarum, & aliorum officiorum celebratione, quàm in proceſſione, & alijs publicis, & priuatis actibus quibuſcumque etiam Rochetum, & Cappam deferre, & geſtare liberè, & licitè valeant, authoritate Apoſtolica tenore praeſentium concedimus, & indulgemus.* Hactenus quidem Iulius. Calceos verò albos, quos alij campagos rectiùs appellant, S. Gregorius ex veteri etiam Sedis Apoſtolicæ priuilegio Meſſanenſes Canonicos habuiſſe profitetur. quocirca, opinor, non aberrauerit à vero quiſquis hunc quoque ritum ad eamdem originem referat; ſi quidem, vti dicebam, Sacerdotum calciamenta alba fuiſſe, ex Appiano probat Vuolfangus Lazius, [b] nec ab Appiano Herodianus [c] abit, qui Antoninum Imperatorem Sacerdotum more calceos ex lino candidiſſimos induiſſe narrat. niſi cui magis illud ſedeat, non temerè Gregoriū teſtari ſolis Diaconis Meſſanenſibus licere vti campagis ex veteri Romanorū Pontificum conceſſione, ac fortaſſe ad Calatini plebiſcitum alludere, quod Meſſanenſes Sacerdotes Romanorum honore fungi iubet, quaſi ſicuti Romanæ Eccleſiæ Diaconis campagorum prærogatiua in vſu erat, iure, meritòque etiam Meſſanenſibus fuerit communicata.

[a] Alex. ab Alex. Genial dier. lib. 4. c. 1. Carol. Paſchal de Coronis lib. 4. ca. 21. Panuin. in ciuitate Rom. tit. de Flaminibus. Roſinus lib. 3. cap. 15.

[b] de Republ. Rom. lib. 8. c. 13.

[c] lib. 5.

Vnde

## *Vnde primùm in Eccleſia recepti ſacra Politiæ gradus, Diœceſeon, & Prouinciarum adminiſtrationes.*

## CAPVT XI.

ET quia laudati paulò ante ex Brouerio, & Littara loci monent, non abſurdum hoc loco, veluti παρέργα, pauca quædam differere de Metropolium, ac Primarum Sedium origine, atque inſtitutione. quæ diſquiſitio, neque inutilis fortaſſe, neque iniucunda, vtpote quæ ad inquirendam Siculæ antiquioris Politiæ faciem non exiguam lucem afferre in poſterum poſſit.

Ac ſi quidem noſtros Pontifices audiamus, haud dubia res eſt ad veteris ſacræ Ethnicorum Politiæ mores Apoſtolos ſuam efformaſſe, vt ex Littara dicebamus. cuius ſententiæ princeps eſt, atque author Clemens I. Anacletus, Stephanus, & pleriq; alij, quos veriſimile ſit ab vno Clemente omnes accepiſſe. Sed non deſunt, quibus ea ſententia minùs arrideat. quòd perſuaderi vix poſſint, fuiſſe in profano Veterum iure Pontificio eas Sacerdotum differentias, Primorum Flaminum, Archiflaminum, Flaminum. quòdque præterea Decretales Pontificum Epiſtolæ omnes ad Syluestrum vſque, ac præſertim Clementis, ſuſpectæ fidei ſint, & non vſquequaque omnibus probentur, vt latè Baronius [a] diſputat. qui hoc quoque ingenuè addit, abſtenturum ſe data opera à citandis eiuſmodi Epiſtolis. Quamquam ad priorem quidem rationem non difficilè reſponderi poſſet, non omninò ignotam fuiſſe Ethnicorum Sacris, atque adeò bonis etiam authoribus illam Sacerdotum diuiſionem. Porrò Flamines in Municipijs extitiſſe, iiſque peculiariter attributos, vt & Prouincijs Sacerdotes, Drepanij Pacati [b] verba reuicerint: *Reuerendos Municipali purpura Flamines, insignes apicibus Sacerdotes.* & Martiani Nouella: [c] *Ne Flamini Municipali, ne Sacerdoti Prouinciae liceret habere vxorem ancillam.* ab eadem mente illa Tertulliani: [d] *Igitur purpura illa,* inquit, *& aurum ceruicis ornamentum, eodem more apud Aegyptios, & Babylonios insignia erant dignitatis, quo more nunc praetextę, vel trabeae, vel palmatę, & coronae aureae Sacerdotum Prouincialium.* Illa item Conſtantini Imperatoris [e] ad Felicem Præfectum Prætorio: *Afri curiales conqueſti ſunt, quoſdam in ſuo corpore poſt Flaminū honorē, & Sacerdotij decurſa insignia prępoſitos compelli fieri mansionum. iubemus nullum praedictis honoribus ſplendentem ad memoratum cogi obſequium.* Primorum porrò Flaminum imaginem

a Anno 102. nu. 7. & anno 865. num. 2.

b In Panegir.

c Nouel. 4.

d de Idololatria cap. 18.

e l. 2. C. Theodoſ. de decurionibus.

imaginem reperire videor in ijs magnarum Diœceſeon Sacerdotibus, quos illi *Cappadociarchas*, *Bithyniarchas*, *Lyciarchas*, *Aſiarchas* appellarunt, quorum Modeſtinus,[a] & Conſtantinus Imperator[b] cum honore meminere. Ad eamdē claſſem libenter retulerim *Syriarchas*, *& Alytarchas*,[c] ideſt ſummos Syriæ, & Phœniciæ Sacerdotes, itemq; frequentiſſimas illas *Archiereorum cuiuſque prouinciae* appellationes,[d] quę in Inſcriptionibus obuiæ, item & *Archiereos Synodi*, *Archigallos Matris Cybeles*, *Patres ſacrorum prouinciae Achaiae*, plurimaſque alias ijs ſimiles.

a l. ſiduas. §. Athletæ. D. de excuſ. tutor.
b l. 1. C. de natural. liberis.
c l. 2. C de Cupreſſis lib. 11.
d Iacob. Gutherius de veteri iure Pontific. lib. 1. cap. 7.

Ex quibus temerè fortaſſe quiſpiam reiecerit laudatam noſtrorum Pontificum aſſertionem, quippe tametſi illa non tàm clarè dilucideque comprobari ex Authoribus poſſit, id quidem antiquitatis vitio fit, cuius pleraque eiuſmodi ſunt, vt, cùm receptos Veterum mores, inſtitutaque hodie minùs agnoſcamus, mirari potiùs, quàm intelligere liceat. quòd niſi à ſcopo longius aberrarem, & ab præſcripta mihi ſcribendi ratione, plurima quoq; alia afferri poſſent, quæ Clementis ſententiam confirmarent. Vnum interim minimè prætererim, Iulianum Imperatorem,[e] vbi primùm Chriſtianam religionem, quam hactenus erat profeſſus, publicè exuit, cùm veterem, & iam pene collapſum Deorum cultū reponere in priſtinum ſtatum vellet, veteri quoq; maiorum more, vnà cum Imperio ampliſſimam Sacerdotij dignitatem ſuſcepiſſe, & ſummo Pontificatu ritu ſolemni eſſe initiatum; poſtmodum verò minores Pontifices à ſe cooptatos per diuerſas Romani Orbis Prouincias diſtribuiſſe. Id quod veluti manu nos ducere videtur ad aſſerendam ab Criticorum calumnijs Clementis traditionem. Cæterùm quòd huius, aliorumque vetuſtiſſimorum Pontificum Epiſtolas falſi inſimulant, præterquàm quòd hæc ipſa de inſtituta ab Apoſtolis Eccleſiæ Hierarchia narratio Leoni IX.[f] probatur, itemque Nicolao I.[g] & plerisque alijs Pontificibus, quorum fides nulli hactenus ſuſpecta, vt ſi minùs Clementis teſtimonio, horum tamen authoritate abundè ſuſtineri queat; ſatis ſit in præſentia conſulere Franciſci Turriani libros,[h] quos ille pro Decretalibus Epiſtolis magna cùm pietate, tùm doctrina ſcripſit.

e Eunap. in vitis Philoſophor. in Maximo.

f Epiſt. 4. ad Petrum, & Ioannem Epiſcopos Afric.
g ad conſulta. Bulgaror.
h lib 2. contra Magdeburgē.

Sed vt è diuerticulo in viam redeam, ſenſere alij, Metropolium, ac Primarum Sedium originem ab Apoſtolorum prædicatione ortum trahere. quaſi quæ Eccleſiæ Chriſti diſciplinam ab Apoſtolis ipſis didiciſſent, cùm frequentiùs de fidei cauſis, de cæremonijs, de iudicijs ab Sedibus poſteriùs aliorum opera inſtitutis conſulerentur, harum veluti matres, ac Metropoles creditæ eſſent, vt ex Spalatrenſis Archiepiſcopi coniectura pau-

lò ante dicebamus. hæc verò cùm illa congruit, quæ Metropoles inde dictas opinatur, quòd ab his ad Suffraganeas Sedes Chriſtiana religio manarit. cuius ſententiæ Authoris nomen cùm videre hactenus non licuerit ( nam non niſi ſumma libri capita ab amico mihi communicata)libenter Lectorem reiecerim ad laudatam Zachariæ Brouerij Cenſuram. a Alioqui latiſſimus ſeſe campus aperiret, cur Hieroſolymitana Sedes, & rerum in ea geſtarum, & temporis prærogatiua omnibus haud dubiè præferenda Cæſareenſi poſt habita? cur Maſſilienſis, Lemouicẽſis, Pariſienſis, vnde in omnes Gallias Mariæ Magdalenæ, Lazari, Martialis, Dionyſij contentione, ac labore Chriſtianæ fidei cultus eſt propagatus, cur tot aliæ ciuitates, quarum iniri ratio poſſet, non Primæ Sedis, non Metropolis dignitate auctæ?

a Ad lib. 3. c. 10.

Tertia eſt Socratis b ſententia, qui in Cõſtantinopolitana ſynodo anno CCCLXXXI. Diœceſes, & Prouincias diſtinctas tradit. Sed meritò, vt animaduertit Baronius c reprehenditur à Sozomeno; quia non ad diſtinguẽdas Prouincias, quod Socrates opinatur, ſed vt ab Hæreticis Catholici dignoſcerẽtur, ea cautio adinuẽta, vt certi eſſent in quauis Prouincia ſpectatæ fidei Epiſcopi, quibus qui communicarent, Catholici haberentur, & Eccleſijs præfici poſſent. E diuerſo ipſa Conſtantinopolitana Synodus d Nicænis Patribus videtur acceptam ferre Metropolium, & Prouinciarum conſtitutionem, quod & frequentiori calculo tùm Patres, tùm Concilia, adeoq; & Romani ipſi Pontifices recepere. Hadrianus verò Primus e ad Bertericum Viennenſem non niſi Leoni tribuit. Sed non ita hæc intelligenda, quaſi Nicæni Patres Chriſtiani Orbis Diœceſes, Prouinciaſq; partiti ſint, aut ignotos ante ſacræ Politiæ gradus in Eccleſiam inuexerint: ſed quòd iura Metropolium ſarta, & tecta eſſe voluerint, edictoque interceſſerint, quominus earum prærogatiuæ perfringerentur, quippe qui ad retundendam Meletij Lycopolitani Antiſtitis audaciam Epiſcoporum inaugurationes in tota Aegypto ſibi temerè vindicantis ſtatuere, f *Vt antiqui mores obtinerent, qui in Aegypto eſſent, Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus horum omnium haberet poteſtatem, quòd ea quoque eſſet Romano Epiſcopo conſuetudo, ſimiliter autem, & in Antiochia, & in alijs Prouincijs ſua ſingulis Eccleſijs priuilegia ſeruarentur.* Quibus verbis cautum in poſterum voluere, ne quis in aliena Prouincia, vel Diœceſi ſumere ſibi aliquid audeat, quod ad alienæ Sedis procurationem pertineret. qua acceptione Bonifacius Papa g ad Hilarium à Nicæno Concilio ſuas quibuſq; Metropolitis ſeruatas, & cuſtoditas Prouincias ſcribit. eademque Conſtantinopolitanæ II. Synodi Epiſcopi h Nicæni

b lib. 5. cap. 8.

c anno 381. n. 21.

d Can. 2.

e Apud Io. Beſco in Antiqu. Viennenſibus.

f Can. 6.

g Epiſt. 3.

h loco citato.

canonis

canonis obtentu Ægyptiorum aliquot Antiſtitum audaciam fregere, qui Maximum Cynicum in Conſtantinopolitanam Sedem intruſerant, vt & poſtea Theodoretus a illo ipſo canone Nicæno Dioſcorum Alexandrinum Diaconum in Conſtantinopolitano Concilio altero Orientis Eccleſias Alexandrinæ vindicantem à ſpe ſua deiecit. Neque aliter fortaſſe intelligenda laudata ex Hadriano verba. nam quia, cùm in Chalcedonenſi Concilio Anatolius Conſtantinopolitanus primos ſuæ Sedi poſt Romanum Pontificem honores à Patribus b per fraudem extorſiſſet, Leo c Magnus tùm multis alijs rationibus factum damnauit, tùm quòd ea re Nicenorum Canonum authoritatem euerſum irent, qui cuique Metropoli ſua iura illæſa ſtabilierant, non abſurdè, & Leoni quoque hoc ſenſu adſcribi Diœceſeon partitio poterit.

Quòd ſi vlterius progredi libet, nō defuere, qui à ciuili Reipublicæ forma Apoſtolos ſuam Politiam eſſe mutuatos ſenſerint. quam opinionem, vt Vuolfangum Lazium d prætermissa non ignobilem antiquitatis authorem, probare ex parte Baronius videtur. adeoque exiſtimat, *Maiores noſtros in inſtituendis Sedibus non aliam iniſſe rationem, quam ſecundum Prouinciarum diuiſionem, & prærogatiuas ante à Romanis ſtabilitas*. Hinc nimirum putat ille inter omnes Orientis Eccleſias Antiochenā e digniorem eſſe habitam, quòd ea ciuitas Syriæ totius, imò etiam Orientis Metropolis vrbs eſſet. Hinc Alexandrinam f tametſi temporis prærogatiua minimè cum Antiochena conferendam, ei tamen dignitatis ordine antelatam, quia Alexandrina Præfectura, præter Auguſtalis titulum ab Auguſto impoſitum, magnificentiſſimè quoque ab eo fuerat inſignita. Sic Cæſareenſem g Hieroſolymitanæ prælatam, quòd in Ciuili Politia totius Palæſtinæ principatum haberet, ſic Cypri h Epiſcopos nullius externi Primatis, aut Metropolitæ ditioni paruiſſe, quòd Cyprus diſtincta per ſe Prouincia ſub Romanis fuit, neq; Tharſenſi vrbi Ciliciæ Metropoli, neque Antiochiæ Syriæ ſubiecta, idemque par eſt exiſtimare de Carthagine, Aquileia, Mediolano, & ſimilibus, quæ quia capita erant Prouinciarum, Metropoles quoque in ſacra Politia dictæ. Quare ex iſtorum ſententia, quæ Zacharias Brouerius i locis indicatis diſputat, non ex ciuitatum amplitudine, & eminentia ampliorem emergere Patriarcharum, Primatum, & Metropolitarum dignitatem, quòd alia ſint iura Regni, alia Eccleſiarum, eò tantùm pertinēt, vt neget ciuitatem alioqui ſurdæ, vt ille dixit, famę, ſi propter diuturnum Principis domicilium in Regiam euehatur, eius quoq; vrbis ſacram Sedē continuò altiori dignitate augeri, aut contra minui imminuta ſęculari dignitate. Cęterum non negat

a ep. 16.
b Act. 13.
c ep. 53. 54. 55
d de Republ. Rom. lib. 2. c. 2
e anno 39. nu. 10. & 11.
f anno 45. no. 16.
g anno 39. nu. 10. & 11.
h anno 425. n.
i In cenſura ad lib. 2. c. 10.

negat ille, imò fatetur vltro, hoc inprimis Eccleſiam ſpectaſſe, vt maiores ſacræ dignitates in maioribus vrbibus collocarentur, haud quidem ita vt ab vrbium magnitudine penderent, ſed potiùs vt maiores vrbes eminentioribus Eccleſiæ dignitatibus illuſtratæ ampliori honore cohoneſtarentur, indeque factum eſſe, vt exortas de Metropolitico iure controuerſias non faciliori, atque etiam certiori ratione Pontifices, quàm ex vrbium magnitudine, ac dignitate terminarint.

Atque ita quidem iſti ſentiunt. quòd ſi quiſpiam ex me quærat, quæ ex ijs probabilior mihi videatur, cenſuerim non vana fortaſſe coniectura ex tot iſtis clariſſimorum hominum ſententijs vnam conflari poſſe. ſic enim mihi pridem perſuaſi. ab ipſis quidem Eccleſiæ primordijs Apoſtolos, ſeu diuinitatis impulſu, ſeu prudenti ratiocinatione, diſſeminandæ fidei Metropoles vrbes elegiſſe, quò, vt Leonis verbis [a] vtar, *Lux veritatis, quae in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per Prouinciae corpus effunderet*. Quare cùm veriſimile ſit Primarios Gentilium Sacerdotes in Metropolibus Sedes ſuas habuiſſe, minores verò in minoribus ciuitatibus, ac municipijs; inde fit, vt Clementis quoque opinio veriſimillima videri poſſit. Iam verò cùm ex maioribus vrbibus profecta Chriſtiana religio manarit in reliquas Prouinciæ partes, quis negauerit hac quidem acceptione neutiquam deerrare ſecundæ ſententiæ Authores? alioqui minus probari mihi illud poſſet, quod ipſi generatim colligunt, Metropoles Sedes eas inſtitutas, vnde primùm Chriſti ſacra fluxere. quid ſi enim præpoſtero ordine, vt ſæpe fit, è ciuitate in Metropolem erupiſſent? eò nè Metropolem, aut Primam Sedem in ciuitatula ſtatuemus? Poſt verò inualeſcẽte vbique terrarum Chriſti cultu, redditaq; Eccleſiæ pace, haud dubiè putarim Pontificem Romanum, qui ſciret vniuerſi Orbis ſollicitudinem ſibi vni incumbere, Vices ſuas maiorum ciuitatum Epiſcopis tradere conſueſſe, in ijs præſertim Prouincijs, quæ aut nullas ab Apoſtolis ſortitæ Metropoles eſſent, aut ob earũ amplitudinẽ in plures partiri neceſſe eſſet, indeque ob frequentatas in certis cuiuſque Prouinciæ Eccleſijs Apoſtolicæ Sedis Vices partam ijs fuiſſe Metropolis, aut Primæ Sedis dignitatem, vt ſuo loco [b] latè eſt demonſtratum.

[a] Serm. i. de SS. Apoſt. Petro, & Paulo.

[b] Supra part. 3. c. 3. & 4.

## *Panormitanæ Eccleſiæ præſtantia ex ſæculari vrbis dignitate.*

## CAPVT XII.

SEd iam me Panormitanæ res vocant. verùm priuſquàm in arenam hanc deſcendam incerta à certis diſcernenda ſunt. Primùm igitur coniecturis, & probabilium rerum tractatione controuerſiam diſcutiemus, tùm ſi quæ erunt veterum Scriptorum, aut Principum teſtimonia in medium proferentur.

Quod ad coniecturas attinet, Littara huius cauſæ propugnator locis plus ſæpe laudatis illo potiſſimùm argumento nititur, quod à me pro Syracuſana extrema diſputatione adducebatur. Nempe Eccleſiarum præſtantiam, ac dignitatem ex ciuitatum claritate colligi, vt eodem ferè loco ſit in Eccleſiaſtica Politia Cathedralium Sedium conditio, atque vrbium eſt in Ciuilis Reipublicæ forma: eumque morem ab Chriſtianæ fidei exordio Apoſtolos ſecutos eſſe, qui in ijs tantùm ciuitatibus Epiſcopos ſtatuere, quæ inter cæteras inſigniores haberentur: Patriarchas verò, Primates, & Metropolitanos ijs vrbibus dedere, quæ vnius, aut plurium Prouinciarum capita eſſent, ijſdemque inferiores Eccleſias ſubiecere. Iam verò, ſubdit ille, nullus aduerſariorum audebit repugnare, à feliciſſima Panormo Siculos omnes iura petere. hic Reges olim iucundiſſimè totos annos, niſi aliò bellorum tumultus euocarent, commoratos. hic ſubinde reſidere Regum Vicarios. hic ſacros hæreſis Inquiſitores iura dicere. Hæc igitur, quam dico, ciuitas Panormus caput eſt Regni, & proinde Panormitana Eccleſia Prima Siciliæ Sedes.

Multa hic vno ſpiritu effutit Author, nos ſeorſum ſingula perſequamur neceſſe eſt. Primùm enim eò Metropolim Siciliæ Panormum dicendam cenſet, quòd Regum olim, nunc Proregum, & Hæreſeos Quæſitorum Sedes ſit. Quod ad hos attinet, fateor, ac planè agnoſco tribunal ſuum in ea ciuitate poſuiſſe. Sed id quidem ad prærogatiuam vrbis non parum faceret, niſi aliæ omninò cauſæ, quam loci dignitas id eos conſilij capere cōpuliſſet. Et pudet me tàm nihil in rebus ſuis iſtos videre, tàm indiligēter hæc tractare, vt laudi ducant, vt ijs ſe glorioſos putent, quæ Cymmerijs tenebris inuolui conſultius fuiſſet. neq; leuicula iſta ego attigiſſem, & ſilentiū mihi facilè imperaſſem, ni non modo imperiti quique, & de media plebe homines, ſed & qui prudentes dici, & videri volunt, momenti

mul-

multum in hoc præiudicio eſſe falſò ſibi perſuaſiſſent. Quis verò enim ignorat Panormitanos, cùm nouum hunc magiſtratum ad Chriſtianæ religionis integritatem conſeruandam à Catholicis Regibus prudentiſſimè inſtitutum iniquo ferrent animo, planèq; reſpuerēt, non ſemel eum turpiſſimè eiectum aliò migrare iuſſiſſe? quæ cùm in Fazello notiſſima a ſint, clariora fient ex ipſiſſima Caroli V. Imperatoris ſacra Epiſtola ad Meſſanenſē Senatū perſcripta, quam hic optima fide Latinā profero, *Non vos latet, ſanctae Inquiſitionis magiſtratum Panormitana ciuitate eiectum magna tùm Dei offenſa, tùm eorum conſcientiae periculo, qui facinus admiſere. Quia verò aequum eſt tribunal illud in priſtinam formam redire, cùm ad cōmunem omniū ſalutem plurimum id interſit, Reuerendiſsimus Cardinalis Dertuſenſis, idēque generalis Inquiſitor Triſtanum Calbetum, qui has ad vos perferet, iſtiuſce Regni Inquiſitorem conſtituit. eſt quidem ille, vt litteris bene excultus, ita ſumma probitate vir, eaque animi integritate magiſtratu iſto perfungetur, vt nullus iam quaerelae locus reliquus futurus ſit. Vos igitur oro, ac pro meo iure impero, vt, quod veſtra ciuitas Deo, ac nobis fideliſsima diù, ſēperq; fecit, nūc eumdem animi veſtri habitum retinentes, Triſtano faueatis, eumq; ſumma tùm obedientia, tùm cultu, obſeruantiaque receptum velitis, adeò, vt commiſſum ſibi munus ex praeſcripto exequi liberè poſſit, vnaque iſta opera integerrima veſtrum omnium fides probetur; id enim & ad Dei Optimi gloriam plurimum conferet, & nobis quoque pergratiſsimum erit. Datum Valliſoleti Kalend. Martijs, anno* M D X V I I I. Sed ne Hiſpani homines ſua dialecto fraudentur, en ipſam epiſtolam Hiſpanicè damus.

a Decad. 2. lib. 10 cap. vnico.

# El Rey.

*Amados, y fieles noſtros, ſabeis, como fue echado de la Ciudad de Palermo, el officio della ſancta Inquiſition en mucha offenſa de Dios noſtro Señor, y peligro de las conciencias de à quellos que lo hizieron: e porque es coſa diuida, que el dicho Sancto Officio ſea reſtituido en ſu priſtino eſtado, por lo que toca al deſcargo de las conciencias de todos, el Muy Reuerendo Cardinal de Tortoſa como general Inquiſidor ha ſubdelegado, y proueydo al Dotor Triſtan Calbete, que la preſente lleua por Inquiſidor en eſſe reyno, el qual es perſona de letras, y conciencia, y talque harà el officio con toda rectitud, y de manera que nadie tenrà cauſa de ſe quexar. Por onde rogamos vos, y encargamos que pues aſta à quieſta Ciudad lo hà echo como fideliſsima à Dios, y à Nos agora continuando voſtro buen zelo fauoreſcais, y recebais el dicho In-*

*quiſidor con tota obediencia, y acatamiento, y por manera que pueda exercir ſu officio libremente ſegun que por las prouiſiones Apoſtolicas, y noſtras es proueydo, y mandado, y ſe conoſca por obra voſtra entera fidelidad, que Dios ſerà dello ſeruido, y nos tenremos mayor cauſa de contentacion. Dada en la villa de Valladolid à XXIIII. dias del meſe de Hebrero del año mil quinientos, y diezyocho.*

Yo el Rey

*A los amados, y fieles noſtros los Iuratos de la noſtra Noble Ciudad de Mecina.*

a De origine Officij S. Inquiſitionis lib. 2. tit. 4. c. 11. n. 17.

b Caraff. Hiſt. Neapol. lib. 2.

Sed neque vno hoc ſolùm exemplo Panormitani, quid de grauiſsimo illo magiſtratu cogitarent, præſetulere: *Nam & anno M D X X X V.* inquit Paramo, [a] *Cernera Inquiſitore exiſtente Panormitani Ciues contra Sanctum Officium Inquiſitionis ita tumultuati ſunt, vt Saccos omnes benedictos, qui in Eccleſia S. Dominici ad perpetuam memoriam in hæreticorum ignominiam appendebant, magno Inquiſitionis dedecore, nemine reſiſtere valente amouerint, nec poſtea vnquam permiſerint illos in prædicta Eccleſia, vel alia inſtaurari. & non multò poſt, Panormitani, aliique regnicolae Inquiſitorem Ceruerã in fugam minis coniecerunt, ac in nauem, quæ in portu ſoluta erat, conſcendere compulerunt, Cartophilacium, ſeu Archiuium Sanctae Inquiſitionis cum omnibus ſcripturis incenderunt, pluraque ſimilia petulanter in Sancti Officij dedecus, & ignominiam ſtudio liberae vitae perpetrarunt.* Hæc Paramo. quæ ipſis eius verbis conſultò retuli, nè de meo aliquid addidiſſe videar. Non igitur vt honori vibis conſulerent, Panormi Sedes ſuas Inquiſitores fixere, ſed vt illam præſentis imperij metu in officio continerent. Iam verò Proregem, quis ignorat, nullum habere certum conuentum, in quo ius dicat, ſed Panormi plurimùm, perſæpe etiam Meſſanæ Prouinciam adminiſtrare? Aut quem verò etiam latet, Normannos Reges [b] Panormi potiſſimùm degere ſolitos, tùm vt Sarracenorum ciuium tumultus, qui frequentiſſimi in ea ciuitate erant, tutò, ac facilè comprimere, tùm vt vicinæ Africæ motus obſeruare, & ſi de inferendo bello conſilia ſuſcepiſſet, peruigili cura turbare apparatus, & ab incepto deterrere poſſent?

## *Eccleſiaſticæ dignitates Ciuilis Reipublicæ formam neque ſequuntur, neque ab illa pendent.*

## CAPVT XIII.

Sed eſto. iam ſit Panormus ſtata Regum, Proregum, Inquiſitorum Sedes. ſit Primaria Siciliæ Vrbs. quid tùm ex ea re Littara colligat, animaduertamus. Scilicet, inquit, cùm Apoſtoli in Eccleſijs inſtituendis dignitatem vrbium ſpectarint, veriſimile eſt etiam Panormi, quæ nunc Metropolis Siciliæ eſt, Archiepiſcopum ſtatuiſſe. Ridenda planè argumentandi ratio, & quæ non niſi purum, ac putum Grammaticum deceat. nam vt prior propoſitio vera ſit, quam tamen latè Nicolaus Sanderus, a & Baronius b refellunt, falſiſſimeque eos opinari, qui ex ciuitatum claritate Eccleſiarum quoque præſtantiam deprehendi, multis probant; in ſecunda fœdiſſimè labitur Littara. quippe cùm partes eius eſſent oſtendere, Panormum Apoſtolorum ætate Metropolem vrbem Siciliæ fuiſſe, hoc ſolum vix, ægrèque inſulſa illa ſua ſententiarum conglobatione aſſequitur, eam vrbem in nomen aliquod, & claritatem recenter euectam eſſe. atqui ad diſpiciendum Sicularum vrbium ſtatum, qualis ineunte Chriſtiana religione fuit; nihil omninò illa pertinet hodierni Principatus inueſtigatio.

a de Claue Dauid. lib. 5. c. 7.
b tomo. 5. pag. 160.

1. Agnoſcit homo minimè malus, quàm parum feliciter hæc prima ſuccedant. intelligit ſcilicet, ac planè inuitus fatetur, ſi ciuitatis ſplendorem, ac dignitatē, quæ Apoſtolorum æuo fuit, ſequi cogimur, neminem eſſe, quin videat longè clariorem, ac potiorem locum Meſſanam tuliſſe, quæ & Grçcorum imperio florente rerum fortiter in bello, & in pace prçclarè geſtarum gloria, & vrbis amplitudine, atque opulentia, & portus opportunitate maximè fuit illuſtris, & multò auctior, ornatiorque, vbi ſe ad Populi Romani ſocietatem applicuit, cum alioqui tùm Panormus obſcuri nominis eſſet oppidum, & vix etiā Romanis benè notum; pergit tamen audacter, & quando replicationis huiuſce vim diffugere ſe omninò poſſe deſperat, id ſaltem extorquere nititur, neque Panormum, neque Meſſanam Primarias ea tempeſtate vrbes Siciliæ fuiſſe: neque item earum Eccleſias Metropoles ab Apoſtolis factas, ſed ſolas Syracuſas in vtraque Politia Principatum tenuiſſe. Sed iam id ſatis, ſuperque à me improbatum eſt, cùm Syracuſanæ Eccleſiæ titulos recenſebam. Alius igitur euaſionis modus Littaræ tentandus. Sic autem diſputat. Vbi de præſenti alicuius Eccleſiæ,



Digitized by Google

„ Vrbiſue ſtatu agitur, non eſſe priſtina tempora, & à prima pe-
„ nè origine ciuitatis repetita conſideranda, ſed quæ nunc emi-
„ nent, florent, & vigent. tametſi plurimum habeat authoritatis
„ dignitas cum temporum vetuſtate coniuncta. Nihil igitur, in-
„ quit, proficiunt, qui priſtina citant iura, vbi tùm Principum
„ poteſtas, tùm locorum merita mutandum aliquid cenſuere.
„ ſolent enim plerumque maximis ciuitatibus derogare, & hu-
„ millima oppida ad ſublimiora erigere faſtigia. Adeò non in ſo-
„ la vetuſtate, quæ nihil gerat præter nudum titulum, ſed præci-
„ puè in præſenti tẽpore conſideranda eſt vrbis, Eccleſiæue præ-
„ rogatiua, ſi præſentes honores expetuntur, vt non quale quid
„ fuerit, ſed quale etiam num ſit attendamus. Claudit tandem
„ diſputationem nobili ſententia, deploranda nimirum eſſe po-
„ tiùs præterita tempora, ſi non pari dignitate retineantur.

Dij approbent. hominem habemus in Iuriſconſultorum manibus eductum, qui nouas leges condat, nouas tabulas deſcribat. Vetera nimirum illa ſunt, & iam pridem obſoleta, ex præteriti temporis inſpectione colligi, qualis hodie ſit rerum ſtatus. illa item veterum Patrum placita: *Vt antiquitas ſeruetur. Vt regulae Patrum teneant. Canones vnum ſciunt Metropolitanum antiquiorem.* At præterquam, quòd veluti certiſſimum ſtatuit, id quod ſub iudice etiamnum eſt, Panormum ſcilicet Metropolim eſſe in Ciuili Siciliæ Politia, cùm alioqui, ſi in diſputationem res deducenda ſit, plura à nobis, eaque validiora ſint ſaecularis huiuſce Primatus argumenta, tùm in eo quoque peccat, quòd à præſenti rerum Ciuilium facie veterem Eccleſiarum prærogatiuam deprehendi ſtultiſſimè exiſtimat. Non ego quidem ignorauerim, quòd ſi quæ regio Chriſtianis Sacris nunc primùm initianda eſſet, ac iuxta Eccleſiæ diſciplinam in Prouinciæ formam redigenda, ea certè vrbs Metropolitanæ, vel Primatis Cathedræ dignitate augeretur, quæ ſua, vel magnitudine, vel claritate, ac præſtantia præ cæteris nunc eſſet illuſtrior; at omninò nego Sedem vllam eò reliquis antecellere, quòd ciuitas recentiori fortunæ, aut Principum beneficio ad Prouinciæ principatum euecta ſit: Quin potiùs mutata Reipublicæ Ciuilis forma, manere tamen veterem, & antiquum Eccleſiaſticæ Politiæ gradum, atque ordinem ſentio. Id quod pulcherrimè explicat Innocentius I.[a] ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum: *Nam quod ſciſcitaris*, ſcribit ille, *vtrum diuiſis Imperiali iudicio Prouinciis, vt duae Metropoles fiunt, ſic duo Metropolitani debeant nominari, non viſum eſt ad mobilitatem neceſsitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoreſue, aut diuiſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator. Ergò ſecundùm priſtinum Prouinciae mo-*

rem

a ep. 18. inter decreta Innocentij, & Leo ep. 52. ad Marcian. Aug.

*rem Metropolitanos Epiſcopos conuenit nominari.* Alioqui ſcilicet numquam firmus, ac ſtabilis, perpetuuſque eſſet Eccleſiaſticarum dignitatum cōſenſus, ſed ipſi Ciuilium rerum viciſſitudini obnoxius, quo nihil magis Veteres abhorruiſſe Berterius [a] docet Nicæę vrbis inter cætera exemplo, quæ cùm nouo Valentis, & Valentiniani Principum munere ad Metropolis gradum euecta, Nicomediæ veteri totius Bythiniæ Metropoli æquata eſſet, hac tamen lege id ei conceſſum eſt, inquit, *vt in Prouinciae Eccleſiaſticae forma nihil immutaretur.* Neque alia mens fuit Theodoſio, & Valentiniano Imperatoribus. cum enim Berythum Metropolim eſſe voluiſſent, hoc etiam addidere: [b] *Igitur haec quoque Metropolitanam habeat dignitatem. Tyro nihil de iure ſuo derogetur. ſit illa mater Prouinciae Maiorum noſtrorum beneficio, haec noſtro.* Vt igitur hoc Littaræ concesſerim, Panormum hodie Siciliæ caput eſſe, ac principem vrbem, non tamen conſequitur,quod putat ille,Meſſanæ quippiam de veteri eius dignitate eſſe detractum. His adde, quod & ſi perſæpe, ac plurimùm videamus ciuitatum conditionem vel Principum voluntate, vel ipſa rerum viciſſitudine ita commutari, vt quæ olim Regia Vrbs, princeps, caputue Prouinciæ fuerit, nunc vile ſit oppidum: contra verò, quæ paulò ante tenuis erat villa, nunc in Metropolim excreſcat, nō tamē idē in Eccleſiaſticæ Reipublicæ forma vſu venit. quippe, & ſi oppidum aliquod diuitijs, amplitudine, rerum geſtarum gloria maxima incrementa cæperit, non tamen cum iſto ipſo feliciſſimo ciuilium rerum ſucceſſu Epiſcopalem, & minus multò Archiepiſcopalem dignitatem nanciſcitur, niſi id ornamenti genus expreſſim à Romana Sede obtinuerit. ſcilicet ſacri iſti honores, ac prærogatiuæ haud continuò ſæcularium rerum felicitatem comitari ſolent,ſed ſpeciatim petendæ,atq; à R. Pontifice decernendæ ſunt. Et vt recentiora exempla reddamus, quis ignorat Lutetiam Galliarum Regiā vrbem, & caput eſſe, Hiſpaniæ Madritum, Luſitaniæ Vliſſyponem, Angliæ Londinum? & nihil tamen recens earum Vrbium ſplendor in Eccleſiaſticæ adminiſtrationis forma mutauit; nihil Toletanæ, aut Bracarenſi, nihil tandem Eboracenſi decreuit. nam *ſi Epiſcopi,* inquit Sanderus, [c] *eò potentiores in Eccleſiaſtica iuriſdictione eſſent, quod magnarum ciuitatum Eccleſias adminiſtrent, vtique Angliae Primas non Cantuariae, ſed Londini ſederet; Primas Scotiae non apud S. Andream, ſed Edimburgi; Primas Hiberniae non apud Armach. ſed Dublini; Primas Galliarum non Rhemis, ſed Pariſijs; Primas Germaniae non Moguntiae, ſed Viennae; Primas Poloniæ non Gneſnę, ſed Cracouię. Primas Luſitanię non Bracarę, ſed Vliſsypone, Primas Hiſpanię nō Toleti, ſed Madriti eſſet.* Quæ

ſi vera

a Diatrib. 2. c. 4. pag. 171. & c. 5. pag. 214. 219. & c. 6 pag. 225.

b l. 1. C. de Metropol. Berytho lib. 11.

c de Claue Dauid lib. 5. c. 6. Zacchar. Breuer. in cenſura contra M. Antonium de Dominis lib. 3. in cap. 2.

ſi vera ſunt, ridendus planè eſt Littaræ conatus, qui quòd Panormum fortunæ obſequentis, aut Proregum munere Principem vrbium factam eſſe falsò exiſtimet, eò etiam Metropolim, aut Primam Sedem dicendam contendit, cùm alioqui nullas proferat tabulas, nulla Principum, aut Pontificum diplomata, quibus Apoſtolicæ Sedis largitione id ei honoris conceſſum eſſe conſtet. Sic nimirum Gelaſius II. [a] riſit Euphemij Cōſtantinopolitani Patriarchæ vaniſſimos faſtus, qui quòd id temporis Regia vrbs Conſtantinopolis diceretur, Primatum ſibi ſupra omnes Orientis Eccleſias vindicaret. ſic & Baronius [b] Græcorum leuitatem ſugillat, *Vbi nam gentium, quaeſo,* inquit, *praerogatiua Sedium ex pulchritudine, vel amplitudine, vel dignitate ciuitatum à maioribus reperitur eſſe ſancita, & non potiùs ex Apoſtolorum ſucceſsione?*

[a] Epiſt. XI.

[b] tom. 6. anno 451. num. 132.

## *Pontifex Romanus difficilè veteres Eccleſiarum praerogatiuas immutari patitur, & quæ Panormitanorum in Romanam Sedem merita.*

## CAPVT XIV.

Sed iam reliquas perſequamur Littaræ coniecturas. hic verò Lectorem rogatum volo, ne à me ordinem hoc loco deſideret. ſcilicet vt Littaræ tumultuario declamatori paria reſpondeam, tumultuariè, & ſine ordine ſcribendum mihi eſſe ſcio. præſtat igitur illum ſuis coloribus depictum, ſuis ipſius verbis loquentem ſcænę dare. quòd ſi quandoque, vel ſe non ſatis explicat, vel diſparatè loquitur, neſcio an id quoque eximiam Scriptori calliditatem indicet, qui ne non aliquid dixiſſe videatur, vni verboſitati ſtudet; an cauſæ infirmitas faciat, quæ non alio diſputandi genere ſuſtineri queat.

" Secundò Panormum ſiue ſic exigentibus meritis, ſiue Ro-
" manorum Pontificum voluntate, quæ ſatis ſibi rationis, & au-
" thoritatis habet, in Archiepiſcopalem Sedem erectam eſſe
" comperimus. Poteſt enim Pontifex auferre priuilegium vni
" Eccleſiæ, & dare alteri, ſiue hoc fuerit, vbi Syracuſana defecit,
" ſiue iam inde ab initio Chriſtianæ religionis, incertum habeo.

Hactenus, vti vidimus, Iuriſconſultum egit, nunc Vatem aliquem, aut Diuinatorem. & mirum, cur non etiam ante enatam Chriſti fidem Archiepiſcopos Panormi extitiſſe harioletur. Porrò verò, & ſi nemini dubium eſt, Romanum Pontificem vni dari poſſe, quod alteri abrogarit; at illud quoque eſt

veriſſi-

veriſſimum, magnopere eum cauiſſe, ne in veterum canonum iniuriam, ne in alterius præiudicium priuilegia cuiquam irrogarentur. cui rei exemplo ſit Agapiti conſtantia, [a] qua Iuſtiniano Imperatore enixius cupiente Metropolis dignitate patriam ſuam honeſtari Iuſtinianam Primam, numquam ſe viuo paſſus eſt nouæ Metropolis erectione veteris authoritatem imminui; quòd putaret turpe eſſe nobilium Eccleſiarum dedecore nouas illuſtrari. exemplo ſint tot, tamque frequentes Romanorum Pontificum concertationes cum Iuuenali Hieroſolymitano [b] Epiſcopo pro Cæſareenſi Eccleſia; cum Hilario [c] Arelatẽſi pro Viennenſi; cum Anatolio [d] Conſtantinopolitano, Acacio [e] itidem Conſtantinopolitano pro Antiochena. Quibus non diſſimile eſt, quòd cùm Cantuaria [f] regia eſſet ciuitas, & totius Angliæ Metropolis, quo tempore Auguſtinus Gregorij I. auſpicijs Chriſtianæ fidei cultum in ea Inſula reſtituit, quia tamen Eboracum vetus Metropolitica Sedes Prouinciæ fuerat, iniqua res Gregorio viſa eſt recenti Cantuariæ fortuna antiquę Metropolis memoriam penitus obrui. iuſſit igitur, vt pari iure ambæ vterentur, ita tamen vt mortuo Auguſtino, inter vtriuſque Eccleſię Pręſules is prior haberetur, qui primus fuiſſet Epiſcopus ordinatus.

[a] Apud Baron. to. 7. anno 538 num. 59.

[b] Leo I. ep. 62

[c] Bonifac. ad Hilar. Narbonenſ. Celeſtin. ep. 2. Leo I. ep. 89.

[d] Leo ep. 62.

[e] Simplicianę ep. 13. 14. 15.

[f] Berter. Diatrib. 2. cap. 4. pag. 191.

Nam circa illud alterum, quod ignorare ſe ſimulat Aduerſarius, ad quæ potiſſimùm tempora referenda ſint Panormitana Metropolitani honoris incrementa; mirari ſubit, hominem in excutiendis illius Eccleſiæ tabulis egregiè verſatum, tàm facilè oblitum eſſe dignitatem eam ab Hadriano IV. primùm fuiſſe profectam. quòd ſi antiquiorem contendat, cur non tabulas profert?

Quòd verò eximijs Panormitanæ vrbis officijs Metropolem factam ſibi perſuadet, quæ tandem, obſecro, tàm inſignia fuere, promerita, quæ ſuo veluti iure honorem illum depoſcerent? an quia Gothicam barbariem [g] ab infeſtis Beliſarij armis diutiſſimè fouit? an quia Sarracenos, impijſſimos Chriſtianæ religionis hoſtes omniũ prima ſinu excepit, [h] & lõgiſſimę obſidionis patientia Normannorũ Fratrũ vires eluſit? an quia deditione vix tandem facta, Mahometicæ perfidię cultus quò ſibi firmiùs, licentiuſque permitteretur, fœderis pactione id primùm caueri voluit, ne quoquo modo ſceleſtiſſimos ritus mutare cogeretur? ſed pręſtat egregiam Panormitanorum operam Reipublicę Chriſtianę fortiter, ac piè nauatam Ludouici Imperatoris verbis audire, nec ſanè pro dignitate Vrbis decuit alium, quàm Imperatorem maximum eius laudum pręconium facere. Is in Apologetica epiſtola [i] ad Baſilium Imperatorem Conſtantinopolitanum de Neapolitanis acerbiſſimè queritur, *quod*

[g] Fazel. dec. 2. lib. 5. cap. 3.

[h] Fazel. dec. 2. lib. 7. cap. 1.

[i] Apud Baronium to. 10. anno 871. nu. 71. & 76.

R *Sarra*

*Sarracenis arma, commeatumque tribuentes, per totius imperij littora eos ducerent, & cum ipsis totos B.Petri Apoſtolorum Principis fines furtim depraedari conarentur, ita vt facta videatur Neapolis Panormus, vel Africa. Cùmque noſtri quique,* ſubdit, *Sarracenos inſequuntur, ipsi, vt poſsint euadere, Neapolim fugiunt, quibus non eſt neceſſarium, Panormum repetere, ſed Neapolim fugientes, ibidem, quouſque peruiderint, latitantes rurſus improuisò ad certamina redeunt.* & poſt multa. *Et quia nonnulli Panormitanorum latrunculi in ſagenis ſolatio, & refugio iam memoratorum Neapolitanorum freti per Tirrhenum mare debacchantur, oportet, vt tuae Fraternitatis ſtolus sine dilatione mittatur. iſti ſunt, qui cũ Calabritanis Sarracenis ſtipendia praebeant, & his, qui Panormi ſunt, auxilia quotidiana miniſtrent. vnde ſi capiantur ſagenae, maxima ex parte Sarraceni tàm Panormi, quàm Calabriae conſtringentur.* Hęc ſcilicet ſunt, quibus iſti gloriantur, illuſtria ad famam facinora, hę cum Romana Eccleſia neceſſitudines, vt planè diffiteri non audeam, ſi talibus in Chriſtianam rempublicam officijs meriti honores quęruntur, & ſi id genus authoramẽtis ſacrę dignitates ab Apoſtolica Sede obtineri ſolent, Panormitanę vrbi primas deberi, neq; eas vnquã ſperare Meſſanam potuiſſe. quippe iſta diuerſis omninò conſilijs Totilę [a] Gothorum Regis, tot barbararum gentium viribus inſtructi, vaſtitatem Sicilię inferentis conatus ſtrenuè, fortiterq; repreſſit, ac fregit; Sarracenorum caſtra cum ipſo Principe [b] Apolophare funditùs euertit; Normannis fratribus, [c] vt Chriſtianam religionem Sarracenis expulſis Inſulę offerrent, Author propemodum, ac Princeps fuit. Atqui verò proprium Metropolis vrbis munus eſt, alias, quibus prępoſita eſt, ciuitates officijs ſibi deuincire, earumq; ſaluti in aduerſis præſertim, ac turbulentis rebus conſilio, manuque proſpicere. inde illa ſunt Dionis [d] Chriſoſtomi ad Nicomedienſes. *Tentate igitur primas habere inter ciuitates. Primùm quidem, vt illarum curam geratis. hoc enim tanquam Metropoleos veſtrum peculiare officium.* Quis igitur Littaræ, vel urato teſti credat, Romanum Pontificem in diſtribuendis inter Siculas Eccleſias dignitatibus, vel Meſſanæ Metropolis ius abrogaſſe, vel eam Panormitanæ ciuitati poſthabuiſſe.

a Fazel. Dec. 2. lib. 5. cap. 3.

b Fazell. Dec. 2. lib. 6. cap. 2.

c Fazell. Dec. 1. lib. 2. cap. 2.

d Orat. 38.

Quid

## *Quid iuris Imperator habeat in Sacra Politia, & quatenus creare Metropoles poſſit.*

## CAPVT XV.

Pergit tamen ille, & vtrumque, inquit, certiſſimis fideliſſimiſque teſtimonijs aſſequimur. nam Syracuſas, priuſquam Montiſregalis Archiepiſcopo ſubijcerentur, vel nullum inter alias, vel non vniuerſalem geſſiſſe Primatum inuenimus. quòd Gregorij I. authoritate tuemur, qui Maximianum Epiſcopum Siciliæ Legatum faciens, proinde, ait, ſuper cunctas Eccleſias Sicilię te Vices Sedis Apoſtolicæ miniſtrare decreuimus, quas non loco tribuimus, ſed perſonæ. Loco profecto tantum munus conueniſſet, & primariæ Eccleſiæ curam gerenti, ſi Syracuſana tunc re vera Siculorum Metropolis fuiſſet concurrentibus præſertim loci, & perſonæ meritis, vt ſiue Legati, ſiue Metropolitani nomine cæteras etiam Eccleſias Sedibus vacantibus gubernaret, aut eiſdem ſuo iure præſideret. erat autem Maximianus Archiepiſcopus, vt idem Gregorius ad Ioannem Maximiani ſucceſſorem teſtatur, ſed non ſolus. Panormitanam verò Eccleſiam Metropolitanam deinceps, & antea fuiſſe, ſatis, aperteque innoteſcit. Poſſumus etiam conſentire, ab Apoſtolorum temporibus diſtinctis Diœceſibus, quemadmodum tres nunc habemus, duas fuiſſe in Sicilia Metropoles, Syracuſas, & Panormum, vt ex his, quæ de Beliſario ſcribunt, colligi poteſt. quemadmodum duo olim regna alterum Græcorum, ſiue Syracuſanorum, alterum verò Pœnorum erant, vnde, & ſub Romanis duæ in eumdem modum Prouinciæ vetus, & noua, propter Hieronis, & Carthaginienſium dominia.

At enim quæ iſtæ ſunt certiſſimæ coniecturæ, quæ fideliſſima teſtimonia, quæ tot locis venditat Littara, nondum apparet. nam ſi quam ſpem habet in Paſchalis I. Gregorij VII. neſcio quibus reſcriptis eam vaniſſimam eſſe ſuis locis oſtendam. quòd ſi Henrici VII. Friderici II. Imperatorum diplomata intelligit, quæ à Fazello citantur, nihil hæc Littarę poſitionem iuuant. quippe neque iſti Primatum Panormitanæ Eccleſiæ largiri voluere, neque potuiſſent, ſi vellent. notiſſima videlicet eſt Chalcedonēſis Cōcilij ſanctio.[a] *Qui ab Imperatoribus Metropolitae fiũt, nomine tantùm cenſeantur.* Cùm enim Romani Pontificis tantùm ſit de Eccleſiarum Primatu cognoſcere, ac definire, & iſtiuſmodi honores diſpertiri, id quod Littara multis confirmat exemplis, vt Arcadiani diplomatis vim eludat, quo Meſſa-

[a] Act. 14. Can. 12.

na prima Siciliæ Metropolis conſtituitur; fruſtra à Fazello, aut Littara Imperatorum, ac Regum priuilegia in teſtimonium, vel authoritatem proferuntur. Illuſtre huius rei exemplum in Chalcedonenſi [a] Synodo videre licet. nam cùm Berythenſium vrbi in Metropolim elatæ Imperatores plurimas Epiſcopales Sedes, quæ priùs in Tyria Prouincia cenſebantur attribuiſſent, deque ea re non parua exorta eſſet altercatio inter Photium Tyri, & Euſtachium Berythi Metropolitas, rogati in Concilio Patres vellent ne cauſam eam tractari ſecundùm Eccleſiaſticas leges, an iuxta imperij ſanctiones; Iudices quidem Cognitores interlocuti dixere: *Sanctiſsimo Domino Orbis placuit, non iuxta ſacras Imperatoris litteras, & pragmaticos typos res ſanctiſsimorum Epiſcoporum procedere, ſed ſecundum Canones à SS. Apoſtolis datos.* Synodus verò vniuerſa, *contra Canones nihil Pragmaticum valebit. Regulae Patrum teneant*, reſpondit. Igitur adiudicata Photio cauſa, ciuitates Tyriæ prouinciæ reſtitutæ. quamuis Euſtachius excuſaret id factum Imperatoris lege, conſuetudiniſque eſſe, diceret, Imperatores Metropoles facere. conſentit his Nicolai Patriarchæ ad Alexium Comnenum [b] præclara ſententia: *Ad ciuitates nimirum pertinere, non ad Eccleſias Imperatorum beneficia.* Quòd autem Aduerſarius bonam fidem agnoſcat, ac fateatur Syracuſanam Eccleſiam nullũ inter alias, vel nõ vniuerſalẽ geſſiſſe Primatũ, nullã à me iſto beneficio gratiã init, iam enim id in ſuperiorib⁹ clariſſimè peruici. At qua tandem ratione aſſequitur Panormitanam Sedem deinceps, & antea Metropolitanam ſemper fuiſſe? proferat iam ſi quod habet, vel vnius non magni pretij Scriptoris teſtimonium, qui vel Metropolis, vel primæ Sedis dignitatem illi obtigiſſe vnquam aſſeueret toto illo tẽporis decurſu. quod à Chriſtianę fidei prædicatione ad Normannos vſque interceſſit? Porrò quòd conſentire ſe poſſe dicat, iam inde ab Apoſtolorum æuo duas fuiſſe in Sicilia Metropoles, Panormum, & Syracuſas, id quidem vel iniurato crediderim. quippe facillimè, qui amant ſomnia ſibi confingere ſoliti, ſed hæc tandem mera ſunt ſomnia, niſi re ipſa fidem ſibi concilient. Nec verò quiſquam hoc loco inconſtantiæ illum arguat, quaſi hic Syracuſas, & Panormum Metropoles ſtatuat, qui paulò ante Syracuſas nullum inter alias Epiſcopales Sedes, vel non vniuerſalem geſsiſſe Primatum tantùm non iuramento confirmabat. neq; enim ſibi ſimilis, neq; mendax eſſet, ſi vel ſibi ipſi conſtans, vel memor eſſe didiciſſet. Iam ſi à duplici Inſulæ partitione, quæ apud Veteres fuit, argumentum ducit, quo duplicem Metropolim probet, videat etiam, ac peruideat, ne inuitus, ac nolens alterius laudi, ac dignitati non Panormo velificetur; cùm & Græcorum

[a] Actione 5. Codice Græci.

[b] tom. 1 Iuris Græco Roman. lib. 4. ſententiar. Synodal. 11. in Nouella 11.

rum

rum; & Romanorum rebus florentibus pars ea Siciliæ, quæ Carthaginienſium imperio parebat, Liliboeum non Panormum Metropolim, ac caput habuerit. Inde, & Lilyboeum Punici belli altera Sedes fuit, & ſuus Quæſtor Lilyboeo à Romanis datus, qui eiuſce Prouinciæ vectigalia curaret. Lilyboei itidem, vt Meſſanæ, & Syracuſis conuentus à Prætore indictus, quo Siculi ad dicendas cauſas euocarentur, id quod etiam indicat Valeria via, quæ Meſſana Lilyboeum vſque Populi Romani iuſſu aperta, conſtrataque eſt. tantumque abeſt, vt Panormus vetuſtiori æuo Metropolis vnquam audiuerit, vt cùm pleraſque celebriores Siciliæ ciuitates certo ſigno ſpectabiles conſultò exhibeat tabulæ Itinerariæ Romanæ vetus author, Panormitanæ nullà inſignioris vrbis nota adpoſita ſit. quod minùs mirandum Philippo Cluuerio [a] fuiſſet, ſi illorum temporum recordationem memoria eſſet complexus.

[a] In deſcriptione Panormitana.

## *Panormitanus Epiſcopus alio iure, atque Meſſanenſis pallium ab Gregorio obtinuit, & emendata Gregoriana epiſtola inſcriptio.*

## CAPVT XVI.

POſtulat nunc dicendorum ordo, vt cùm eam diſputandi rationem, quæ coniecturis conſtat, huc uſque tractauerimus, tranſitum faciamus ad ea Scriptorum, aut Principum teſtimonia, quibus Panormitanorum cauſam certiſſima fide comprobari autumant.

Ac primo quidem loco Gregorij noſtri epiſtola [b] ad Ioannem Panormitanum ea videtur, vt non dubiè Metropoliticam dignitatem illi Eccleſiæ vindicare poſſit. ſic enim ſcribit. *Apoſtolicae Sedis grata beneuolentia prouocati Fraternitati tue, quam Panormitanae Ecclesiae ſpeculatoris conſtat ſuſcepiſſe officium, pallij vſum praeuidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque eo ordine, vt alios quoque in Inſula Siciliae Sacerdotes, vel deceſſores tuos vſos eſſe non ambigis. Illud autem admonemus, vt Apoſtolicę Sedis reuerentia nullius praeſumptione turbetur, tunc enim ſtatus membrorum integer manet. ſi caput fidei nulla pulſet iniuria, & Canonum manet incolumis, atque intemerata ſemper authoritas, vt ſicut à nobis huiuſcemodi decoris vſum ad Sacerdotalis officij honorem accepiſſe te gaudes, ita etiam morum, atque actuum probitate ſuſceptum adornare contendas officium. Sic enim alterno eris inuicem decore conſpicuus, ſi ad huiuſmodi corporis habitum, mentis quoque tuae bona concordent.*

[b] lib. 11. Indict. VI. ep. 44.

Verùm in hoc primo refellendo argumento non multis erit agendum. iam enim oſtendimus ſuo loco, non ſemper Metropoliticæ dignitatis certam notam pallium fuiſſe, ſed externi ſolùm cultus ornamentum.Suſpicer ne quoq; Ioannem primum fuiſſe, aut inter primos Panormitanos Antiſtites, qui pallio eſſent donati? non abnuunt coniecturæ. Primùm, quia præfatur Gregorius, ſe id honoris Ioanni largiri ſola Apoſtolicæ Sedis beneuolentia. non igitur antiquæ conſuetudinis exemplo incitatus id fecit, quod de Meſſanenſi, & Syracuſana Eccleſijs ante erat teſtatus. Deinde quòd pallio vti Ioannem iubet, eo modo,formaque, quib⁹ reliquæ Siciliæ Sacerdotes,aut eius deceſſores hactenus vſi eſſent. videtur itaque Pontifex exemplum magis petijſſe ab Meſſanenſi, & Syracuſano Epiſcopis, quibus pallium non multis ante annis impertierat,quàm ab Ioannis deceſſoribus. Forteàn quia non liquidò conſtabat fuiſſe aliquando Panormitanos pallio auctos?

Adhæc illa me etiam mouent, quòd præmonet Gregorius, atque adeò vetat, ne quis irrogatum à ſe Ioanni priuilegium turbare audeat. an quòd vereretur ægrè id laturum Meſſanenſem Præſulem, quaſi eius Metropoliticæ dignitati præiudicium inferret communicatus inferioris ordinis Epiſcopo pallij honor? pari cautione, atque olim ad Viennenſem Archiepiſcopum Hadrianus I. ſcripſit,non debere Metropolitas queri,quod ſæpiuſculè Romani Pontifices ipſorum Suffraganeis pallij vſum concederent. Tandem id quoque perſuadet, quia cùm Gregorius Meſſanenſem Eccleſiam, & Syracuſanam eò ſe pallij prærogatiua honeſtare alibi dixiſſet, quia earum priuilegia ſalua eſſe vellet,id genus verba in Panormitana prætermiſit. Quibus fit, vt quiſque opinari veriſimiliter poſſit, Panormitanum Epiſcopum Ioannē, cùm ante eum alius nemo palliū geſtaſſet, aut certè dubium id foret, à Gregorio id honoris conſecutum, ita tamen, vt perſonale beneficium, non loci, Romanæ Sedis eximiæ liberalitatis, non veteris, & priſci moris fuiſſe munus collatis Meſſanenſis, Syracuſanæ, & Panormitanæ Eccleſiæ diplomatis intelligere facilè poſſimus. Neq; porrò addubitabit quiſquis à me alibi diſputata accuratiùs recenſuerit, quiſquis Gregorij ipſius inſtitutum obſeruauerit, qui cùm de pallio in Metropolitas conferendo agitur, [a] *priſcum ſe morem, & conſuetudinem ſequi, pallium ex more tranſmittere* frequentiſſimè dictitat, quiſquis tandem ipſam pallij concedendi formulam à Gregorio noſtro, [b] itemq; à Gregorio VII. [c] vſurpatam legerit. ea ita habet: *Dilectiſsimo Fratri Petro. Omni conuenire nouimus rationi, vt eos pallij amictu decoremus, quos in illis ciuitatibus diuina inſpirante miſericordia Sacerdotij honor illuminat, in*

*quibus*

[a] lib.4.Indict. XIII. cp. 8. 50. & 54.

[b] lib.10.Indict. V. epiſt. 56.

[c] lib.10.Indict. V. ep. 54.

Digitized by Google

*quibus hoc etiam illis qui præteritis temporibus Pōtifices fieri meruerunt, & ab Apoſtolica Sede cōſtat eſſe indultum. Ideoque charitati tuae vſum pallij, ſicut deceſſores tui habuiſſe noſcuntur, præſenti authoritate concedimus, atq; ea omnia circa honoris tui priuilegium volumus permanere, quae anterioribus temporibus Eccleſiae tuae conſtat eſſe ſeruata, vt nihil prorſus de priuilegijs eius doleas eſſe diminutum.*

Sed iam aliò decurrat oratio, nec tamē niſi in Gregorio verſetur. habet is a locum, qui Panormitanis mirum in modum faueat. ſic enim ſcribit ad Victorem Epiſcopum Panormitanum. *Quam igitur grauis, & aſpera aduersùs Fratrē noſtrū Paulinum Regenſis ciuitatis Epiſcopum clericorū eius, vel eorum, qui in ſacro ſunt Ordine poſiti, ſit querela, Fraternitati tuae liquere non dubium eſt; quia latere te in vicino non potuit, quod ad nos in longinquo peruenit. Proinde ſimul cum dilectiſſimo cōmuni Fratre Columbo Epiſcopo, vel alijs Sacerdotibus; quos praeuideris, inter ſupradictum Fratrem noſtrum, & Clericos ipſius cauſam ſubtili inueſtigatione rimari te conuenit. & ſi ſupplicantium querela veritate ſubſiſtit, ita hunc regulari emendatione corrigite, vt & quàm malum ſit, quod fecit, agnoſcat; & officij ſui terminos diſcat de caetero non exire, nec loci tui, ſicuti dicitur, ab eo poſtponi ordinem patiaris, ne illi deſpectus tuus ad periculum, & tibi fiat ad culpam, nam ad perſonam in priori loco poſitam reſpicit, quicquid à minori committitur, niſi ſollicitè corrigatur.* Quibus epiſtolæ verbis haud dubiam coniecturam facimus Regenſem Eccleſiam Panormitanæ ſubiectam fuiſſe, & itidem alias, vt quas ſuos Epiſcopos Panormitano dicto audientes habuiſſe hic legimus, & pro eius arbitrio collegarum cauſas agnouiſſe. Idipſum etiam alio in loco b confirmat Gregorius, cùm ad Columbum ſcribens, narrat, *iuſsiſſe ſe Victori Epiſcopo, qui Primatus locum inter eos teneret, Regenſis Epiſcopi accuſationem ſimul cum Columbo, alijſque terminare.*

a lib. 10. Ind. V. ep. 33.

b lib. 10. Ind. V. epiſt. 32.

Sed non patiar librariorum culpa veritati fucum fieri. nam præterquam quod correctiores, & vetuſtiores Codices c Gregoriani Regiſtri pro *Victori Panormitano Epiſcopo* legunt: *Victori Epiſcopo Numidiae*, ipſa eadem ſubiecta res docere poteſt, de Victore Numidiæ Primate epiſtolam loqui, ad quem ſimul & ad Columbum Numidiæ, ſeu Africæ Epiſcopos aliæ extant Gregorij epiſtolæ. d Facit etiam, quòd Gregorij æuo nullus inter Siculos Antiſtites Columbus fuit, ſed vnus ille Numidiæ Epiſcopus, de quo frequens eſt apud eum mentio. e Adde quòd in Sicilia nondum legi fuiſſe aliquam Eccleſiam Regenſem dictam. Neque de Rhegina, quę in Calabria eſt, locus intelligi poteſt, vt cuius Epiſcopus Bonifacius Gregorio Regitanus f quandoque

d lib. 3. Indict. XII. ep. 35. lib. 7. Ind. I. ep. 15.
e lib. 2. Indict. XI. ep. 47. lib. 5 Ind XIV. ep. 36. lib. 7. Ind. I. ep. 16. & lib. 10. Ind V. ep. 3.
f lib. 2. Indict. XI. ep. 41. lib. 6. Indict. XV. epiſt. 19.

„ Vrbiſue ſtatu agitur, non eſſe priſtina tempora, & à prima pe-
„ nè origine ciuitatis repetita conſideranda, ſed quæ nunc emi-
„ nent, florent, & vigent. tametſi plurimum habeat authoritatis
„ dignitas cum temporum vetuſtate coniuncta. Nihil igitur, in-
„ quit, proficiunt, qui priſtina citant iura, vbi tùm Principum
„ poteſtas, tùm locorum merita mutandum aliquid cenſuere.
„ ſolent enim plerumque maximis ciuitatibus derogare, & hu-
„ millima oppida ad ſublimiora erigere faſtigia. Adeò non in ſo-
„ la vetuſtate, quæ nihil gerat præter nudum titulum, ſed præci-
„ puè in præſenti tẽpore conſideranda eſt vrbis, Eccleſiæue præ-
„ rogatiua, ſi præſentes honores expetuntur, vt non quale quid
„ fuerit, ſed quale etiam num ſit attendamus. Claudit tandem
„ diſputationem nobili ſententia, deploranda nimirum eſſe po-
„ tiùs præterita tempora, ſi non pari dignitate retineantur.

Dij approbent. hominem habemus in Iuriſconſultorum manibus eductum, qui nouas leges condat, nouas tabulas deſcribat. Vetera nimirum illa ſunt, & iam pridem obſoleta, ex præteriti temporis inſpectione colligi, qualis hodie ſit rerum ſtatus. illa item veterum Patrum placita: *Vt antiquitas ſeruetur. Vt regulae Patrum teneant. Canones vnum ſciunt Metropolitanum antiquiorem.* At præterquam, quòd veluti certiſſimum ſtatuit, id quod ſub iudice etiamnum eſt, Panormum ſcilicet Metropolim eſſe in Ciuili Siciliæ Politia, cùm alioqui, ſi in diſputationem res deducenda ſit, plura à nobis, eaque validiora ſint ſaecularis huiuſce Primatus argumenta, tùm in eo quoque peccat, quòd à præſenti rerum Ciuilium facie veterem Eccleſiarum prærogatiuam deprehendi ſtultiſſimè exiſtimat. Non ego quidem ignorauerim, quòd ſi quæ regio Chriſtianis Sacris nunc primùm initianda eſſet, ac iuxta Eccleſiæ diſciplinam in Prouinciæ formam redigenda, ea certè vrbs Metropolitanæ, vel Primatis Cathedræ dignitate augeretur, quæ ſua, vel magnitudine, vel claritate, ac præſtantia præ cæteris nunc eſſet illuſtrior; at omninò nego Sedem vllam eò reliquis antecellere, quòd ciuitas recentiori fortunæ, aut Principum beneficio ad Prouinciæ principatum euecta ſit: Quin potiùs mutata Reipublicæ Ciuilis forma, manere tamen veterem, & antiquum Eccleſiaſticæ Politiæ gradum, atque ordinem ſentio. Id quod pulcherrimè explicat Innocentius I.[a] ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum: *Nam quod ſciſcitaris*, ſcribit ille, *vtrum diuiſis Imperiali iudicio Prouinciis, vt duae Metropoles ſiunt, ſic duo Metropolitani debeant nominari, non viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoreſue, aut diuiſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator. Ergò ſecundùm priſtinum Prouinciae morem*

a ep. 18. inter decreta Innocentij, & Leo ep 52. ad Marcian. Aug.

*rem Metropolitanos Epiſcopos conuenit nominari.* Alioqui ſcilicet numquam firmus, ac ſtabilis, perpetuuſque eſſet Eccleſiaſticarum dignitatum cõſenſus, ſed ipſi Ciuilium rerum viciſſitudini obnoxius, quo nihil magis Veteres abhorruiſſe Berterius [a] docet Nicæ̨ vrbis inter cætera exemplo, quæ cùm nouo Valentis, & Valentiniani Principum munere ad Metropolis gradum euecta, Nicomediæ veteri totius Bythiniæ Metropoli æquata eſſet, hac tamen lege id ei conceſſum eſt, inquit, *vt in Prouinciae Eccleſiaſticae forma nihil immutaretur.* Neque alia mens fuit Theodoſio, & Valentiniano Imperatoribus. cum enim Berythum Metropolim eſſe voluiſſent, hoc etiam addidere: [b] *Igitur haec quoque Metropolitanam habeat dignitatem. Tyro nihil de iure ſuo derogetur. ſit illa mater Prouinciae Maiorum noſtrorum beneficio, haec noſtro.* Vt igitur hoc Littaræ concesserim, Panormum hodie Siciliæ caput eſſe, ac principem vrbem, non tamen conſequitur, quod putat ille, Meſſanæ quippiam de veteri eius dignitate eſſe detractum. His adde, quod & ſi perſæpe, ac plurimùm videamus ciuitatum conditionem vel Principum voluntate, vel ipſa rerum viciſſitudine ita commutari, vt quæ olim Regia Vrbs, princeps, caputue Prouinciæ fuerit, nunc vile ſit oppidum: contra verò, quæ paulò ante tenuis erat villa, nunc in Metropolim excreſcat, nõ tamẽ idẽ in Eccleſiaſticæ Reipublicæ forma vſu venit. quippe, & ſi oppidum aliquod diuitijs, amplitudine, rerum geſtarum gloria maxima incrementa cæperit, non tamen cum iſto ipſo feliciſſimo ciuilium rerum ſucceſſu Epiſcopalem, & minus multò Archiepiſcopalem dignitatem nanciſcitur, niſi id ornamenti genus expreſſim à Romana Sede obtinuerit. ſcilicet ſacri iſti honores, ac prærogatiuæ haud contiuuò ſæcularium rerum felicitatem comitari ſolent, ſed ſpeciatim petendæ, atq; à R. Pontifice decernendæ ſunt. Et vt recentiora exempla reddamus, quis ignorat Lutetiam Galliarum Regiã vrbem, & caput eſſe, Hiſpaniæ Madritum, Luſitaniæ Vliſſyponem, Angliæ Londinum? & nihil tamen recens earum Vrbium ſplendor in Eccleſiaſticæ adminiſtrationis forma mutauit; nihil Toletanæ, aut Bracarenſi, nihil tandem Eboracenſi decreuit. nam *ſi Epiſcopi,* inquit Sanderus, [c] *eò potentiores in Eccleſiaſtica iuriſdictione eſſent, quod magnarum ciuitatum Eccleſias adminiſtrent, vtique Angliae Primas non Cantuariae, ſed Londini ſederet; Primas Scotiae non apud S. Andream, ſed Edimburgi; Primas Hiberniae non apud Armach. ſed Dublini; Primas Galliarum non Rhemis, ſed Pariſijs; Primas Germaniae non Moguntiae, ſed Viennae; Primas Polonię non Gneſnę, ſed Cracouię. Primas Luſitanię non Bracarę, ſed Vliſypone, Primas Hiſpanię nõ Toleti, ſed Madriti eſſet.* Quæ ſi vera

[a] Diatrib. 1. c. 4. pag. 171. & c. 5. pag. 214. 219. & c. 6 pag. 225.

[b] l. 1. C. de Metropol. Berytho lib. 11.

[c] de Claue Dauid lib. 5. c. 6. Zacchar. Boverius in cenſura contra M. Antonium de Dominis lib. 3. in cap. 2.

Digitized by Google

ſi vera ſunt, ridendus planè eſt Littaræ conatus, qui quòd Panormum fortunæ obſequentis, aut Proregum munere Principem vrbium factam eſſe falſò exiſtimet, eò etiam Metropolim, aut Primam Sedem dicendam contendit, cùm alioqui nullas proferat tabulas, nulla Principum, aut Pontificum diplomata, quibus Apoſtolicæ Sedis largitione id ei honoris conceſſum eſſe conſtet. Sic nimirum Gelaſius II. [a] riſit Euphemij Cõſtantinopolitani Patriarchæ vaniſſimos faſtus, qui quòd id temporis Regia vrbs Conſtantinopolis diceretur, Primatum ſibi ſupra omnes Orientis Eccleſias vindicaret. ſic & Baronius [b] Græcorum leuitatem ſugillat, *Vbi nam gentium, quæſo, inquit, prærogatiua Sedium ex pulchritudine, vel amplitudine, vel dignitate ciuitatum à maioribus reperitur eſſe ſancita, & non potiùs ex Apoſtolorum ſucceſſione?*

[a] Epiſt. XI.

[b] tom. 6. anno 451. num. 132.

## *Pontifex Romanus difficilè veteres Eccleſiarum prærogatiuas immutari patitur, & quæ Panormitanorum in Romanam Sedem merita.*

## *CAPVT XIV.*

SEd iam reliquas perſequamur Littaræ coniecturas. hic verò Lectorem rogatum volo, ne à me ordinem hoc loco deſideret. ſcilicet vt Littaræ tumultuario declamatori paria reſpondeam, tumultuariè, & ſine ordine ſcribendum mihi eſſe ſcio. præſtat igitur illum ſuis coloribus depictum, ſuis ipſius verbis loquentem ſcænę dare. quòd ſi quandoque, vel ſe non ſatis explicat, vel diſparatè loquitur, neſcio an id quoque eximiam Scriptori calliditatem indicet, qui ne non aliquid dixiſſe videatur, vni verboſitati ſtudet; an cauſæ infirmitas faciat, quæ non alio diſputandi genere ſuſtineri queat.

„ Secundò Panormum ſiue ſic exigentibus meritis, ſiue Romanorum Pontificum voluntate, quæ ſatis ſibi rationis, & authoritatis habet, in Archiepiſcopalem Sedem erectam eſſe comperimus. Poteſt enim Pontifex auferre priuilegium vni Eccleſiæ, & dare alteri, ſiue hoc fuerit, vbi Syracuſana defecit, ſiue iam inde ab initio Chriſtianæ religionis, incertum habeo. Hactenus, vti vidimus, Iuriſconſultum egit, nunc Vatem aliquem, aut Diuinatorem. & mirum, cur non etiam ante enatam Chriſti fidem Archiepiſcopos Panormi extitiſſe harioletur. Porrò verò, & ſi nemini dubium eſt, Romanum Pontificem vni dari poſſe, quod alteri abrogarit; at illud quoque eſt

veriſſimum, magnopere eum cauiſſe, ne in veterum canonum iniuriam, ne in alterius præiudicium priuilegia cuiquam irrogarentur. cui rei exemplo ſit Agapiti conſtantia, [a] qua Iuſtiniano Imperatore enixius cupiente Metropolis dignitate patriam ſuam honeſtari Iuſtinianam Primam, numquam ſe viuo paſſus eſt nouæ Metropolis erectione veteris authoritatem imminui; quòd putaret turpe eſſe nobilium Eccleſiarum dedecore nouas illuſtrari. exemplo ſint tot, tamque frequentes Romanorum Pontificum concertationes cum Iuuenali Hieroſolymitano [b] Epiſcopo pro Cæſareenſi Eccleſia; cum Hilario [c] Arelatẽſi pro Viennenſi; cum Anatolio [d] Conſtantinopolitano, Acacio [e] itidem Conſtantinopolitano pro Antiochena. Quibus non diſſimile eſt, quòd cùm Cantuaria [f] regia eſſet ciuitas, & totius Angliæ Metropolis, quo tempore Auguſtinus Gregorij I. auſpicijs Chriſtianæ fidei cultum in ea Inſula reſtituit, quia tamen Eboracum vetus Metropolitica Sedes Prouinciæ fuerat, iniqua res Gregorio viſa eſt recenti Cantuariæ fortuna antiquę Metropolis memoriam penitus obrui. iuſſit igitur, vt pari iure ambæ vterentur, ita tamen vt mortuo Auguſtino, inter vtriuſque Eccleſię Pręſules is prior haberetur, qui primus fuiſſet Epiſcopus ordinatus.

a Apud Baron. to. 7. anno 538 num. 59.

b Leo I. ep. 62

c Bonifac. ad Hilar. Narbonenſ. Celeſtin. ep. 2. Leo I. ep. 89.

d Leo ep. 62.

e Simplicianꝰ ep. 13. 14. 15.

f Beeter. Diatrib. 2. cap. 4. pag. 198.

Nam circa illud alterum, quod ignorare ſe ſimulat Aduerſarius, ad quæ potiſſimùm tempora referenda ſint Panormitanæ Metropolitani honoris incrementa; mirari ſubit, hominem in excutiendis illius Eccleſiæ tabulis egregiè verſatum, tàm facilè oblitum eſſe dignitatem eam ab Hadriano IV. primùm profectam. quòd ſi antiquiorem contendat, cur non tabulas profert?

Quòd verò eximijs Panormitanæ vrbis officijs Metropolem factam ſibi perſuadet, quæ tandem, obſecro, tàm inſignia fuere, promerita, quæ ſuo veluti iure honorem illum depoſcerent? an quia Gothicam barbariem [g] ab infeſtis Beliſarij armis diutiſſimè fouit? an quia Sarracenos, impijſſimos Chriſtianæ religionis hoſtes omniũ prima ſinu excepit, [h] & lõgiſſimę obſidionis patientia Normannorũ Fratrũ vires eluſit? an quia deditione vix tandem facta, Mahometicæ perfidię cultus quò ſibi firmiùs, licentiuſque permitteretur, fœderis pactione id primùm caueri voluit, ne quoquo modo ſceleſtiſſimos ritus mutare cogeretur? ſed pręſtat egregiam Panormitanorum operam Reipublicę Chriſtianę fortiter, ac piè nauatam Ludouici Imperatoris verbis audire, nec ſanè pro dignitate Vrbis decuit alium, quàm Imperatorem maximum eius laudum pręconium facere. Is in Apologetica epiſtola [i] ad Baſilium Imperatorem Conſtantinopolitanum de Neapolitanis acerbiſſimè queritur, *quod*

g Fazel. dec. 2. lib. 5. cap. 3.

h Fazel. dec. 2. lib. 7. cap. 1.

i Apud Baronium to. 10. anno 871. nu. 75. & 76.

*Sarracenis arma, commeatumque tribuentes, per totius imperij littora eos ducerent, & cum ipſis totos B. Petri Apoſtolorum Principis fines furtim depraedari conarentur, ita vt facta videatur Neapolis Panormus, vel Africa. Cùmque noſtri quique,* ſubdit, *Sarracenos inſequuntur, ipſi, vt poſſint euadere, Neapolim fugiunt, quibus non eſt neceſſarium, Panormum repetere, ſed Neapolim fugientes, ibidem, quouſque peruiderint, latitantes rurſus improuisò ad certamina redeunt.* & poſt multa. *Et quia nonnulli Panormitanorum latrunculi in ſagenis ſolatio, & refugio iam memoratorum Neapolitanorum freti per Tirrhenum mare debacchantur, oportet, vt tuae Fraternitatis ſtolus ſine dilatione mittatur. iſti ſunt, qui cũ Calabritanis Sarracenis ſtipendia praebeant, & his, qui Panormi ſunt, auxilia quotidiana miniſtrent. unde ſi capiantur ſagenae, maxima ex parte Sarraceni tàm Panormi, quàm Calabriae conſtringentur.* Hęc ſcilicet ſunt, quibus iſti gloriantur, illuſtria ad famam facinora, hę cum Romana Eccleſia neceſſitudines, vt planè diffiteri non audeam, ſi talibus in Chriſtianam rempublicam officijs meriti honores queruntur, & ſi id genus authoramẽtis ſacrę dignitates ab Apoſtolica Sede obtineri ſolent, Panormitanę vrbi primas deberi, neq; eas vnquã ſperare Meſſanam potuiſſe. quippe iſta diuerſis omninò conſilijs Totilę [a] Gothorum Regis, tot barbararum gentium viribus inſtructi, vaſtitatem Sicilię inferentis conatus ſtrenuè, fortiterq; repreſſit, ac fregit; Sarracenorum caſtra cum ipſo Principe [b] Apolophare funditùs euertit; Normannis fratribus, [c] vt Chriſtianam religionem Sarracenis expulſis Inſulę offerrent, Author propemodum, ac Princeps fuit. Atqui verò proprium Metropolis vrbis munus eſt, alias, quibus prępoſita eſt, ciuitates officijs ſibi deuincire, earumq; ſaluti in aduerſis præſertim, ac turbulentis rebus conſilio, manuque proſpicere. inde illa ſunt Dionis [d] Chriſoſtomi ad Nicomedienſes. *Tentate igitur primas habere inter ciuitates. Primùm quidem, vt illarum curam geratis. hoc enim tanquam Metropoleos veſtrum peculiare officium.* Quis igitur Littaræ, vel urato teſti credat, Romanum Pontificem in diſtribuendis inter Siculas Eccleſias dignitatibus, vel Meſſanæ Metropolis ius abrogaſſe, vel eam Panormitanæ ciuitati poſthabuiſſe.

a Fazel. Dec. 2. lib. 5. cap. 3.

b Fazell. Dec. 2. lib. 6. cap. 2.

c Fazell. Dec. 1. lib. 2. cap. 2.

d Orat. 38.

Quid

## *Quid iuris Imperator habeat in Sacra Politia, & quatenus creare Metropoles poſsit.*

## CAPVT XV.

PErgit tamen ille, & vtrumque, inquit, certiſſimis fideliſſimiſque teſtimonijs aſſequimur. nam Syracuſas, priuſquam Montiſregalis Archiepiſcopo ſubijcerentur, vel nullum inter alias, vel non vniuerſalem geſſiſſe Primatum inuenimus. quòd Gregorij I. authoritate tuemur, qui Maximianum Epiſcopum Siciliæ Legatum faciens, proinde,ait,ſuper cunctas Eccleſias Siciliȩ te Vices Sedis Apoſtolicæ miniſtrare decreuimus, quas non loco tribuimus, ſed perſonæ. Loco profectò tantum munus conueniſſet, & primariæ Eccleſiæ curam gerenti, ſi Syracuſana tunc re vera Siculorum Metropolis fuiſſet concurrentibus præſertim loci,& perſonæ meritis, vt ſiue Legati, ſiue Metropolitani nomine cæteras etiam Eccleſias Sedibus vacantibus gubernaret, aut eiſdem ſuo iure præſideret.erat autem Maximianus Archiepiſcopus, vt idem Gregorius ad Ioannem Maximiani ſucceſſorem teſtatur, ſed non ſolus. Panormitanam verò Eccleſiam Metropolitanam deinceps, & antea fuiſſe,ſatis, aperteque innoteſcit. Poſſumus etiam conſentire, ab Apoſtolorum temporibus diſtinctis Diœceſibus, quemadmodum tres nunc habemus, duas fuiſſe in Sicilia Metropoles, Syracuſas, & Panormum, vt ex his, quæ de Beliſario ſcribunt, colligi poteſt. quemadmodum duo olim regna alterum Græcorum, ſiue Syracuſanorum, alterum verò Pœnorum erant, vnde, & ſub Romanis duæ in eumdem modum Prouinciæ vetus, & noua, propter Hieronis, & Carthaginienſium dominia.

At enim quæ iſtæ ſunt certiſſimæ coniecturæ, quæ fideliſſima teſtimonia,quæ tot locis venditat Littara,nondum apparet. nam ſi quam ſpem habet in Paſchalis I. Gregorij VII. neſcio quibus reſcriptis eam vaniſſimam eſſe ſuis locis oſtendam. quòd ſi Henrici VII. Friderici II. Imperatorum diplomata intelligit, quæ à Fazello citantur, nihil hæc Littarȩ poſitionem iuuant.quippe neque iſti Primatum Panormitanæ Eccleſiæ largiri voluere, neque potuiſſent,ſi vellent. notiſsima videlicet eſt Chalcedonẽſis Cõcilij ſanctio.[a] *Qui ab Imperatoribus Metropolitae fiũt, nomine tantùm cenſeantur.* Cùm enim Romani Pontificis tantùm ſit de Eccleſiarum Primatu cognoſcere, ac definire, & iſtiuſmodi honores diſpertiri, id quod Littara multis confirmat exemplis, vt Arcadiani diplomatis vim eludat,quo Meſſa-

[a] Act.14.Can.12.

na prima Siciliæ Metropolis conſtituitur; fruſtra à Fazello, aut Littara Imperatorum, ac Regum priuilegia in teſtimonium, vel authoritatem proferuntur. Illuſtre huius rei exemplum in Chalcedonenſi [a] Synodo videre licet. nam cùm Berythenſium vrbi in Metropolim elatæ Imperatores plurimas Epiſcopales Sedes, quæ prius in Tyria Prouincia cenſebantur attribuiſſent; deque ea re non parua exorta eſſet altercatio intèr Photium, Tyri, & Euſtachium Berythi Metropolitas, rogati in Concilio Patres vellent ne cauſam eam tractari ſecundùm Eccleſiaſticas leges, an iuxta imperij ſanctiones; Iudices quidem Cognitores interlocuti dixere: *Sanctiſsimo Dòmino Orbis placuit, non iuxta ſacras Imperatoris litteras, & pragmaticos typos res ſanctiſsimorum Epiſcoporum procedere, ſed ſecundum Canones à SS. Apoſtolis datos.* Synodus verò vniuerſa, *contra Canones nihil Pragmaticum valebit. Regulae Patrum teneant*, reſpondit. Igitur adiudicata Photio cauſa, ciuitates Tyriæ prouinciæ reſtitutæ. quamuis Euſtachius excuſaret id factum Imperatoris lege, conſuetudiniſque eſſe, diceret, Imperatores Metropoles facere. conſentit his Nicolai Patriarchæ ad Alexium Comnenum [b] præclara ſententia: *Ad ciuitates nimirum pertinere, non ad Eccleſias Imperatorum beneficia.* Quòd autem Aduerſarius bonam fidem agnoſcat, ac fateatur Syracuſanam Eccleſiam nullũ inter alias, vel nõ vniuerſalẽ geſſiſſe Primatũ, nullã à me iſto beneficio gratiã init, iam enim id in ſuperiorib' clariſſimè peruici. At qua tandem ratione aſſequitur Panormitanam Sedem deinceps, & antea Metropolitanam ſemper fuiſſe? proferat iam ſi quod habet, vel vnius non magni pretij Scriptoris teſtimonium, qui vel Metropolis, vel primæ Sedis dignitatem illi obtigiſſe vnquam aſſeueret toto illo tẽporis decurſu, quod à Chriſtianę fidei prædicatione ad Normannos vſque interceſſit? Porrò quòd conſentire ſe poſſe dicat, iam inde ab Apoſtolorum æuo duas fuiſſe in Sicilia Metropoles, Panormum, & Syracuſas, id quidem vel iniurato crediderim. quippe facillimè, qui amant ſomnia ſibi confingere ſoliti, ſed hæc tandem mera ſunt ſomnia, niſi re ipſa fidem ſibi concilient. Nec verò quiſquam hoc loco inconſtantiæ illum arguat, quaſi hic Syracuſas, & Panormum Metropoles ſtatuat, qui paulò ante Syracuſas nullum inter alias Epiſcopales Sedes, vel non vniuerſalem geſſiſſe Primatum tantùm non iuramento confirmabat. neq; enim ſibi ſimilis, neq; mendax eſſet, ſi vel ſibi ipſi conſtans, vel memor eſſe didiciſſet. Iam ſi à duplici Inſulæ partitione, quæ apud Veteres fuit, argumentum ducit, quo duplicem Metropolim probet, videat etiam, ac peruideat, ne inuitus, ac nolens alterius laudi, ac dignitati non Panormo velificetur; cùm & Græcorum

[a] Actione 5. Codicis Græci.

[b] tom. 1 Iuris Græco Roman. lib. 4. ſententiar. Synodal. 11. in Nouella 11.

rum; & Romanorum rebus florentibus pars ea Siciliæ, quæ Carthaginienſium imperio parebat, Liliboeum non Panormum Metropolim, ac caput habuerit. Inde, & Lilybœum Punici belli altera Sedes fuit, & ſuus Quæſtor Lilyboeo à Romanis datus, qui eiuſce Prouinciæ vectigalia curaret. Lilybœi itidem, vt Meſſanæ, & Syracuſis conuentus à Prætore indictus, quo Siculi ad dicendas cauſas euocarentur, id quod etiam indicat Valeria via, quæ Meſſana Lilybœum vſque Populi Romani iuſſu aperta, conſtrataque eſt. tantumque abeſt, vt Panormus vetuſtiori æuo Metropolis vnquam audiuerit, vt cùm pleraſque celebriores Siciliæ ciuitates certo ſigno ſpectabiles conſultò exhibeat tabulæ Itinerariæ Romanæ vetus author, Panormitanæ nulla inſignioris vrbis nota adpoſita ſit. quod minùs mirandum Philippo Cluuerio [a] fuiſſet, ſi illorum temporum recordationem memoria eſſet complexus.

a In deſcriptione Panormitana.

## *Panormitanus Epiſcopus alio iure, atque Meſſanenſis pallium ab Gregorio obtinuit, & emendata Gregoriana epiſtola inſcriptio.*

## CAPVT XVI.

POſtulat nunc dicendorum ordo, vt cùm eam diſputandi rationem, quæ coniecturis conſtat, huc uſque tractauerimus, tranſitum faciamus ad ea Scriptorum, aut Principum teſtimonia, quibus Panormitanorum cauſam certiſſima fide comprobari autumant.

Ac primo quidem loco Gregorij noſtri epiſtola [b] ad Ioannem Panormitanum ea videtur, vt non dubiè Metropoliticam dignitatem illi Eccleſiæ vindicare poſſit. ſic enim ſcribit. *Apoſtolicae Sedis grata benevolentia prouocati Fraternitati tue, quam Panormitanae Eccleſiae ſpeculatoris conſtat ſuſcepiſſe officium, pallij vſum praeuidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque eo ordine, vt alios quoque in Inſula Siciliae Sacerdotes, vel deceſſores tuos vſos eſſe non ambigis. Illud autem admonemus, vt Apoſtolicę Sedis reuerentia nullius praeſumptione turbetur, tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi caput fidei nulla pulſet iniuria, & Canonum manet incolumis, atque intemerata ſemper authoritas, vt ſicut à nobis huiuſcemodi decoris vſum ad Sacerdotalis officii honorem accepiſſe te gaudes, ita etiam morum, atque actuum probitate ſuſceptum adornare contendas officium. Sic enim alterno eris inuicem decore conſpicuus, ſi ad huiuſmodi corporis habitum, mentis quoque tuae bona concordent.*

b lib. 11. Indic. VI. ep. 44.

*Verùm*

*quibus hoc etiam illis qui preteritis temporibus Põtifices fieri meruerunt, & ab Apoſtolica Sede cõſtat eſſe indultum. Ideoque charitati tuae vſum pallij, ſicut deceſſores tui habuiſſe noſcuntur, preſenti authoritate concedimus, atq; ea omnia circa honoris tui priuilegium volumus permanere, quae anterioribus temporibus Eccleſiae tuae conſtat eſſe ſeruata, vt nihil prorſus de priuilegijs eius doleas eſſe diminutum.*

Sed iam aliò decurrat oratio, nec tamẽ niſi in Gregorio verſetur. habet is a locum, qui Panormitanis mirum in modum faueat. ſic enim ſcribit ad Victorem Epiſcopum Panormitanum. *Quam igitur grauis, & aſpera aduerſus Fratrẽ noſtrũ Paulinum Regenſis ciuitatis Epiſcopum clericorũ eius, vel eorum, qui in ſacro ſunt Ordine poſiti, ſit querela, Fraternitati tuae liquere non dubium eſt; quia latere te in vicino non potuit, quod ad nos in longinquo peruenit. Proinde ſimul cum dilectiſsimo cõmuni Fratre Columbo Epiſcopo, vel alijs Sacerdotibus, quos praeuideris, inter ſupradictum Fratrem noſtrum, & Clericos ipſius cauſam ſubtili inueſtigatione rimari te conuenit. & ſi ſupplicantium querela veritate ſubſiſtit, ita hunc regulari emendatione corrigite, vt & quàm malum ſit, quod fecit, agnoſcat; & officij ſui terminos diſcat de caetero non exire, nec loci tui, ſicuti dicitur, ab eo poſtponi ordinem patiaris, ne illi deſpectus tuus ad periculum, & tibi fiat ad culpam, nam ad perſonam in priori loco poſitam reſpicit, quicquid à minori committitur, niſi ſollicitè corrigatur.* Quibus epiſtolæ verbis haud dubiam coniecturam facimus Regenſem Eccleſiam Ponormitanæ ſubiectam fuiſſe, & itidem alias, vt quas ſuos Epiſcopos Panormitano dicto audientes habuiſſe hic legimus, & pro eius arbitrio collegarum cauſas agnouiſſe. Idipſum etiam alio in loco b confirmat Gregorius, cùm ad Columbum ſcribens, narrat, *iuſsiſſe ſe Victori Epiſcopo, qui Primatus locum inter eos teneret, Regenſis Epiſcopi accuſationem ſimul cum Columbo, alijſque terminare.*

a lib. 10. Ind. V. ep. 31.

b lib. 10. Ind. V. epiſt. 32.

Sed non patiar librariorum culpa veritati fucum fieri. nam præterquam quod correctiores, & vetuſtiores Codices c Gregoriani Regiſtri pro *Victori Panormitano Epiſcopo* legunt: *Victori Epiſcopo Numidiae*, ipſa eadem ſubiecta res docere poteſt, de Victore Numidiæ Primate epiſtolam loqui, ad quem ſimul & ad Columbum Numidiæ, ſeu Africæ Epiſcopos aliæ extant Gregorij epiſtolæ. d Facit etiam, quòd Gregorij æuo nullus inter Siculos Antiſtites Columbus fuit, ſed vnus ille Numidiæ Epiſcopus, de quo frequens eſt apud eum mentio. e Adde quòd in Sicilia nondum legi fuiſſe aliquam Eccleſiam Regenſem dictam. Neque de Rhegina, quę in Calabria eſt, locus intelligi poteſt, vt cuius Epiſcopus Bonifacius Gregorio Regitanus f quandoque

d lib. 1. Indict. XII. ep. 35. lib. 7. Ind. 1. ep. 15. e lib. 2. Indict. XI. ep. 47. lib. 5 Ind XIV. ep. 56. lib. 7. Ind. 1. ep. 16. & lib. 10. Ind V ep. 8.

f lib. 2. Indict. XI. ep. 41. lib. 6. Indict. XV. epiſt. 19.

doque, quandoque [a] etiam Regienſis, numquam Regenſis appellatur. reſtat igitur vt in Numidia fuerit.

Nulli verò ſit veriſimile diſcretis iam inde à Concilio Nicæno prouinciarum finibus vllam eſſe potuiſſe Siculo Epiſcopo in Numidia iuris dicendi facultatem. imò facillimum creditu eſt librarium fortaſſe, cùm plures inueniſſet alias epiſtolas circa hæc ipſa tempora ad Victorem [b] Panormitanum Epiſcopum ſcriptas, hanc quoque exiſtimaſſe ad eum datam. quem & poſt annum obijſſe epiſtola docet ad Barbarum Beneuentanum, ſeu vt alij legunt, Carinenſem ſcripta [c].

a lib. 2. Indict. XI. ep 4. lib. 3. Ind. XIII. ep. 5. lib. 5. Ind XIV. ep. 9. & lib. 8. Ind. III. ep. 58. b lib. 4. Indict. XIII. ep. 4. lib. 5. Ind XIV. ep. 41. lib. 7. Indict I. ep 26. lib 7. Ind II. ep. 43 c lib. 12. Ind. VI. epiſt. 16.

## *Paſchalis epiſtola falsò ad Panormitanum Archiepiſcopum inſcripta, & duplex in ea re Littaræ fraus detecta.*

## CAPVT XVII.

TRanſeo nunc ad alterũ Paſchalis I. teſtimoniũ. ſcripſit iſte epiſtolam [d] ad Panormitanum Archiepiſcopũ ſatis longam. reprehenditque Regni proceres Regeſue, quòd abſurdum putaſſent, ab Pontificis Romani Apochriſiario pallium Archiepiſcopo ea lege oblatum eſſe, ſi iureiurando fidem ſuã Papæ obſtringeret. atqui Paſchalis I. ait Littara, anno DCCCXVI. Pontificatũ inijt. Quo me deridendum meritò quiſpiam dixerit, qui cùm Meſſanenſis Archiepiſcopatus vetuſtiora monumenta perſequerer, ſeriò acurateque, ac multorum teſtimonijs probare contenderim, iam tùm à Rogerij Regis æuo Metropolim Meſſanam fuiſſe, quaſi magnum quippiam id ſit, cùm Panormitani ſuæ Metropolis vetuſtatem etiam inter ipſas Sarracenorum tenebras refulſiſſe doceant.

d cap. ſignificaſti de electio ne.

Habent ſanè Panormitani, quam gratiam Vincentio Littaræ debeant, qui omnium primus Paſchalis epiſtolam in lucem protraxit, vt deploratam Panormitani Primatus cauſam in ſpeciem fulciret. Sed ille ipſe inuenti artifex, opifexue, quòd infirmum ſatis, & exile futurum cognoſceret, ſi, quale per ſe ipſum erat, in medium protuliſſet, miris illud impoſturis, ac veluti faſcijs inuoluit, ne de facie detegi falſitas poſſet. præſenſit ſcilicet, epiſtolam illam nihil omninò profuturam in probanda Panormitanę Metropolis vetuſtate, ſi, quod re vera erat, Paſchalis II. nomine euulgaretur, quòd iſte anno M C I I. circiter vixerit, atque adeò longè poſt Gregorium VII. cuius paulò ante teſtimonium in eandem ſententiam laudauerat. Itaq; ab antiquiori

quiori Pontifice petendum iudicium cenſuit, quò titulos iſtos vetuſtatis nomine vendibiliores faceret, & Paſchali Primo epiſtolam affixit. cuius mendacij licentiam impunè ſibi futuram non malè exiſtimauit; quippe cùm nudum Paſchalis nomen epigraphe præferret, aptiſſimè, & primo, & ſecundo, & tertio, ſi quis fuiſſet, Paſchali adſcribi facillimè poterat. Verùm quia ibi Pontifex Regni Procerum, & Regum mentionem injicit, ne ex iſta coniectura quiſquam in eam ſuſpicionem veniret, authorem eius epiſtolæ neutiquam eſſe potuiſſe Paſchalem I. quòd eo Romanam Sedem obtinente Sicilia nondum Regio titulo cenſeretur, ſed Paſchalem II. Rogerio Regi coæuum; nouo, pulcherrimoque commento excogitauit, Pontificem ijs verbis de Siciliæ Præfectis ſenſiſſe, qui Conſtantinopolitani Cæſaris Vice Inſulæ tùm præerant, eoſque rectiſſimè Reges, & Regni Proceres eſſe appellatos, quòd Nicephoro teſte Conſtantini tempore Prouinciarum Rectores alij alia ſortiti ſunt nomina, magnæ verò Siciliæ Inſulæ Præſes Regis cognomen tulerit. Ingenioſum enimuerò, vti dicebam, commentum, quaſi veriſimile cuiquam videri poſſit, appellationem illam ab Conſtantini æuo ad annum vſque DCCCXVI. per ſexcentos ferè annos vſurpatam, & retentam eſſe? Certè Siciliæ Præfectum Prætoris nomen habuiſſe ſub Iuſtiniano Principe in Nouellis [a] lego. *Habeto*, inquit, *Sicilia Praetorem, & curam gerat militaris impenſae.* ſub Mauritio Præfectum dictum indicat Gregorij I. [b] epiſtola ad Libertinum Siciliæ Præfectum. Alibi quoque idem Gregorius [c] Prætorem appellat. Conſtantino verò, & Irene rerum potientibus Præſes dictus eſt, ſic enim de eo ſcribitur in Secũda Nicæna Synodo. [d] *Theodorus Dei amantiſsimus Epiſcopus Catanes dixit: Cùm ab imperio pijſsimorum Principum litterae ſacrae ad me miſſae fuiſſent ſimul cum Leone Preſbytero veſtrae ſanctitatis ſeruo, datum quoque eſt mandatum mihi à Prouinciae Siculae Praeſide, vt Romam proficiſcens orthodoxorum Imperatorum fidem, & rectam animi ſententiam Archiepiſcopo exponerem.* Nec tamen ſum neſcius hos ipſos Conſtantinum, & Irenem, quorum principatus in annum DCCLXXXV. incidit, in litteris ad Hadrianum I. [e] ſcriptis, quibus eum Synodi celebrandę cauſa Conſtantinopolim euocabāt, de Siciliæ Stratego meminiſſe: *Et ſuper hoc*, inquiunt, *Stratego Siciliae ſcripſimus, vt omnis requiei, & honoris veſtri curam habeat, quo veniat paterna veſtra Beatitudo ad nos.* Niſi verò quis locũ hunc ad Meſſanenſẽ Strategũ pertinere ſuſpicetur, ac de eo ſenſiſſe Imperatores, quã ſupremi Meſſanẽſiũ magiſtratꝰ antiquiſſimã eſſe, pluribus hic ꝓbare poſsẽ. Et vt vt id ſit, hoc certè veriſſimũ eſt, nullũ omninò Sicilię Prefectũ poſt Cõſtãti-

[a] Nouel. 104.

[b] lib. 2. Indict. XI. epiſt. 37.

[c] lib. 2. Indict. XI. epiſt. 60. & lib. 6. Ind. XV. ep. 19.

[d] Actione 2

[e] Anaſtaſiꝰ in præamb. Synod Nicænæ.

ni tempora Regis nomen prætuliſſe. Sed fuerint per me licet Reges appellati, tu quidem Littara, dum parua quadam veluti corporis declinatione Charibdim effugis, non tamen obtines, quin totus, quantus es, pronus, ac præceps in Scyllã ruas. Sciendum igitur eſt Siciliam in Sarracenorum poteſtatem veniſſe circa annum, vti cenſet Fazellus a DCCCXII. vel DCCCXX. vt Leoni b Oſtienſi placet. ac præſertim hoc ipſo anno DCCCXX. Panormum Sarracenis paruiſſe ex eodem Leone docet Baronius: c *Sed & hoc anno*, inquit, *qui & tertius incipit Apollinaris Caſinenſis Abbatis, author eſt Leo Oſtienſis in Chronico Caſinenſi Sarracenos inuaſiſſe Siciliam, atque potitos eſſe Panormo nobiliſsima ciuitate.* Fit hinc Paſchalis epiſtolam, quæ Regis, & regni Procerum meminerit, Paſchali I. tribui non poſſe, qui anno DCCCXVII. Pontifex renunciatus, anno DCCCXXIII. eſſe deſijt. Ecquis enim credat, Sarracenis, qui per ea tẽpora Inſulæ imperitabant, curæ fuiſſe Panormitanus Archiepiſcopus Romano Pontifici fidem iuramento, nec ne ſponderet? aut quis iure cenſeat, Paſchalẽ hoc ſedulò tota illa epiſtola conatũ, in idque vires ſuas intendiſſe citatis ex ſacris litteris Apoſtolorumque conſtitutionibus teſtimonijs, vt Sarracenorum Regi, ac Proceribus perſuaderet, rectè, & ex ordine Apoſtolicæ Sedis Apochryſiarios à Panormitano ſacramentum exegiſſe. Verùm idem Cardinalis Baronius d omnẽ nobis laborem eximit, & Littaræ impoſturam egregiè detegit. Ille enim anno MCII. qui tertius fuit Paſchalis II. diſertis verbis epiſtolam authori ſuo reſtituit, Paſchali nimirum Secundo. *Quam autem*, inquit, *audiſti fidei profeſsionem, exhibere eam tenebantur etiam cum iuramento Epiſcopi, & Archiepiſcopi, & omnes à quibus Romanus Pontifex exigere vellet. accidit autem ea occaſione, vt cùm accepturus pallium Panormitanus Archiepiſcopus ad idem iuramentum praeſtandum cogeretur ab Apochryſiarijs Sedis Apoſtolicae, & id facere detrectaret, eum Paſchalis Papa corripuerit, vt apparet ex Decretali ipſius ad eundem Archiepiſcopum data, quae ſic habet. Significaſti Reges, & regni Proceres.* Sed & alterius quoque in eandem ſententiam ſcriptæ epiſtolæ Baronius ibidem meminit, quam Paſchalis eodem tempore ad Archiepiſcopum Poloniæ ſcripſit. Et hæc quidem ſatis eſſe ad tollendam argumentationis eiuſce vim, nemo non videt. Satis etiam hoc vno exemplo apparet, quàm mala fide veterum Scriptorum monumenta, ac teſtimonia Littara in medium proferat. vt nihilò fidelior putandus ſit in recenſendis ijs Pontificum diplomatis, quæ Panormitani domi ſe habere prædicant, ſed ea qua mutila, & detruncata, qua auctiora pro re nata edidiſſe. nam ſi tantum perfricta illa fronte ſibi licuiſſe credidit in citandis ijs teſtimo-

a Decad.2.lib. 6.cap.1.
b lib.1.cap.21.
c tom.9. anno 820. num.14.
d tomo XI.

teſtimonijs, quæ publici iuris facta typis prodierant, quid non audebit iſta homo impudentia in priuatis, & manuſcriptis tabulis? Sanè ſi in hiſtoricis hiſce concertationibus integrum Scriptori eſſet, facili, & incurioſo Lectori imponere, quam procliue mihi eſſet, & ad manum docere Sarracenis quoque imperantibus manſiſſe apud Meſſanenſes Epiſcopalem dignitatem, quando in Leone Oſtienſi a legimus, Alexandrum II. plures Caſinenſes Monachos Eccleſijs præfeciſſe, interque illos Milonem Capuani monaſterij Præpoſitum Meſſanæ Epiſcopum datum. At non id Hiſtorici munus eſt, ſed Oratoris, ac ne quidem boni, & candidi Oratoris; ſed eius, qui modò deſperatam cauſam fulciat, penſi nihil habeat, veris, an falſis argumentis Iudicis aſſenſum extorqueat. quare quod bonum virum decet, Milonem iſtum non patriæ meæ aſſero, ſed vel Maſſanæ, vel Miſenati Eccleſiæ vltro conceſſerim.

a lib. 3. c. 71.

*Eamdem Paſchalis epiſtolam ad Polonienſem Archiepiſcopum ſcriptam fuiſſe euincitur.*

## CAPVT XVIII.

VErùm vt Panormitanis reliquam omnem ſpem præcludam, neque hanc illis ego laudem conceſſerim, quòd Paſchalis II. ætate Archiepiſcopum habuerint. Quod tùm ea quæ in ſequentibus dicturus ſum, clariſsimè euincent, tùm quæ ſtatim afferentur. Et ſi enim Raimundus epiſtolam hanc Secundi Paſchalis, quam Littara laudat, ad Panormitanum Epiſcopum ſcriptam crediderit, verior tamen eſt ſententia Antonij Auguſtini Cæſarauguſtani Archiepiſcopi eruditiſſimi, & de omni antiquitate benemeretiſſimi viri, & Antonij Cōtij b inter ſui temporis Iuriſcōſultos nemini ſecūdi, qui eius Decretalis vnicum hunc titulum annotant. *Paſchalis II. Polonienſi Archiepiſcopo*, idque ex peruetuſto Romano Codice probant, quamuis in Bracharenſi, *Colonienſi Archiepiſcopo*, legatur. Sic enim Auguſtinus ſcribit c in notis ad Collectionem Primam Decretalium: *Paſchalis Papa Palarm. Panormitano Archiepiſcopo Raimūdus, & Contius, qui in margine ſcribit:* Paſchalis Papa Toletano Achiepiſcopo. *Scribendum*, Paſchalis II. Polonienſi Archiepiſcopo. *ex Romano quodam libro*, Polonienſi *pro* Palarm. *eſt in veteri Tarraconenſi.* Paſchaſius Papa Colonienſi Archiepiſcopo, *in Barchinonenſi.* Quā ego Auguſtini ſententiam eò libentiùs, & totis, vt aiunt, manibus amplector, quod ſub finem epiſtolæ, quæ integra extat in Decretis Primæ Collectionis, ita lego. *Cùm igitur à Sede Apo-*

b In notis ad Decretales dicto cap. ſignificaſti.

c tit de electione cap. 21.

*ſtolica inſignia veſtrae dignitatis exigitis, quae à B. Petri tantùm corpore aſſumuntur, iuſtum eſt quoque, vt vos Apoſtolicae Sedi ſubiectionis debitae ſigna ſoluatis, quae vos cum B. Petro tamquã membra de membro habere, & Catholici capitis vnitatem ſeruare declarent. in quibus à praedeceſſoribus noſtris ea adhibita eſt moderatio, vt nihil iniurioſum, nihil difficile ſit appoſitum, quod non etiam preter exactionem noſtram debeat ab omnibus Epiſcopis obſeruari, qui ſub Apoſtolorum Petri, & Pauli obedientia decreuerint, & vnitate perſiſtere. Numquid non vltra vos Daci conſiſtunt? & tamen eorum Metropolitae & idem iuramentum aſſerunt, & Legatos Sedis Apoſtolicae honorificè tractant, & in ſuis neceſſitatibus adiuuant, & Apoſtolorum limina per Legatos ſuos non tantùm per triennium, ſed ſingulis annis viſitant.* Hactenus Paſchalis. At quis hic niſi in medio ſole cœcutiens clariora teſtimonia expectet pro confirmanda Auguſtini ſententia? nam quis vnquam vel ſomniando dixit, Dacos vltra Siculos eſſe? aut quis non iure Paſchalis ineptiam ridere, ac meritò debuiſſet, ſi cùm ad Panormitanum Epiſcopum ſcriberet, ei Dacos imitandos obijceret, quaſi vicinos, aut limitaneos populos? Atqui Daci Noruegij ſunt, & Dacia Gothia ipſa, vt ex Suetonio, Eutropio, Oroſio, & Iordane docet Ioannes Piccardus a in Notis ad Vuillelmum Neubrigenſem. Quid, quòd Regis, & Regni Procerum meminit? non igitur ad Panormitanum ſcribi epiſtola potuit, cum Paſchali II. Pontificatum tenente Sicilia ſolo Comitatus, non Regni titulo eſſet inſignis. quippe Rogerius Idibus Maij MCXXIX. Regium nomen inuito Romano Pontifice vſurpare primùm cepit, & ſi poſtea, vel Innocentij II. vti quidam ſcribunt, anno MCXXXIX. vel Anacleti non iuſti Pontificis beneficio, vt alij ſentiunt, anno MCXXX. eos titulos quæſierit. His addendum, quod in textu ipſo epiſtolæ, qualis in prima Collectione affertur ex Raimundo, Contio, & Auguſtino, his præter alia verbis Archiepiſcopum Paſchalis obiurgat. *Nonne praedeceſſor tuus damnauit Epiſcopum ſine conſcientia Romani Pontificis? quibus hoc canonibus, quibus Concilijs legitur eſſe permiſſum? quid ſuper Epiſcoporum translationibus loquar, quae apud vos non authoritate Apoſtolica, ſed nutu regio praeſumuntur?* Quae clauſulæ integræ, cum in Panormitanum Epiſcopum, in Rogerium Siciliæ Comitem quadrare nullo modo poſſint, in Polonienſes optimè, & ad fidem hiſtoricam referuntur. Conſtat enim ex Martino Chromero b Polonicarum rerum Scriptore diligentiſsimo, Boleslaum Primum ab Othone Imperatore Regni titulos iam inde ab anno DCCCCIC. obtinuiſſe. conſtat inſuper ex eiuſdẽ Authoris c hiſtoria Gneſnenſem, & Cracouienſem Eccleſias anno DCCCCLXV. Mi-

a Hiſt. Anglic. lib. 2. cap. 6.

b lib. 3.

ciſlai Ducis opera Archiepiſcopali dignitate auctas. tandem verò idem Author a ſcribit, ſub initia Boleslai Tertij, quæ in annum MC. circiter incurrit Gualtonem Sedis Apoſtolicæ Legatum in Poloniam miſſum facta flagitiorum inquiſitione duos Epiſcopos Gneſnenſis Prouinciæ Sedibus ſuis eieciſſe, quorum alterum Digloſſus antiquus Polonicæ hiſtoriæ author Ciaslaum Epiſcopum fuiſſe ſuſpicatur, qui Cracouienſem Sedem nulla Pontificis Romani authoritate fultus, ſolo permittente Boleslao Rege inuaſerat. Porrò quod Cardinalis Baronius duas agnoſcere videatur Paſchalis epiſtolas, ad Polonienſem Archiepiſcopum alteram, alteram verò ad Panormitanum, ijſdem omninò de rebus perſcriptas, vt ego quidem opinor, eam habuit erroris cauſam, quòd cùm in antiqua Collectione epiſtolæ titulum, *ad Palarm.* inſcriptum offendiſſet, alia item exemplaria, *ad Polonienſem,* haberent, haud multum illi curæ fuit, præſertim ad grauiora properanti, eas inſcriptiones adamuſſim expendere, vtra eſſet verior, ſed ſatis exiſtimauit ad diuerſas Codicum ſententias conciliandas, ſi duas admitteret epiſtolas eadem formula exaratas, alteram ad Polonienſem Archiepiſcopum, alteram ad Panormitanum. At cui tandem non vix credibile videatur, vel prodigij potius inſtar eſſe, eodem tempore in tàm longè diſſitis Prouincijs, Poloniæ, & Siciliæ Reges, Polonienſem itidem, & Panormitanum Archiepiſcopos cum Apochryſiarijs Romanæ Sedis ijſdem omninò de cauſis contentioſè diſceptaſſe, adeò, vt ſcribendæ ad ſingulos fuerint plures eiuſdẽ argumenti Decretales? Porrò vnas tãtùm in vna iſta controuerſia litteras Paſchalem ſcripſiſſe Spondanus indicat in Epitome Baroniana, & facile etiam cognoſci id poſſet, ſi exẽplum epiſtolæ, quam Baronius habuit ex Codice Vaticano Collectionis Cẽſuum cum illa cõferatur, quæ in veteri Collectione Decretalium poſita eſt, quam Baronius Raimundi fidem ſecutus ad Panormitanum datam exiſtimauit; vtraque enim Regum, & Regni Procerum meminit, vtraq; Dacorum exempla ingerit, & Epiſcoporum translationes reprehendit nutu regio factas.

Gregorij

*Gregorij VII. ad Archerium Panormitanum Archiepiſcopum epiſtola recitatur. Sarraceni occupatis prouincijs Epiſcopos omnes exterminarunt.*

## CAPVT XIX.

TErtio loco Panormitanorum patronus Littara Gregorij VII. Pontificis diploma profert, qui Archerio Panormitæ Archiepiſcopo ſcribens ( hanc enim epigraphen prædicant ) ita ait. *Quamobrem cariſsime Frater Archeri Panormitanam Eccleſiam, quae & quondam nobilis, & famoſa, poſtmodum peccatis exigentibus in Sarracenorum poteſtatem, perfidiamque reducta, nunc reuera ad Chriſtianam fidem labore, & inſtantia filij noſtri glorioſi Ducis Roberti, Domino operante, perducta eſt, te poſtulante priuilegio Apoſtolicae libertatis fulciri, nos tàm iuſtae petitionis intuitu, quàm etiam praefati Ducis amore, quem id ſcimus optare, & cupere, gratanter concedimus, tribuimus, atque elargimur, & Apoſtolica authoritate confirmamus eidem Eccleſiae, & per eam tibi quicquid dignitatis, & antiquitatis tenuiſſe probatur. item omnes eius Suffraganeos Epiſcopatus, vel ſi qui deſtructis illis in eorũ loco ſtatuti ſunt, vel opitulãte Domino ſtatuentur, vt in praefatae Eccleſiae tuae redeant poteſtatem. Item Fraternitati tuae pallij vſum ſecundum Eccleſiae tuae morem antiquum concedimus, &c. Datum Romae 16. Kal. Maij anno MLXXXIII. Pontificatus noſtri anno X. Indict. VI.*

Præclara enimuerò probatio. At primum hic animaduertamus licet, Panormitanã vrbem Sarracenis imperantibus Chriſtianam fidem cum Barbarorum ſuperſtitionibus commutaſſe. Id enim illa ſignificant, quæ Pontifex initio præfatur. *Praecipuè tamen oportere arbitramur, vt rudibus Eccleſiis, ſcilicet nouiter ad fidem venientibus, vel redeuntibus noſtri fauoris fiduciam, muniminis ſecuritatem proniùs indulgeamus, quatenus qui miſerante Domino perfidiae tenebras, & erroris laqueos euaſerunt eodem iuuante, &c.* Item illa. *Panormitanam Eccleſiam, quae quondam nobilis, & famoſa, poſtmodum peccatis exigentibus in Sarracenorum poteſtatem, perfidiamque redacta, nunc reuera ad Chriſtianam fidem conuerſa eſt, &c.*

Quò facilè animaduertimus, quanta adhibenda ſit fides Fazello, qui tàm magnificè iactat Panormitanam Eccleſiam dignitatem ſuam, vel ſub infando Sarracenorum dominatu in Nicodemo retinuiſſe. nam quis, obſecro, Archiepiſcopi vſus, ſi tota Ciuitas Mahometi nomen dederat? aut quàm verè Gregorius

gorius rudem Eccleſiam, & nouiter ad fidem venientẽ appellaſſet, ſi rè vera perpetua ad Nicodemum vſque fuit Epiſcoporum ſucceſſio, qui plebem Chriſtianis legibus inſtituerent, & in officio continerent? Aut quis credat Sarracenos impijſſimos Chriſtianæ religionis hoſtes in eorũ Sede regia Panormo Chriſtianis permiſiſſe, vt Epiſcopis morte ſublatis, in horũ locũ alij ſubrogarentur, per quos Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæteríque inferiorum ordinum Clerici deſignarentur, quod ne ipſi quidem Hæretici [a] Catholicis integrum eſſe paſſi ſunt, quo ſumma in Eccleſijs vaſtitas ſequeretur. Sanè ego nullo modo adduci poſſum, vt credam, Sarracenos Siculos mitiori in Chriſtianam rempublicam animo fuiſſe, quam qui Hiſpanias occuparunt, quos tamen neque Toleti, neque Tarraconæ, maximis nimirum eius Prouinciæ vrbibus, vllam Chriſtiani Pontificij dignitatem permiſiſſe Vrbanus II. teſtatur litteris ad Bernardum Toletanum, & Berengarium datis anno MLXXXVIII. & MXCI. quarum integra exempla apud Baronium [b] habes. Idẽ in Antiochena Eccleſia factum ex Theophane [c] conſtat; prohibuiſſe nimirum Arabes, per quadraginta totos annos, quibus rerum potiti ſunt, Patriarcham eligi, & de Bracharenſi, Viennenſi, & Arelatenſi ſimilia omninò habent Addo, [d] Æmilius, [e] Baronius. [f]

a Sidon. Apol. lib. 7. ep. 6. Vict. Vticeſ. in Chronico & de perſec. Vandalica. lib. 1.
b tom. 11. pag. 607. & 628.
c In Conſtantino Copronimo.
d In ſexta ætate anno 747.
e In Childerico III. Stupido, & Seuertius hiſtor. Lugdun. part. 1. pag. 52.
f tom. 12. pag. 154. Mariana Hiſtor. Hiſpan lib. X. cap. 13.

## *Sarracenis imperantibus nullos fuiſſe in Sicilia Epiſcopos latiùs demonſtratum.*

## CAPVT XX.

SEd ſatius fuerit ad hanc ſententiam confirmandam domeſtica teſtimonia petere, cùm abundè ſuppetant. Extat Gregorij VII. ad Rogerium Comitẽ epiſtola, in qua poſt multa ita ſubdit: *De caetero quia Traianenſem Electum à nobis conſecrari poſtulas, licet electioni eius hoc defuerit, quòd Legatus Sedis Apoſtolicae, & conſenſus noſter non affuit; tamen monentes, ne de futuro id fiat, tuae dilectionis, ipſiusque perſonae laudabili teſtimonio ad praeſens annuimus, vt veniens Deo fauente per nos conſacretur.* Vt facilè inde colligas, cùm nullus tùm eſſet in Prouincia Epiſcopus, qui Robertum noſtrum conſecraret, neceſſariò Romam fuiſſe euocandum. datas autem eſſe eas litteras anno circiter MLXXXI. epiſtolæ Octaui, & Vndecimi Libri indicant, quarum illas anno MLXXX. Indict. III. has MLXXXII. ſcriptas conſtat. Extant Alexandri III. litteræ datæ VII. Kalend. Auguſti, IX. Pontificatus anno,

qui

qui eſt MDCLXVIII. in quibus cùm pallij geſtandi prærogatiua Catanenſem Eccleſiam donaret, ita præfatur. *Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Ioanni Catanenſi Epiſcopo, & Abbati, eiuſque ſucceſſoribus canonicè inſtituendis in perpetuum. Sicut Beatiſsimi Patris, & Doctoris elegantiſsimi Gregorij Primi ſcriptis edocemur, conſtat Eccleſiae Catanenſis, vbi Beata Agatha, & orta, & paſſa eſt, ciuitatem Epiſcopalis dignitatis antiquitus gloria floruiſſe. Capta autem à Sarracenorum populis Siciliae Inſula, & per alias vniuerſae Prouinciae ciuitates Epiſcopalis gloria perijt, & Chriſtianae fidei dignitas poſt annos ferè trecentos diuina populum ſuum reſpiciente clementia per sereniſsimum Comitem Rogerium in eadem eſt Inſula reſtituta*. Vides hic diſertis verbis Pontificem teſtari, Sarracenos tota Inſula Epiſcopos eieciſſe; vt nullus iam perfugij locus Gaufrido Malaterræ commentitio in parte hac Scriptori reliquus ſit, qua Nicodemũ ad Normannos vſque Panormitanæ Eccleſiæ Præfecturam tenuiſſe ſcribit. Quibus etiam adſtipulatur, quod ex Lanfranco Cantuarienſi [a] didicimus Humbertum Tullenſem, poſtea Syluæ candidæ Epiſcopum, è Lotharingia Romam à Leone Papa Nono allectum, mox etiam ad prædicandum Siculis Euangelium Archiepiſcopum eſſe ordinatum. quo tùm illud apertiſſimè conficitur ea tempeſtate (vixit autem Leo circa annũ MLIV.) totam omninò Catholicam fidem in Sicilia friguiſſe, tùm illud quoque, nullos fuiſſe in Prouincia Epiſcopos, qui populos ad capeſſendam religionem excitare poſſent. quippe neutiquam externi hominis Lotharingi induſtria erat opus, ſi vel Nicodemus, vel quiuis alius Epiſcopus reliquus extitiſſet. Porrò verò, ſi ſapimus, vnum hoc Lanfranci teſtimonium laruato iſti Nicodemo perſonam detrahit. nam ſi vna tantùm eo ſæculo fuit Metropolitana Eccleſia in vniuerſa Inſula, falſum deprehendetur, quod de Nicodemo prædicant. neq; enim vnius Panormitanę Eccleſiæ duo Antiſtites eodem tempore eſſe potuiſſent. ſin verò duæ erant Metropoles, neceſſe eſt fateri, Humbertum, aut Meſſanæ, aut Syracuſis Archiepiſcopum eſſe conſtitutum. nihil igitur Panormitana vrbs habebat, quod non, vel Syracuſanæ, vel Meſſanenſi eſſet commune. ſanè hunc ipſum Humbertum Michael Cerularius Conſtantinopolitanus Patriarcha [b] in epiſtola ad Petrum Antiochenum nomine tantùm Archiepiſcopum vocat, re verò alienum, cùm nulli vnquam Metropoli præfuiſſe reperiatur, eodemq; ſenſu Baronius [c] Petrum Damianum explicat, qui ad Nicolaum Pontificem ſcribens Humbertum Archiepiſcopum appellarat. quo conijcias, illum electum quidem Archiepiſcopum Siculæ alicuius Eccleſiæ, ſed ob Sarracenorum tyrannidem prohibitum fuiſſe, quò minus

[a] In Commentario aduerſus Berengar. tom. 6. Bibliotecæ SS. PP. Margariti.

[b] Apud Baronium tom. XI. pag. 209.

[c] anno 1055. pag. 221.

minus munere ſuo re vera fungeretur. Sed nihil æquè euicerit hoc ipſum, quod inquirimus, quàm nobilis quædam epiſtola Theodoſij Monachi de Syracuſarum excidio, ſub ipſum rerum geſtarum tempus ad Leonem Archidiaconum ſcripta. deſcripſit eam ex M. S. Græco Codice Bibliothecæ inſignis Monaſterij S. Saluatoris Meſſanæ, & Latinitate donauit Ioſaphat Baſilij Magni Monachus, in Meſſanenſi Academia olim Græcè linguæ profeſſor. Sic autem poſt captæ, exciſæque vrbis deplorationem narrare pergit. *Et poſthaec omnia iter ad ciuitatem Panormum fecimus, quò abſoluto ſex dierum itinere animalibus onerarijs insidentes, crudeles Aethiopas adductores habētes afflicti aeſtu diei, & algore noctis eramus. Septimo autem die, cùm tota quoque nocte iter fecisſemus, peruenimus iam ad populoſam ciuitatem Panormum, omnibus introeuntibus nobis ex gente Barbara prodeuntibus, & acclamantibus victoriae praemia, & ingreſſui ſpoliorum quàm plurimas laudes cantantibus. Poſthaec videndi Amirae maiori miſsi fuimus. hic autem erat in loco quodam ſedens valdè magnificè, & tyrannico Principatu tumeſcens, & caput extra feneſtram, tamquam aliquod veſtimentum emiſit. Stare itaque pedibus cùm fecisſent ſerui Pontificem* ( Syracuſanum Epiſcopum, quem Caetanus Sophronium appellat) *in medio noſtri ante faciem eius, dicit ille per ſuum interpretem*: Facis ne tù noſtram orationem? Non, *dicit ſapiens Praeſul.* Quare? *inquit ille. hic verò:* Quia Pontifex ſum ego Chriſti, & eius ſacrorum adminiſtratorij ſacramenti myſtagogus, de quo multi Prophetæ, & iuſti prophetizarunt. *At ille,* nonne etiam apud nos ſunt Prophetæ? *Hic verò,* nomine apud vos ſunt Prophetæ, non tamen prædicationibus, & via recta: circum enim ambulant impij. *Et ille,* Quid igitur blaſphemijs noſtrum Prophetam afficitis vos. *Et hic,* Non blaſphemijs Prophetas afficimus nos Pontifices, quia non aduerſus Prophetas, ſed ſuper Prophetas loqui docti ſumus. Prophetam verò veſtrum non cognoſcimus. *His auditis iratus ad carcerem nos omnes quàm citiùs adduci iuſsit. & quidem ducebamur per plateam plurimis Chriſtianorum inſequentibus, & amare flentibus. Et quidē etiam ipſi Sarraceni circumdabant nos, & impellebāt, vt viderent, quis nam eſſet celebris Siciliae Epiſcopus. ſic igitur per populum à Lictoribus ducti detruſi fuimus in carcerem. hic erat locus quatuordecim paſsibus in terra profundus, cuius portula parui foraminis inſtar erat, & quod intus totum tenebrae, neque vllus ſplendor videri poterat, nisi ignis, quoniam fieri non poterat, vt radium Solis videre poſſet, ſed aeſtu refertus omnium, qui ibi erant, anhelationibus, ita vt vſta corpuſcula noſtra penitus eſſent. Erant autem nobiſcum incluſi, & colloquentes Aethiopes, Tarſes, Arabes, Longobardi,*

*gobardi, & noſtri Chriſtiani vi adducti è diuerſis Prouinciis, & Regionibus, in quibus erat etiam ſanctiſsimus Epiſcopus Melitae, viriſque pedibus catenis ligatus. Hi duo Pontifices ſancto oſculo oſculati inuicem, cum aliquantulum fierent huiuſmodi infortunium, Dominoque gratias agerent, propter ea, quae ſibi acciderunt, philoſophico ſermone calamitatem ſuperarunt. In his cùm nos eſſemus, dies deteſtandi ſacrificij acceſsit, in quo dicunt ſe commemorationem facere ſacrificij Abrahae. hoc die itaque conſiderarunt, o dementiam, ſacrificare Pontificem, & malis demonibus Chriſti Pontificem offerre. huius conſilij fuit author quidam ex illa barbara gente. Princeps os proprium ſepulturam habens apertam.* Iuſtum, o vos, eſt, *inquiens,* Chriſtianorum Pontificem pro noſtra proſperitate hoc illuſtri die Paſchatis noſtri, & peregrinos interficere; hoc enim modo res proſperè nobis euenient, & ad maiorem, melioremque proceſſum progredientur. *Quae cum Senes aetate audiuiſſent, non annuerunt,* nequaquam, *dicentes,* fas eſt nobis id facere. ſatis eſt enim in illuſtriſſimi huius diei lætitia noſtra contra Syracuſas victoria. *Et hoc modo Dei auxilio depulimus conſilium peſsimũ contra noſtrum Paſtorem. Ex quo vſq; adhuc hic permanemus cõprehenſi afflictionibus, & mortem expectantes, quam nobis captiuis ſemper meditantur hoſtes. Tu autem o amicum ſacrum, & reuerendum caput memento tui Theodoſij, ſiqua tibi adhuc ineſt erga me beneuolentia, & nobis Numen redde propitium, vt alleuet, periculumque, in quo ſumus, ceſſare faciat, & ſicut torrens in Auſtro conuertat captiuitatem noſtram ſecundum Prophetam, & Regem,* Hæc Theodoſius.

Nec profectò piguit, tam longam epiſtolam recitare, quippe quæ non exiguo nobis vſui futura ſit. Vides enim hinc primùm anno DCCCLXXVIII. vnum in tota Inſula Sicilia ſuperfuiſſe Syracuſanum Epiſcopum, quem proinde Author *celebrem Siciliae Epiſcopum, Pontificem Chriſtianorum* à Sarracenis apellatum tradit. Vides Barbaros, cùm ad Amiram Pontifex captiuus duceretur, ſpectaculo accurriſſe, & quaſi inſolentem, & numquam antea viſam rem Chriſtianorum Antiſtitem cupidè inſpicere voluiſſe. Vides pro eo, quo tenebantur excindendæ penitus Chriſtianæ religionis deſiderio, de Syracuſano, & Melitenſi Epiſcopis immaniter occidendis conſilium jnijſſe. Tandem verò Panormitanam vrbem, quanta quanta erat, ſolis Sarracenis frequentatam, vnos modò captiuos Chriſtianos excipias carceribus aſſeruatos. Quòd ſi illi intra ſexaginta proximos ab occupata ciuitate annos Panormitanam Eccleſiam tam inſigni clade affecere, quid tandem factum putabimus poſt trecentos ferè annos? vt planè dubitandum non ſit, in tàm diuturno tempore allectis, ſi qui ſuperfuerant, Chriſtianis, & ad eiuran-

eiurandam fidem, quà præmiorum ſpe, quà pænarum metu in-ductis, ipſa præterea Sarracenorum conſuetudine impellente, quæ magnam quoque vim habet in emolliendis, & inflectendis hominum animis, nullos omninò ſuperſtites fuiſſe Chriſtianos, cùm à Normannis Fratribus Panormus ad deditionem compulſa eſt. Nec mihi hic reponat aliquis, negari, niſi impudenter vix poſſe, occupata à Sarracenis Inſula, manſiſſe tamen Epiſcopos; cùm ſuo loco dictum ſit, Nicolao I. Pontifice Maximo, & Michaele III. Conſtantinopolitano Imperatore vixiſſe Gregorium Syracuſanum, & Syracuſani Præſulis conſecrationem ad Romanam Sedem pertinere Nicolaus teſtatus ſit: cùm inſuper conſtet, inter quatuor Epiſcopos, quos in cauſa Photij Conſtantinopolitani Patriarchæ Legatos ad Nicolaum miſit Michael Imperator, tertium numerari Zacchariam, quē Anaſtaſius Bibliothecarius [a] Tauromenitanum Antiſtitem fuiſſe ſcribit. quibus addi poſſet, quod anno DCCCLXVIII. Theodorus Syracuſanæ Eccleſiæ præfuiſſe legitur, Gregorio nimirum in Concilio depoſito ſuffectus, vt ex Nicolai [b] ad Michaelem litteris eo anno ſcriptis colligi poteſt, in quibus Imperatori permittit Pontifex, vt adiudicata Ignatio cauſa iterum Romæ iudicetur, certoſque ex vtraque parte Epiſcopos Romam mitti iubet; pro Ignatio quidem Antonium Cizici, Baſilium Theſſalonicæ, Conſtantinum Lariſſæ, Theodorum Syracuſarum, Metrophanem Smyrnæ, & Paulum PontoHeracleæ, pro Photio verò Syracuſanum Gregorium, & quotquot alios vellet Epiſcopos. Facilis enim eſt reſpōdendi ratio, Panormum quidem, & pleraſque alias vrbes anno DCCCXII. vel DCCCXX. Sarracenis deditionem feciſſe, Tauromenium verò, & Syracuſas, neque ad deditionem cogi, neque per vim expugnari potuiſſe, poſt Conſtantinū Porphyrogennetam. [c] & Curopalatem ſcribit Fazellus. [d] quin & Syracuſas legimus non ante annum DCCCLXXVIII. longa obſidione debellatas à Barbaris exciſas fuiſſe, ac tùm demum illos tota Sicilia potitos. quo veriſimiliter credimus factum eſſe, vt Tauromenij, & Syracuſarum Epiſcopi ad hæc vſque tempora, ſaluis ſcilicet etiamnum eorum ciuitatibus, ſuperſtites fuerint, poſt verò cùm eæ quoq; vrbes Sarracenis ceſſiſſent, itidem vt & in reliqua Prouincia eſſe deſierint.

[a] In Notis ad Octauam Synodum Act. 2.

[b] Epiſt. 8.

[c] Decad. 2. lib. 6. pag. 410.

[d] to. 10. anno 878. num. 43.

*Laudata Gregorij VII. epiſtola, quid iuris Panormitanæ Eccleſiæ tribuerit, expenditur. Et non niſi ab Hadriano eſſe Metropolim factam.*

## CAPVT XXI.

SEd vt reliqua Gregorianæ epiſtolæ verba percurram, illud præterea accedit, quòd non niſi exemptionem, ac libertatem quæſiſſe Archerius videtur. Sic enim habent diplomatis verba: *priuilegio Apoſtolicę libertatis fulciri*: quæ ex formulis exemptionum deprompta eſſe, clariſſimè cõſtabit ex c. cùm olim 2. §. nos verò de priuilegijs. ibi, *ab omnium poteſtate liberi Romanae Eccleſiae libertatis gratia potirentur*. Quod exemptionis genus Gregorij VII. ætate receptum illa indicant eiuſdem Gregorij ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum: [a] *An ignoras, quòd Summi Pontifices plerumque & religioſa Monaſteria de ſubiectione Epiſcoporum, & Epiſcopatus de Parochia Metropolitanae Sedis propter infeſtationem Praeſidentiũ diuiſerunt, & perpetua libertate donantes, Apoſtolicae Sedi, veluti principalia capiti ſuo membra, adhaerere ſanxerunt?* quamuis id quoq; monuiſſe ſuperfluum videri poſſet, quando & vetuſtiori Gregorij I. æuo cognitas fuiſſe eiuſmodi exemptiones liquidò ex eius epiſtolis [b] probatur. Manifeſtum igitur eſt, ante annum MLXXXIII. Panormitanam Eccleſiam Metropolitanæ cuipiam paruiſſe, poſt verò Gregorij VII. beneficio Sedis Apoſtolicæ iuris immediati, vt noſtri loquuntur, factam. id enim exemptionis priuilegio agitur, vt ab aliena poteſtate, imperioque quis liberetur, neq; alium iudicem præter Romanum Pontificem agnoſcat. Porrò eam potiſſimùm ob cauſam ſuſpecta mihi videtur altera huiuſce reſcripti pars, quæ Panormitano Suffraganeos tribuit, quod ſanè perabſurdum eſſe quis non videt. nam ſi hoc tempore Panormitana Sedes Metropolis erat, quò libertatis, & exemptionis munus ab Romano Põtifice expreſſim petere, cũ Prouincię caput, ac mater eſſet? certè ne fruſtra libertatem poſtulaſſe videatur, fatendum erit, eam vel Epiſcopali ſolùm Cathedra auctam, vel, ſi Metropolis dignitatem concedimus, alterius Archiepiſcopalis Sedis, quam primam Metropolim dicemus, iuriſdictioni ſubiectam fuiſſe oportebit. Niſi cui magis placeat, id iſtiuſmodi exemptione factum eſſe, vt cùm Romanus Pontifex id temporis præter eos, qui proximarum vrbi Eccleſiarũ Epiſcopi Cardinales eſſent, haberet etiam in reliquis Italiæ prouincijs alios ſexaginta numero

[a] Lib. 2. ep. 69.

[b] lib. 2. Ind. X. ep. 37.

numero Antiſtites, qui [a] Suffraganei dicerentur, nulli, aut Primati, aut Metropolitano ſubiecti, & obnoxij, ex his vnum Panormitanum Antiſtitem Gregorius eſſe iuſſerit.

Quid ſi poſtea negem vllos Eccleſię Panormitanæ Suffraganeos hoc diplomate tribui? neque enim Pontifex certos illi, ac deſignatos Epiſcopos ſubijcit, certamue Prouinciam, ſed confirmat ſolum omnes eius Suffraganeos, ſi qui fuere olim, vel in eorum locum alij ſucceſſere, nec poſitiuè, ſed conditionaliter Pontifex loquitur, vt proprijs diſciplinæ verbis vtar. Nulli igitur verè tunc Epiſcopatus erant, qui Panormitano ſuffragarentur. alioqui ſuis eos Gregorius nominibus expreſſiſſet, quod in ſimilibus exemptionum formulis Veteres vſurpaſſe facilè deprehendet, quiſquis Eccleſiaſticas antiquitates aliquando volutarit. Nam, vt horum temporum exempla ſumam, [b] Clemens II. diplomate dato ad Ioannem Salernitanum Archiepiſcopum anno MXLVII. ſingulos eius Suffraganeos recenſet; Idem facit Alexander II. cùm Eccleſiam Diocliensem Metropolis dignitate auget [c] anno MLXII. Idem Vrbanus II. in Toletana, [d] Barenſi, Tarraconenſi anno MLXXXVIII. MLXXXIX. & MXCI. Calixtus quoque II. anno MCXXIII. diſtinctè enumerat Epiſcopales Sedes, quas ſe ex integro poſt eiectos Sarracenos Bracharenſi reſtituere teſtatur. [e] eumdem morem indicant tabulæ Rauennates, Viennenſes, & Arelatenſes, quas Rubeus, [f] Baronius, Ioannes Boſcho [g] locis ante à me laudatis integras proferunt.

Sed rectius fuerit Fazellum integerrimum nempe teſtem, & in quem nihil dicere poſſit inuidia, hic ſtatuere, qui iſtā ipſam diplomatis partem, quæ Suffraganeorum meminit ſatis apertè falſitatis conuincit, cùm Metropolis dignitatem, Suffraganeos Epiſcopos, atque ideò Prouinciæ formam multò poſt Gregorium Panormitanæ vrbi obtigiſſe ſcribit. verba hæc ſunt: *Hadrianus quoque huius nominis Quartus Romanus Pontifex Eccleſiam Panormitanam, tempore, quo Hugo Panormitanae praeſidebat Eccleſiae, in omni Sicilia his verbis inſtituit.* Quis in paucu lis hiſce verbis non videt Gregoriano iſti reſcripto Fazelli ope, & induſtria fidem omnem eſſe abrogatam? nam qua ratione hæc ſibi cohærere poſſunt, vt Panormitanus Antiſtes anno MLXXXIII. Archiepiſcopus audierit, Prouinciam, Suffraganeos habuerit, ſi anno MCLIV. ab Hadriano primùm hæc ipſa ornamenta impetrauit? Sed præſto erit aliquis qui Fazello in ſalebris hæſitanti opem ferat. ſcilicet, inquiet, Fazellū haud quidē ſenſiſſe Panormum ab Hadriano primū Metropolim cōſtitutam; id enim à Gregorio VII. multò ante obtinuerat: ſed Siciliæ totius Metropolim Hadriani munere factam eſſe, quod & his

[a] Cod. M.S. Vatica. apud Baroniū anno 1057.

[b] Baron. tom. XI. Pag. 156.

[c] Ibid pag 326

[d] Ibid pag 607 613. & 628.

[e] tom. 12. pag. 154.

[f] in Hiſt. Rauennat.

[g] In Antiquitat. Viennenſis Eccleſiæ.

his verbis Littara innuit: *Hadriano mandante caeterę Siculorum Eccleſiae Panormitanam iure Matrem ſuam, ac Principem agnouere.* Prodeant igitur in medium Hadriani tabulæ, quales tùm apud Fazellum, tùm apud Littaram leguntur, & in Panormitanæ Eccleſiæ Archiuio aſſeruantur. *Hadrianus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei dilectis filijs Agrigentino, Mazarienſi, & Melitenſi Epiſcopis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ne in aliqua Prouincia fidelibus Chriſtianis ſacrorum miniſteriorum plenitudo deeſſet, ſanctorum Patrum ſanxit authoritas, vt in ſingulis Prouincijs aliqua Metropolis haberetur, quae ex diſpenſatione regiminis, & officij authoritate praeſideret. Si quidem nos prouinciae Siciliae id deeſſe videntes, Panormitanam ciuitatem, quae ſolo nomine vſque modò Metropolis habebatur, in plenitudinem dignitatis Metropolim duximus ſtatuendam, & ciuitates veſtras ei Metropolitico iure perpetuis temporibus ſtatuimus ſubiacere. Quocirca per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus Venerabili Fratri noſtro Hugoni eiuſdem loci Archiepiſcopo, ſicut Metropolitano veſtro humiliter pareatis, & honorem, & reuerentiam ei ſtudeatis iugiter exhibere. Datum Beneuenti VII. Idus Iulij MCLIV.* At vides hic inquam Fazelle, vides Littara, Primatum, quem Panormitanæ in omnes Siculas Eccleſias vindicatis, & Metropoliticum honorem vix quartam Inſulæ partem complecti, nempe ſolis Agrigentina, & Mazarienſi Diœceſibus tota concluditur. Vides Panormitanam Sedem vſque ad Hadriani IV. tempora ſolo nomine Metropolim eſſe dictam. Quid ita? an quia, cùm exemptus à Metropolitæ ſui iuriſdictione eſſet, quidā veluti Metropolitanus videretur, vt Metenſi quoque Epiſcopo accidit, quem ob pallij ius, & nonnulla quædam alia priuilegia Archiepiſcopū appellatum [a] legimus? Solo tamen nomine, inquit Hadrianus. quia nulli tum erant Epiſcopi, qui Panormitano Suffraganeorum vice ſubijcerentur. Niſi illud alicui magis arriſerit, Hadrianum ad Chalcedonenſis Concilij [b] decreta reſpexiſſe, cuius hæc ſunt verba. *Peruenit ad nos, quod quidam praeter Eccleſiaſticas ordinationes, affectantes potentiam, per pragmaticum ſacrum vnam Prouinciam in duas diuidant, ita vt ex hoc inueniantur duo Metropolitani in vna, eademque Prouincia eſſe. Statuit ergò ſancta Synodus, deinceps nil tale attentari à quolibet Epiſcopo. eos verò, qui tale aliquid attentauerint, cadere de proprio gradu. Si quae verò antea ciuitates per pragmaticam Imperialem Metropolitani nominis honore decoratae ſunt, nomine ſolo perfruantur, & qui Eccleſiam eius regit, Epiſcopus, priuilegio Metropolitano Epiſcopo iure proprio reſeruato.* Scilicet veriſimile eſt, Panormitanos Meſſanenſis Eccleſiæ æmulatores, quò faciliùs ab Hadriano Prouinciam

a Paulus Vuarnefrid. lib 6. c. 16. & Anaſtaſ. in Vita Sergij II. Baroni' anno 844. n. 7. & anno 863. n. 63.

b Act. 14. Can. 12.

etiam, & Metropolis iura conſequerentur, illa Principum diplomata oſtentaſſe, quibus, ſi vera tamen fert Fazellus, Panormitanam ciuitatem Primam Sedem, & Regni caput, atque adeò Metropolim ſalutant. Pontificem verò, ne quid de ſuo iure in his conferendis Eccleſiarum dignitatibus laicis concedere videretur, neue in exemplum trahi poſſet, ſi illorũ authoritatem, & veluti præiudicium ſecutus ipſe eſſet, Concilij ſanctionem ſartam, tectamque retinere voluiſſe, vt propterea dixerit, ex collato à Regibus Metropolis titulo ſolo nomine Metropolim hactenus fuiſſe, adeòque Panormitani intelligerẽt, quicquid nõ ab Romano Põtifice, ſed à malo authore emiſſent, diutius obtineri nõ poſſe. Porrò huic Hadriani teſtimonio adſtipulatur etiam vetuſtum, ac nobile Epitaphium ipſius Hugonis Archiepiſcopi ſepulchro adſcriptum. in hæc verba: *Hugo Praeſul primus. ſanctam Chriſtinam exaltauit.* haud dubium, quin primum fuiſſe Panormitanum Archiepiſcopum ſignificet, vt & illud quoq; exploratiſſimum eſt, eum Hugonẽ hunc eſſe, qui ab Hadriano Metropolitani nomine honeſtatus eſt, ſi Fazello [a] credimus vetuſtiorum Præſulum catalogum texenti, qui Panormitanam Eccleſiam rexere. ſcilicet breuiſſimo hoc elogio ab duplici re geſta laudare Author Hugonem voluit, quòd omnium primus Archiepiſcopalem dignitatem in Eccleſiam intulerit, & quòd eximiæ Martyris Chriſtinæ ſacris reliquijs inuectis eamdem locupletarit. Et ſi verò nominum hic ordo eò quandoque pertineat, vt confuſionem tollat, quæ inter eiuſdem nominis Epiſcopos oriri potuiſſet, quod alibi demonſtrauimus, id tamen in ſpecie iſta locum habere vix poteſt, tùm quia hæc primi Præſulis appellatio veriſſimè in Hugonem quadrat, quem Hadriani permiſſu primum inter Panormitanos Antiſtites eo honore auctum conſtat, tùm quia antiqua illa tabula Hugonem Præſulem primum appellat, non verò Hugonem primum Præſulem. atqui ſic ego ſentio plurimùm inter has formulas diſtare, quippe cùm dicimus, Hugo primus Præſul, media illa vox commodè, ac ſua ſponte ad vtramque extremam referri poteſt; contra verò, ſi dixerim, Hugo Præſul primus, nimiò durus fuerim, ſi contendam poſtremam eam dictionem poſſe cum remotiori conſentire.

[a] In Indice Eccleſ. Sicil. Dec. 2. lib. 10. cap. vltimo.

## *Archiepiſcopi, ac Metropolitani nudo nomine non Græcis modò, ſed & Latinis cogniti. & qui eiuſmodi titulo cenſerentur:*

## CAPVT XXII.

AC ne cuipiam nouum, atque inſolens videatur, ciuitatem aliquam ſolo nomine Metropolitanam dici; ſciendum eſt, id quidem receptum eſſe, fracto prope, ac debilitato Imperio. nam qui nullis Epiſcopis præpoſiti cæteros eiuſdē Prouincię Antiſtites ſolo honore antecedebāt, Archiepiſcopos, & Metropolitanos dictos probat Berterius [a] ex Balſamone præſertim in reſponſo de Patriarchis: *Gothiae quidem Antiſtes*, ait ille, *non propterea vocatur Archiepiſcopus, quòd Epiſcoporum princeps ſit, & ordinator; ſed quòd primus Epiſcopus. quippe à ſanctis Patribus ſancitum eſt, vt Dioeceſes, in quibus ſunt vrbes ſub Epiſcoporum gubernatione conſtitutae à Metropolitanis regantur, quos etiā ipsi Canones Primos appellant: quae verò ciuitates quidem attributas non habent, quibus praeſint Epiſcopi, ab Archiepiſcopis adminiſtrentur, ita vt hae quidem cedant Metropolibus, ſed Epiſcopatibus praeſint.* Quae Balſamonis ſententia ex eo etiam confirmatur, quod de Toloſa legimus, [b] eam & ſi iam inde ab Arelatenſi I. Synodo Metropolis ſit appellata, nullos tamen Suffraganeos habuiſſe, priuſquàm ab Ioanne XXII. longiſſimo poſt interuallo Prouinciæ ius obtinuiſſet. Idemq; de Roſſanenſi Archiepiſcopatu obſeruare eſt, cuius adminiſtrationi nullas creditas eſſe inferiores Eccleſias, [c] peruulgatum eſt. vt vel hinc appareat morem hunc apud Orientis Sedes primò conſuetudine receptum, in Occidente quoq; tandem fuiſſe vſurpatum. Sed præſtat magis Conſaluum Pontium audire doctiſſimum, & eruditiſſimum hominem hac de re differentem in notis ad Theophanem [d] Nicænum Archiepiſcopum; *Id verò*, inquit, *hic obſeruatione dignum, duobus modis ciuitatis alicuius Epiſcopum Metropolitam olim vocatum, primò cùm eius erat vrbis Praeſul, quae antiquis canonibus, & Eccleſiae conſuetudine Metropoleos ius quoad Eccleſiaſtica, ſacraque habebat. Secundò cùm ei ciuitati praeerat, quae ab Imperatoribus Metropolis quantùm ad ciuilia facta erat. Primo caſu Metropolita Eccleſiaſtica priuilegia omnia, praerogatiuaſque conſeruabat, ſecundo nomen tantùm, & honorem, caetera Metropolitae vero ſubiacens, vt expreſſe decretum eſt in Canone XII. Concilij Chalcedonenſis, & cōſultus hac de re Innocentius I.* reſpondit

a Diatrib. 2. c. 8. pag. 151.

b Berter. Diatrib. 2. c. 4 pag. 196.

c Prouinciale omnium Eccl. Azor. Inſtitut. Moral. p. 2. lib. 2. cap 33.

d In notis ad epiſt. 2.

*reſpondit ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, Leo IX. ad Petrum, & Ioannem Africanos. & verò, vt de alijs dicere omittamus, noſtrum Nicaenum Epiſcopum* (Theophanem) *honore tantùm, & nomine Metropolitam fuiſſe conſtat ex Concilij Chalcedonensis Act. XIII. in qua agitata eſt de Primatu contentio inter Eunomium Nicomedienſem, & Anaſtasium Nicaenum. nam hic fultus Valentiniani, & Valentis litteris, quibus Nicaenae ciuitati conferebatur priuilegium, vt eſſet Metropolis, vſurpabat ſibi Metropolitae Bithyniae functiones, ille autem allegabat pro ſe ve teres Eccleſiae Canones, & conſuetudines. tandem ita decernitur. Authoritatem quidem Metropolitani inter Eccleſias Prouinciae, Bithyniae Nicomedienſis habeat Reuerendus Antiſtes, habente Nicaeno honorem Metropolitani tantummodo, ſubiacente autem ad exemplum aliorum Epiſcoporum Nicomedienſi. Simili etiam honore, nempe quantum ad nomen, Chalcedonenſem Eccleſiam in eadem Bithynia donauit Marcianus Imperator, vt ex eiuſdem Cōcilii Act. VI. conſtat iis verbis. Ad honorem S. Euphemiae, & veſtrae pariter Sanctitatis, Chalcedonenſium ciuitatem, in qua ſanctae fidei Concilium geſtum eſt, Metropolis priuilegia habere decernimus nomine tantùm hanc honorantes, ſalua videlicet Nicomedienſium ciuitati propria dignitate.* Hæc Conſaluus. quibus ſimilia penè habet Berterius [a] locis indicatis. quàm inanem nominis ambitionem plures etiam ciuitates in ſæculari Politia affectaſſe, Vlpianus [b] indicat. Atque is quidem fuit vetus Eccleſiæ mos: quin præterea, quòd quis magis miretur, reperias Vitalitios, vt ſic dixerim, Metropolitas, vtpote quorum dignitas non vltra vitæ curriculum in Eccleſia protraheretur, quod in Ancyrano Epiſcopo, & in Proculo Maſſilienſi factum obſeruat Berterius, [c] & latiùs narrat Nicolaus Grammaticus Conſtantinopolitanus Patriarcha [d] in reſponſis Synodalibus. Atque hinc præſertim mea illa coniectura confirmatur, qua Gregorij epiſtolam in falſi ſuſpicionem vocabam. neque enim perſuaderi poſſum, Hadrianum tàm perſpicuè mentitum, vt dixerit, Panormitanam Eccleſiam ſolo nomine ad id vſque temporis Metropolitanam eſſe exiſtimatam, deinceps verò ſubiectis illi ſuo beneficio Agrigentino, Mazarienſi, & Melitenſi Epiſcopis re ipſa Metropolim futuram, ſi, quod iſti ſomniant, ab Gregorij VII. æuo Suffraganeos habuerat.

[a] Diatrib. 2. c. 4. pag. 197.

[b] l. 1. D. de cēſibus.

[c] Diatrib. 2. c. 6. pag. 211.

[d] tom. 1. Iuris Græco Romani lib. 4. ſentent. Synodal. reſpō-ſo II.

qui eſt MDCLXVIII. in quibus cùm pallij geſtandi prærogatiua Catanenſem Eccleſiam donaret, ita præfatur. *Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Ioanni Catanenſi Epiſcopo, & Abbati, eiuſque ſucceeſſoribus canonicè inſtituendis in perpetuum. Sicut Beatiſsimi Patris, & Doctoris elegantiſsimi Gregorij Primi ſcriptis edocemur, conſtat Eccleſiae Catanenſis, vbi Beata Agatha, & orta, & paſſa eſt, ciuitatem Epiſcopalis dignitatis antiquitus gloria floruiſſe. Capta autem à Sarracenorum populis Siciliae Inſula, & per alias vniuerſae Prouinciae ciuitates Epiſcopalis gloria perijt, & Chriſtianae fidei dignitas poſt annos ferè trecentos diuina populum ſuum reſpiciente clementia per ſereniſsimum Comitem Rogerium in eadem eſt Inſula reſtituta*. Vides hic diſertis verbis Pontificem teſtari, Sarracenos tota Inſula Epiſcopos eieciſſe; vt nullus iam perfugij locus Gaufrido Malaterræ commentitio in parte hac Scriptori reliquus ſit, qua Nicodemũ ad Normannos vſque Panormitanæ Eccleſiæ Præfecturam tenuiſſe ſcribit. Quibus etiam adſtipulatur, quod ex Lanfranco Cantuarienſi [a] didicimus Humbertum Tullenſem, poſtea Syluæ candidæ Epiſcopum, è Lotharingia Romam à Leone Papa Nono allectum, mox etiam ad prædicandum Siculis Euangelium Archiepiſcopum eſſe ordinatum. quo tùm illud apertiſſimè conficitur ea tempeſtate (vixit autem Leo circa annũ MLIV.) totam omninò Catholicam fidem in Sicilia friguiſſe, tùm illud quoque, nullos fuiſſe in Prouincia Epiſcopos, qui populos ad capeſſendam religionem excitare poſſent. quippe neutiquam externi hominis Lotharingi induſtria erat opus, ſi vel Nicodemus, vel quiuis alius Epiſcopus reliquus extitiſſet. Porrò verò, ſi ſapimus, vnum hoc Lanfranci teſtimonium laruato iſti Nicodemo perſonam detrahit. nam ſi vna tantùm eo ſæculo fuit Metropolitana Eccleſia in vniuerſa Inſula, falſum deprehendetur, quod de Nicodemo prædicant. neq; enim vnius Panormitanę Eccleſiæ duo Antiſtites eodem tempore eſſe potuiſſent. ſin verò duæ erant Metropoles, neceſſe eſt fateri, Humbertum, aut Meſſanæ, aut Syracuſis Archiepiſcopum eſſe conſtitutum. nihil igitur Panormitana vrbs habebat, quod non, vel Syracuſanæ, vel Meſſanenſi eſſet commune. ſanè hunc ipſum Humbertum Michael Cerularius Conſtantinopolitanus Patriarcha [b] in epiſtola ad Petrum Antiochenum nomine tantùm Archiepiſcopum vocat, re verò alienum, cùm nulli vnquam Metropoli præfuiſſe reperiatur, eodemq; ſenſu Baronius [c] Petrum Damianum explicat, qui ad Nicolaum Pontificem ſcribens Humbertum Archiepiſcopum appellarat. quo conijcias, illum electum quidem Archiepiſcopum Siculæ alicuius Eccleſiæ, ſed ob Sarracenorum tyrannidem prohibitum fuiſſe, quò

minus

a In Commentario aduerſus Berengar. tom. 6. Bibliotecæ SS. PP. Margariti.

b Apud Baronium tom. XI. pag. 209.

c anno 1055. pag. 221.

Digitized by Google

minus munere ſuo re vera fungeretur. Sed nihil æquè euicerit hoc ipſum, quod inquirimus, quàm nobilis quædam epiſtola Theodoſij Monachi de Syracuſarum excidio, ſub ipſum rerum geſtarum tempus ad Leonem Archidiaconum ſcripta. deſcripſit eam ex M. S. Græco Codice Bibliothecæ inſignis Monaſterij S. Saluatoris Meſſanæ, & Latinitate donauit Ioſaphat Baſilij Magni Monachus, in Meſſanenſi Academia olim Græcè linguæ profeſſor. Sic autem poſt captæ, exciſæque vrbis deplorationem narrare pergit. *Et poſthaec omnia iter ad ciuitatem Panormum fecimus, quò abſoluto ſex dierum itinere animalibus onerariis insidentes, crudeles Aethiopas adductores habētes afflicti aeſtu diei, & algore noctis eramus. Septimo autem die, cùm tota quoque nocte iter fecisſemus, peruenimus iam ad populoſam ciuitatem Panormum, omnibus introeuntibus nobis ex gente Barbara prodeuntibus, & acclamantibus victoriae praemia, & ingreſſus ſpoliorum quàm plurimis laudes cantantibus. Poſthaec videndi Amirae maiori miſsi fuimus. hic autem erat in loco quodam ſedens valdè magnificè, & tyrannico Principatu tumeſcens, & caput extra feneſtram, tamquam aliquod veſtimentum emiſit. Stare itaque pedibus cùm feciſsent ſerui Pontificem* (Syracuſanum Epiſcopum, quem Caetanus Sophronium appellat) *in medio noſtri ante faciem eius, dicit ille per ſuum interpretem:* Facis ne tù noſtram orationem? Non, *dicit ſapiens Praeſul.* Quare? *inquit ille. hic verò:* Quia Pontifex ſum ego Chriſti, & eius ſacrorum adminiſtratorij ſacramenti myſtagogus, de quo multi Prophetæ, & iuſti prophetizarunt. *At ille,* nonne etiam apud nos ſunt Prophetæ? *Hic verò,* nomine apud vos ſunt Prophetæ, non tamen prædicationibus, & via recta: circum enim ambulant impij. *Et ille,* Quid igitur blaſphemijs noſtrum Prophetam afficitis vos. *Et hic,* Non blaſphemijs Prophetas afficimus nos Pontifices, quia non aduerſus Prophetas, ſed ſuper Prophetas loqui docti ſumus. Prophetam verò veſtrum non cognoſcimus. *His auditis iratus ad carcerem nos omnes quàm citiùs adduci iuſsit. & quidem ducebamur per plateam plurimis Chriſtianorum inſequentibus, & amare flentibus. Et quidē etiam ipſi Sarraceni circumdabant nos, & impellebāt, vt viderent, quis nam eſſet celebris Siciliae Epiſcopus. ſic igitur per populum à Lictoribus ducti detruſi fuimus in carcerem. hic erat locus quatuordecim paſsibus in terra profundus, cuius portula parui foraminis inſtar erat, & quod intus totum tenebrae, neque vllus ſplendor videri poterat, niſi ignis, quoniam fieri non poterat, vt radium Solis videre poſſet, ſed aeſtu refertus omnium, qui ibi erant, anhelationibus; ita vt vſta corpuſcula noſtra penitus eſſent. Erant autem nobiſcum incluſi, & colloquentes Aethiopes, Tarſes, Arabes, Longobardi,*

*gobardi, & noſtri Chriſtiani vi adducti è diuerſis Prouinciis, & Regionibus, in quibus erat etiam ſanctiſsimus Epiſcopus Melitae, vtriſque pedibus catenis ligatus. Hi duo Pontifices ſancto oſculo oſculati inuicem, cum aliquantulum fierent huiuſmodi infortunium, Dominoque gratias agerent, propter ea, quae ſibi acciderunt, philoſophico ſermone calamitatem ſuperarunt. In his cùm nos eſſemus, dies deteſtandi ſacrificij acceſsit, in quo dicunt ſe commemorationem facere ſacrificij Abrahae. hoc die itaque conſiderarunt, o dementiam, ſacrificare Pontificem, & malis dęmonibus Chriſti Pontificem offerre. huius conſilij fuit author quidam ex illa barbara gente Princeps os proprium ſepulturam habens apertam.* Iuſtum, o vos, eſt, *inquiens,* Chriſtianorum Pontificem pro noſtra proſperitate hoc illuſtri die Paſchatis noſtri, & peregrinos interficere; hoc enim modo res proſperè nobis euenient, &, ad maiorem, melioremque proceſſum progredientur. *Quae cum Senes aetate audiuiſſent, non annuerunt,* nequaquam, *dicentes,* fas eſt nobis id facere. ſatis eſt enim in illuſtriſſimi huius diei lætitia noſtra contra Syracuſas victoria. *Et hoc modo Dei auxilio depulimus conſilium peſſimũ contra noſtrum Paſtorem. Ex quo vſq; adhuc hic permanemus cõprehenſi afflictionibus, & mortem expectantes, quam nobis captiuis ſemper meditantur hoſtes. Tu autem o amicum ſacrum, & reuerendum caput memento tui Theodoſij, ſiqua tibi adhuc ineſt erga me beneuolentia, & nobis Numen redde propitium, vt alleuet, periculumque, in quo ſumus, ceſſare faciat, & ſicut torrens in Auſtro conuertat captiuitatem noſtram ſecundum Prophetam, & Regem,* Hæc Theodoſius.

Nec profectò piguit, tam longam epiſtolam recitare, quippe quæ non exiguo nobis vſui futura ſit. Vides enim hinc primùm anno DCCCLXXVIII. vnum in tota Inſula Sicilia ſuperfuiſſe Syracuſanum Epiſcopum, quem proinde Author *celebrem Siciliae Epiſcopum, Pontificem Chriſtianorum* à Sarracenis apellatum tradit. Vides Barbaros, cùm ad Amiram Pontifex captiuus duceretur, ſpectaculo accurriſſe, & quaſi inſolentem, & & numquam antea viſam rem Chriſtianorum Antiſtitem cupidè inſpicere voluiſſe. Vides pro eo, quo tenebantur excindendæ penitus Chriſtianæ religionis deſiderio, de Syracuſano, & Melitenſi Epiſcopis immaniter occidendis conſilium inijſſe. Tandem verò Panormitanam vrbem, quanta quanta erat, ſolis Sarracenis frequentatam, vnos modò captiuos Chriſtianos excipias carceribus aſſeruatos. Quòd ſi illi intra ſexaginta proximos ab occupata ciuitate annos Panormitanam Eccleſiam tam inſigni clade affecere, quid tandem factum putabimus poſt trecentos ferè annos? vt planè dubitandum non ſit, in tàm diuturno tempore allectis, ſi qui ſuperfuerant, Chriſtianis, & ad

eiuran-

eiurandam fidem, quà præmiorum ſpe, quà pœnarum metu in-ductis, ipſa præterea Sarracenorum conſuetudine impellente, quæ magnam quoque vim habet in emolliendis, & inflectendis hominum animis, nullos omninò ſuperſtites fuiſſe Chriſtianos, cùm à Normannis Fratribus Panormus ad deditionem compulſa eſt. Nec mihi hic reponat aliquis, negari, niſi impudenter vix poſſe, occupata à Sarracenis Inſula, manſiſſe tamen Epiſcopos; cùm ſuo loco dictum ſit, Nicolao I. Pontifice Maximo, & Michaele III. Conſtantinopolitano Imperatore vixiſſe Gregorium Syracuſanum, & Syracuſani Præſulis conſecrationem ad Romanam Sedem pertinere Nicolaus teſtatus ſit: cùm inſuper conſtet, inter quatuor Epiſcopos, quos in cauſa Photij Conſtantinopolitani Patriarchæ Legatos ad Nicolaum miſit Michael Imperator, tertium numerari Zacchariam, quē Anaſtaſius Bibliothecarius [a] Tauromenitanum Antiſtitem fuiſſe ſcribit. quibus addi poſſet, quod anno DCCCLXVIII. Theodorus Syracuſanæ Eccleſiæ præfuiſſe legitur, Gregorio nimirum in Concilio depoſito ſuffectus, vt ex Nicolai [b] ad Michaelem litteris eo anno ſcriptis colligi poteſt, in quibus Imperatori permittit Pontifex, vt adiudicata Ignatio cauſa iterum Romæ iudicetur, certoſque ex vtraque parte Epiſcopos Romam mitti iubet; pro Ignatio quidem Antonium Cizici, Baſilium Theſſalonicæ, Conſtantinum Lariſſæ, Theodorum Syracuſarum, Metrophanem Smyrnæ, & Paulum PontoHeracleæ, pro Photio verò Syracuſanum Gregorium, & quotquot alios vellet Epiſcopos. Facilis enim eſt reſpōdendi ratio, Panormum quidem, & pleraſque alias vrbes anno DCCCXII. vel DCCCXX. Sarracenis deditionem feciſſe, Tauromenium verò, & Syracuſas, neque ad deditionem cogi, neque per vim expugnari potuiſſe, poſt Conſtantinū Porphyrogennetam. [c] & Curopalatem ſcribit Fazellus. [d] quin & Syracuſas legimus non ante annum DCCCLXXVIII. longa obſidione debellatas à Barbaris exciſas fuiſſe, ac tùm demum illos tota Sicilia potitos. quo veriſimiliter credimus factum eſſe, vt Tauromenij, & Syracuſarum Epiſcopi ad hæc vſque tempora, ſaluis ſcilicet etiamnum eorum ciuitatibus, ſuperſtites fuerint, poſt verò cùm eæ quoq; vrbes Sarracenis ceſſiſſent, itidem vt & in reliqua Prouincia eſſe deſierint.

a In Notis ad Octauam Synodum Act. 2.

b Epiſt. 8.

c Decad. 2. lib. 6. pag. 410.

d to. 10. anno 878. num. 48.

*Laudata Gregorij VII. epiſtola, quid iuris Panormitanæ Eccleſiæ tribuerit, expenditur. Et non niſi ab Hadriano eſſe Metropolim factam.*

## CAPVT XXI.

SEd vt reliqua Gregorianæ epiſtolæ verba percurram, illud præterea accedit, quòd non niſi exemptionem, ac libertatem quæſiſſe Archerius videtur. Sic enim habent diplomatis verba: *priuilegio Apoſtolicę libertatis fulciri*. quæ ex formulis exemptionum deprompta eſſe, clariſſimè cõſtabit ex c. cùm olim 2. §. nos verò de priuilegijs. ibi, *ab omnium poteſtate liberi Romanae Eccleſiae libertatis gratia potirentur*. Quod exemptionis genus Gregorij VII. ætate receptum illa indicant eiuſdem Gregorij ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum: [a] *An ignoras, quòd Summi Pontifices plerumque & religioſa Monaſteria de ſubiectione Epiſcoporum, & Epiſcopatus de Parochia Metropolitanae Sedis propter infeſtationem Praeſidentiũ diuiſerunt, & perpetua libertate donantes, Apoſtolicae Sedi, veluti principalia capiti ſuo membra, adhaerere ſanxerunt?* quamuis id quoq; monuiſſe ſuperfluum videri poſſet, quando & vetuſtiori Gregorij I. æuo cognitas fuiſſe eiuſmodi exemptiones liquidò ex eius epiſtolis [b] probatur. Manifeſtum igitur eſt, ante annum MLXXXIII. Panormitanam Eccleſiam Metropolitanæ cuipiam paruiſſe, poſt verò Gregorij VII. beneficio Sedis Apoſtolicæ iuris immediati, vt noſtri loquuntur, factam. id enim exemptionis priuilegio agitur, vt ab aliena poteſtate, imperioque quis liberetur, neq; alium iudicem præter Romanum Pontificem agnoſcat. Porrò eam potiſſimùm ob cauſam ſuſpecta mihi videtur altera huiuſce reſcripti pars, quæ Panormitano Suffraganeos tribuit, quod ſanè perabſurdum eſſe quis non videt. nam ſi hoc tempore Panormitana Sedes Metropolis erat, quò libertatis, & exemptionis munus ab Romano Põtifice expreſſim petere, cũ Prouincię caput, ac mater eſſet? certè ne fruſtra libertatem poſtulaſſe videatur, fatendum erit, eam vel Epiſcopali ſolùm Cathedra auctam, vel, ſi Metropolis dignitatem concedimus, alterius Archiepiſcopalis Sedis, quam primam Metropolim dicemus, iuriſdictioni ſubiectam fuiſſe oportebit. Niſi cui magis placeat, id iſtiuſmodi exemptione factum eſſe, vt cùm Romanus Pontifex id temporis præter eos, qui proximarum vrbi Eccleſiarũ Epiſcopi Cardinales eſſent, haberet etiam in reliquis Italiæ prouincijs alios ſexaginta

a Lib. 2. ep. 69.

b lib. 2. Ind. X. ep. 37.

numero

numero Antiſtites, qui [a] Suffraganei dicerentur, nulli, aut Primati, aut Metropolitano ſubiecti, & obnoxij, ex his vnum Panormitanum Antiſtitem Gregorius eſſe iuſſerit.

Quid ſi poſtea negem vllos Eccleſię Panormitanæ Suffraganeos hoc diplomate tribui? neque enim Pontifex certos illi, ac deſignatos Epiſcopos ſubijcit, certamue Prouinciam, ſed confirmat ſolum omnes eius Suffraganeos, ſi qui fuere olim, vel in eorum locum alij ſucceſſere, nec poſitiuè, ſed conditionaliter Pontifex loquitur, vt proprijs diſciplinæ verbis vtar. Nulli igitur verè tunc Epiſcopatus erant, qui Panormitano ſuffragarentur. alioqui ſuis eos Gregorius nominibus expreſſiſſet, quod in ſimilibus exemptionum formulis Veteres vſurpaſſe facilè deprehendet, quiſquis Eccleſiaſticas antiquitates aliquando volutarit. Nam, vt horum temporum exempla ſumam, [b] Clemens I I. diplomate dato ad Ioannem Salernitanum Archiepiſcopum anno M X L VII. ſingulos eius Suffraganeos recenſet, Idem facit Alexander II. cùm Eccleſiam Dioclienſem Metropolis dignitate auget [c] anno MLXII. Idem Vrbanus II. in Toletana, [d] Barenſi, Tarraconenſi anno MLXXXVIII. MLXXXIX. & MXCI. Calixtus quoque II. anno MCXXIII. diſtinctè enumerat Epiſcopales Sedes, quas ſe ex integro poſt eiectos Sarracenos Bracharenſi reſtituere teſtatur. [e] eumdem morem indicant tabulæ Rauennates, Viennenſes, & Arelatenſes, quas Rubeus, [f] Baronius, Ioannes Boſcho [g] locis ante à me laudatis integras proferunt.

Sed rectius fuerit Fazellum integerrimum nempe teſtem, & in quem nihil dicere poſſit inuidia, hic ſtatuere, qui iſtã ipſam diplomatis partem, quæ Suffraganeorum meminit ſatis apertè falſitatis conuincit, cùm Metropolis dignitatem, Suffraganeos Epiſcopos, atque ideò Prouinciæ formam multò poſt Gregorium Panormitanæ vrbi obtigiſſe ſcribit. verba hæc ſunt: *Hadrianus quoque huius nominis Quartus Romanus Pontifex Eccleſiam Panormitanam, tempore, quo Hugo Panormitanae praeſidebat Eccleſiae, in omni Sicilia his verbis inſtituit.* Quis in pauculis hiſce verbis non videt Gregoriano iſti reſcripto Fazelli ope, & induſtria fidem omnem eſſe abrogatam? nam qua ratione hæc ſibi cohærere poſſunt, vt Panormitanus Antiſtes anno MLXXXIII. Archiepiſcopus audierit, Prouinciam, Suffraganeos habuerit, ſi anno MCLIV. ab Hadriano primùm hæc ipſa ornamenta impetrauit? Sed præſto erit aliquis qui Fazello in ſalebris hæſitanti opem ferat. ſcilicet, inquiet, Fazellũ haud quidẽ ſenſiſſe Panormum ab Hadriano primũ Metropolim cõſtitutam; id enim à Gregorio VII. multò ante obtinuerat: ſed Siciliæ totius Metropolim Hadriani munere factam eſſe, quod & his

a Codex M.S. Vatican. apud Baroniũ anno 1057.

b Baron. tom. XI. Pag. 156.

c Ibid pag 326

d Ibid pag 607 613. & 628.

e tom. 12. pag. 154.

f in Hiſt. Rauennat.

g In Antiquitat. Viennenſis Eccleſiæ,

## *Archiepiſcopi, ac Metropolitani nudo nomine non Græcis modò, ſed & Latinis cogniti. & qui eiuſmodi titulo cenſerentur:*

## CAPVT XXII.

AC ne cuipiam nouum, atque inſolens videatur, ciuitatem aliquam ſolo nomine Metropolitanam dici; ſciendum eſt, id quidem receptum eſſe, fracto prope, ac debilitato Imperio. nam qui nullis Epiſcopis præpoſiti cæteros eiuſdẽ Prouinciæ Antiſtites ſolo honore antecedebãt, Archiepiſcopos, & Metropolitanos dictos probat Berterius [a] ex Balſamone præſertim in reſponſo de Patriarchis: *Gothiae quidem Antiſtes*, ait ille, *non propterea vocatur Archiepiſcopus, quòd Epiſcoporum princeps ſit, & ordinator; ſed quòd primus Epiſcopus. quippe à ſanctis Patribus ſancitum eſt, vt Dioeceſes, in quibus ſunt vrbes ſub Epiſcoporum gubernatione conſtitutae à Metropolitanis regantur, quos etiã ipſi Canones Primos appellant: quae verò ciuitates quidem attributas non habent, quibus praeſint Epiſcopi, ab Archiepiſcopis adminiſtrentur, ita vt hae quidem cedant Metropolibus, ſed Epiſcopatibus praeſint.* Quae Balſamonis ſententia ex eo etiam confirmatur, quod de Toloſa legimus, [b] eam & ſi iam inde ab Arelatenſi I. Synodo Metropolis ſit appellata, nullos tamen Suffraganeos habuiſſe, priuſquàm ab Ioanne XXII. longiſſimo poſt interuallo Prouinciæ ius obtinuiſſet. Idemq; de Roſſanenſi Archiepiſcopatu obſeruare eſt, cuius adminiſtrationi nullas creditas eſſe inferiores Eccleſias, [c] peruulgatum eſt. vt vel hinc appareat morem hunc apud Orientis Sedes primò conſuetudine receptum, in Occidente quoq; tandem fuiſſe vſurpatum. Sed præſtat magis Conſaluum Pontium audire doctiſſimum, & eruditiſſimum hominem hac de re differentem in notis ad Theophanem [d] Nicænum Archiepiſcopum; *Id verò*, inquit, *hic obſeruatione dignum, duobus modis ciuitatis alicuius Epiſcopum Metropolitam olim vocatum, primò cùm eius erat vrbis Praeſul, quae antiquis canonibus, & Eccleſiae conſuetudine Metropoleos ius quoad Eccleſiaſtica, ſacraque habebat. Secundò cùm ei ciuitati praeerat, quae ab Imperatoribus Metropolis quantùm ad ciuilia facta erat. Primo caſu Metropolita Eccleſiaſtica priuilegia omnia, praerogatiuaſque conſeruabat, ſecundo nomen tantùm, & honorem, caetera Metropolitae vero ſubiacens, vt expreſſe decretum eſt in Canone XII. Concilij Chalcedonenſis, & cõſultus hac de re Innocentius I.*

*reſpondit*

[a] Diatrib. 2. c. 1. pag. 151.

[b] Berter. Diatrib. 2. c. 4 pag. 196.

[c] Prouinciale omnium Eccl. Azor. Inſtitut. Moral. p. 2. lib. 3. cap 33.

[d] In notis ad epiſt. 2.

*reſpondit ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, Leo IX. ad Petrum, & Ioannem Africanos. & verò, vt de alijs dicere omittamus, noſtrum Nicaenum Epiſcopum* ( Theophanem ) *honore tantùm, & nomine Metropolitam fuiſſe conſtat ex Concilij Chalcedonenſis Act. XIII. in qua agitata eſt de Primatu contentio inter Eunomium Nicomedienſem, & Anaſtasium Nicaenum. nam hic fultus Valentiniani, & Valentis litteris, quibus Nicaenae ciuitati conferebatur priuilegium, vt eſſet Metropolis, vſurpabat ſibi Metropolitae Bithyniae functiones, ille autem allegabat pro ſe veteres Ecclesiae Canones, & conſuetudines. tandem ita decernitur. Authoritatem quidem Metropolitani inter Ecclesias Prouinciae, Bithyniae Nicomedienſis habeat Reuerendus Antiſtes, habente Nicaeno honorem Metropolitani tantummodo, ſubiacente autem ad exemplum aliorum Epiſcoporum Nicomedienſi. Simili etiam honore, nempe quantum ad nomen, Chalcedonenſem Ecclesiam in eadem Bithynia donauit Marcianus Imperator, vt ex eiuſdem Cōcilii Act. VI. conſtat iis verbis. Ad honorem S. Euphemiae, & veſtrae pariter Sanctitatis, Chalcedonenſium ciuitatem, in qua ſanctae fidei Concilium geſtum eſt, Metropolis priuilegia habere decernimus nomine tantùm hanc honorantes, ſalua videlicet Nicomedienſium ciuitati propria dignitate.* Hæc Conſaluus. quibus ſimilia penè habet Berterius [a] locis indicatis. quàm inanem nominis ambitionem plures etiam ciuitates in ſæculari Politia affectaſſe, Vlpianus [b] indicat. Atque is quidem fuit vetus Eccleſiæ mos: quin præterea, quòd quis magis miretur, reperias Vitalitios, vt ſic dixerim, Metropolitas, vtpote quorum dignitas non vltra vitæ curriculum in Eccleſia protraheretur, quod in Ancyrano Epiſcopo, & in Proculo Maſſilienſi factum obſeruat Berterius, [c] & latiùs narrat Nicolaus Grammaticus Conſtantinopolitanus Patriarcha [d] in reſponſis Synodalibus. Atque hinc præſertim mea illa coniectura confirmatur, qua Gregorij epiſtolam in falſi ſuſpicionem vocabam. neque enim perſuaderi poſſum, Hadrianum tàm perſpicuè mentitum, vt dixerit, Panormitanam Eccleſiam ſolo nomine ad id vſque temporis Metropolitanam eſſe exiſtimatam, deinceps verò ſubiectis illi ſuo beneficio Agrigentino, Mazarienſi, & Melitenſi Epiſcopis re ipſa Metropolim futuram, ſi, quod iſti ſomniant, ab Gregorij VII. æuo Suffraganeos habuerat.

a Diatrib. 2. c. 4. pag. 197.

b l. 1. D. de cēſibus.

c Diatrib. 2. c. 6. pag. 211.

d tom. 1. Iuris Græco Romani lib. 4. ſentent. Synodal. reſpōſo II.

*Gregorij VII. ad Archerium Panormitanum Archiepiſcopum epiſtola recitatur. Sarraceni occupatis prouincijs Epiſcopos omnes exterminarunt.*

## CAPVT XIX.

TErtio loco Panormitanorum patronus Littara Gregorij VII. Pontificis diploma profert, qui Archerio Panormitæ Archiepiſcopo ſcribens ( hanc enim epigraphen prædicant ) ita ait. *Quamobrem cariſsime Frater Archeri Panormitanam Eccleſiam, quae & quondam nobilis, & famoſa, poſtmodum peccatis exigentibus in Sarracenorum poteſtatem, perfidiamque reducta, nunc reuera ad Chriſtianam fidem labore, & inſtantia filij noſtri glorioſi Ducis Roberti, Domino operante, perducta eſt, te poſtulante priuilegio Apoſtolicae libertatis fulciri, nos tàm iuſtae petitionis intuitu, quàm etiam praefati Ducis amore, quem id ſcimus optare, & cupere, gratanter concedimus, tribuimus, atque elargimur, & Apoſtolica authoritate confirmamus eidem Eccleſiae, & per eam tibi quicquid dignitatis, & antiquitatis tenuiſſe probatur. item omnes eius Suffraganeos Epiſcopatus, vel ſi qui deſtructis illis in eorũ loco ſtatuti ſunt, vel opitulãte Domino ſtatuentur, vt in praefatae Eccleſiae tuae redeant poteſtatem. Item Fraternitati tuae pallij vſum ſecundum Eccleſiae tuae morem antiquum concedimus, &c. Datum Romae 16. Kal. Maij anno MLXXXIII. Pontificatus noſtri anno X. Indict. VI.*

Præclara enimuerò probatio. At primùm hic animaduertamus licet, Panormitanã vrbem Sarracenis imperantibus Chriſtianam fidem cum Barbarorum ſuperſtitionibus commutaſſe. Id enim illa ſignificant, quæ Pontifex initio præfatur. *Praecipuè tamen oportere arbitramur, vt rudibus Eccleſijs, ſcilicet nouiter ad fidem venientibus, vel redeuntibus noſtri fauoris fiduciam, muniminis ſecuritatem proniùs indulgeamus, quatenus qui miſerante Domino perfidiae tenebras, & erroris laqueos euaſerunt eodem iuuante, &c.* Item illa. *Panormitanam Eccleſiam, quae quondam nobilis, & famoſa, poſtmodum peccatis exigentibus in Sarracenorum poteſtatem, perfidiamque redacta, nunc reuera ad Chriſtianam fidem conuerſa eſt, &c.*

Quò facilè animaduertimus, quanta adhibenda ſit fides Fazello, qui tàm magnificè iactat Panormitanam Eccleſiam dignitatem ſuam, vel ſub infando Sarracenorum dominatu in Nicodemo retinuiſſe. nam quis, obſecro, Archiepiſcopi vſus, ſi tota Ciuitas Mahometi nomen dederat? aut quàm verè Gregorius

gorius rudem Eccleſiam, & nouiter ad fidem venienté appellaſſet, ſi rè vera perpetua ad Nicodemum vſque fuit Epiſcoporum ſucceſſio, qui plebem Chriſtianis legibus inſtituerent, & in officio continerent? Aut quis credat Sarracenos impijſſimos Chriſtianæ religionis hoſtes in eorũ Sede regia Panormo Chriſtianis permiſiſſe, vt Epiſcopis morte ſublatis, in horũ locũ alij ſubrogarentur, per quos Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæterique inferiorum ordinum Clerici deſignarentur, quod ne ipſi quidem Hæretici [a] Catholicis integrum eſſe paſſi ſunt, quo ſumma in Eccleſijs vaſtitas ſequeretur. Sanè ego nullo modo adduci poſſum, vt credam, Sarracenos Siculos mitiori in Chriſtianam rempublicam animo fuiſſe, quam qui Hiſpanias occuparunt, quos tamen neque Toleti, neque Tarraconæ, maximis nimirum eius Prouinciæ vrbibus, vllam Chriſtiani Pontificij dignitatem permiſiſſe Vrbanus II. teſtatur litteris ad Bernardum Toletanum, & Berengarium datis anno MLXXXVIII. & MXCI. quarum integra exempla apud Baronium [b] habes. Idẽ in Antiochena Eccleſia factum ex Theophane [c] conſtat; prohibuiſſe nimirum Arabes, per quadraginta totos annos, quibus rerum potiti ſunt, Patriarcham eligi, & de Bracharenſi, Viennenſi, & Arelatenſi ſimilia omninò habent Addo, [d] Æmilius, [e] Baronius. [f]

a Sidon. Apol. lib.7.ep.6. Vict. Vticeſ. in Chronico & de perſec. Vandalica. lib.1.
b tom.11. pag. 607. & 628.
c In Conſtantino Copronimo.
d In ſexta ætate anno 747.
e In Childerico III Stupido, & Seuertius hiſtor. Lugdun. part.1. pag.52.
f tom.13. pag. 554. Mariana Hiſtor. Hiſpan lib. X. cap.13.

## *Sarracenis imperantibus nullos fuiſſe in Sicilia Epiſcopos latiùs demonſtratum.*

## CAPVT XX.

Sed ſatius fuerit ad hanc ſententiam confirmandam domeſtica teſtimonia petere, cùm abundè ſuppetant. Extat Gregorij VII. ad Rogerium Comitẽ epiſtola, in qua poſt multa ita ſubdit: *De caetero quia Traianenſem Electum à nobis conſecrari poſtulas, licet electioni eius hoc defuerit, quòd Legatus Sedis Apoſtolicae; & conſenſus noſter non affuit, tamen monentes, ne de futuro id fiat, tuae dilectionis, ipſiusque perſonae laudabili teſtimonio ad praeſens annuimus, vt veniens Deo fauente per nos conſacretur.* Vt facilè inde colligas, cùm nullus tùm eſſet in Prouincia Epiſcopus, qui Robertum noſtrum conſecraret, neceſſariò Romam fuiſſe euocandum. datas autem eſſe eas litteras anno circiter MLXXXI. epiſtolæ Octaui, & Vndecimi Libri indicant, quarum illas anno MLXXX. Indict. III. has MLXXXII. ſcriptas conſtat. Extant Alexandri III. litteræ datæ VII. Kalend. Augusti, IX. Pontificatus anno,

qui

qui eſt MDCLXVIII. in quibus cùm pallij geſtandi prærogatiua Catanenſem Eccleſiam donaret, ita præfatur. *Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Ioanni Catanenſi Epiſcopo, & Abbati, eiuſque ſucceſſoribus canonicè inſtituendis in perpetuum. Sicut Beatiſsimi Patris, & Doctoris elegantiſsimi Gregorij Primi ſcriptis edocemur, conſtat Eccleſiae Catanenſis, vbi Beata Agatha, & orta, & paſſa eſt, ciuitatem Epiſcopalis dignitatis antiquitus gloria floruiſſe. Capta autem à Sarracenorum populis Siciliae Inſula, & per alias vniuerſae Prouinciae ciuitates Epiſcopalis gloria perijt, & Chriſtianae fidei dignitas poſt annos ferè trecentos diuina populum ſuum reſpiciente clementia per ſereniſsimum Comitem Rogerium in eadem eſt Inſula reſtituta*. Vides hic diſertis verbis Pontificem teſtari, Sarracenos tota Inſula Epiſcopos eieciſſe; vt nullus iam perfugij locus Gaufrido Malaterræ commentitio in parte hac Scriptori reliquus ſit, qua Nicodemũ ad Normannos vſque Panormitanæ Eccleſiæ Præfecturam tenuiſſe ſcribit. Quibus etiam adſtipulatur, quod ex Lanfranco Cantuarienſi [a] didicimus Humbertum Tullenſem, poſtea Syluæ candidæ Epiſcopum, è Lotharingia Romam à Leone Papa Nono allectum, mox etiam ad prædicandum Siculis Euangelium Archiepiſcopum eſſe ordinatum. quo tùm illud apertiſſimè conficitur ea tempeſtate (vixit autem Leo circa annũ MLIV.) totam omninò Catholicam fidem in Sicilia friguiſſe, tùm illud quoque, nullos fuiſſe in Prouincia Epiſcopos, qui populos ad capeſſendam religionem excitare poſſent. quippe neutiquam externi hominis Lotharingi induſtria erat opus, ſi vel Nicodemus, vel quiuis alius Epiſcopus reliquus extitiſſet. Porrò verò, ſi ſapimus, vnum hoc Lanfranci teſtimonium laruato iſti Nicodemo perſonam detrahit. nam ſi vna tantùm eo ſæculo fuit Metropolitana Eccleſia in vniuerſa Inſula, falſum deprehendetur, quod de Nicodemo prædicant. neq; enim vnius Panormitanę Eccleſiæ duo Antiſtites eodem tempore eſſe potuiſſent. ſin verò duæ erant Metropoles, neceſſe eſt fateri, Humbertum, aut Meſſanæ, aut Syracuſis Archiepiſcopum eſſe conſtitutum. nihil igitur Panormitana vrbs habebat, quod non, vel Syracuſanæ, vel Meſſanenſi eſſet commune. ſanè hunc ipſum Humbertum Michael Cerularius Conſtantinopolitanus Patriarcha [b] in epiſtola ad Petrum Antiochenum nomine tantùm Archiepiſcopum vocat, re verò alienum, cùm nulli vnquam Metropoli præfuiſſe reperiatur, eodemq; ſenſu Baronius [c] Petrum Damianum explicat, qui ad Nicolaum Pontificem ſcribens Humbertum Archiepiſcopum appellarat. quo conijcias, illum electum quidem Archiepiſcopum Siculæ alicuius Eccleſiæ, ſed ob Sarracenorum tyrannidem prohibitum fuiſſe, quò

minus

[a] In Commentario aduerſus Berengar. tom. 6. Bibliothecæ SS. PP. Margarini.

[b] Apud Baronium tom. XI. pag. 209.

[c] anno 1055. pag. 221.

Digitized by Google

minus munere ſuo re vera fungeretur. Sed nihil æquè euicerit hoc ipſum, quod inquirimus, quàm nobilis quædam epiſtola Theodoſij Monachi de Syracuſarum excidio, ſub ipſum rerum geſtarum tempus ad Leonem Archidiaconum ſcripta. deſcripſit eam ex M. S. Græco Codice Bibliothecæ inſignis Monaſterij S. Saluatoris Meſſanæ, & Latinitate donauit Ioſaphat Baſilij Magni Monachus, in Meſſanenſi Academia olim Græcè linguæ profeſſor. Sic autem poſt captæ, exciſæque vrbis deplorationem narrare pergit. *Et poſthaec omnia iter ad ciuitatem Panormum fecimus, quò abſoluto ſex dierum itinere animalibus onerariis insidentes, crudeles Aethiopas adductores habẽtes afflicti aeſtu diei, & algore noctis eramus. Septimo autem die, cùm tota quoque nocte iter fecisſemus, peruenimus iam ad populoſam ciuitatem Panormum, omnibus introeuntibus nobis ex gente Barbara prodeuntibus, & acclamantibus victoriae praemia, & ingreſſui ſpoliorum quàm plurimas laudes cantantibus. Poſthaec videndi Amirae maiori miſsi fuimus. hic autem erat in loco quodam ſedens valdè magnificè, & tyrannico Principatu tumeſcens, & caput extra feneſtram, tamquam aliquod veſtimentum emisit. Stare itaque pedibus cùm feciſsent ſerui Pontificem* ( Syracuſanum Epiſcopum, quem Caetanus Sophronium appellat) *in medio noſtri ante faciem eius, dicit ille per ſuum interpretem:* Facis ne tu noſtram orationem? Non, *dicit ſapiens Praeſul.* Quare? *inquit ille. hic verò:* Quia Pontifex ſum ego Chriſti, & eius ſacrorum adminiſtratorij ſacramenti myſtagogus, de quo multi Prophetæ, & iuſti prophetizarunt. *At ille*, nonne etiam apud nos ſunt Prophetæ? *Hic verò*, nomine apud vos ſunt Prophetæ, non tamen prædicationibus, & via recta: circum enim ambulant impij. *Et ille*, Quid igitur blaſphemijs noſtrum Prophetam afficitis vos. *Et hic*, Non blaſphemijs Prophetas afficimus nos Pontifices, quia non aduerſus Prophetas, ſed ſuper Prophetas loqui docti ſumus. Prophetam verò veſtrum non cognoſcimus. *His auditis iratus ad carcerem nos omnes quàm citiùs adduci iuſsit. & quidem ducebamur per plateam plurimis Chriſtianorum inſequentibus, & amare flentibus. Et quidẽ etiam ipsi Sarraceni circumdabant nos, & impellebãt, vt viderent, quis nam eſſet celebris Siciliae Epiſcopus. sic igitur per populum à Lictoribus ducti detrusi fuimus in carcerem. hic erat locus quatuordecim paſsibus in terra profundus, cuius portula parui foraminis inſtar erat, & quod intus totum tenebrae, neque vllus ſplendor videri poterat, nisi ignis, quoniam fieri non poterat, vt radium Solis videre poſſet, ſed aeſtu refertus omnium, qui ibi erant, anhelationibus, ita vt vſta corpuſcula noſtra penitus eſſent. Erant autem nobiſcum inclusi, & colloquentes Aethiopes, Tarſes, Arabes, Longobardi,*

T

*gobardi, & noſtri Chriſtiani vi adducti è diuerſis Prouincijs, & Regionibus, in quibus erat etiam ſanctiſsimus Epiſcopus Melitae, vtriſque pedibus catenis ligatus. Hi duo Pontifices ſancto oſculo oſculati inuicem, cum aliquantulum fierent huiuſmodi infortunium, Dominoque gratias agerent, propter ea, quae ſibi acciderunt, philoſophico ſermone calamitatem ſuperarunt. In his cùm nos eſſemus, dies deteſtandi ſacrificij acceſsit, in quo dicunt ſe commemorationem facere ſacrificij Abrahae. hoc die itaque conſiderarunt, o dementiam, ſacrificare Pontificem, & malis dæmonibus Chriſti Pontificem offerre. huius conſilij fuit author quidam ex illa barbara gente Princeps os proprium ſepulturam habens apertam.* Iuſtum, o vos, eſt, *inquiens,* Chriſtianorum Pontificem pro noſtra proſperitate hoc illuſtri die Paſchatis noſtri, & peregrinos interficere; hoc enim modo res proſperè nobis euenient, & ad maiorem, melioremque proceſſum progredientur. *Quae cum Senes aetate audiuiſſent, non annuerunt,* nequaquam, *dicentes,* fas eſt nobis id facere. ſatis eſt enim in illuſtriſſimi huius diei lætitia noſtra contra Syracuſas victoria. *Et hoc modo Dei auxilio depulimus conſilium peſsimũ contra noſtrum Paſtorem. Ex quo vſq; adhuc hic permanemus cõprehenſi afflictionibus, & mortem expectantes, quam nobis captiuis ſemper meditantur hoſtes. Tu autem o amicum ſacrum, & reuerendum caput memento tui Theodoſij, ſiqua tibi adhuc ineſt erga me beneuolentia, & nobis Numen redde propitium, vt alleuet, periculumque, in quo ſumus, ceſſare faciat, & ſicut torrens in Auſtro conuertat captiuitatem noſtram ſecundum Prophetam, & Regem,* Hæc Theodoſius.

Nec profectò piguit, tam longam epiſtolam recitare, quippe quæ non exiguo nobis vſui futura ſit. Vides enim hinc primùm anno DCCCLXXVIII. vnum in tota Inſula Sicilia ſuperfuiſſe Syracuſanum Epiſcopum, quem proinde Author *celebrem Siciliae Epiſcopum, Pontificem Chriſtianorum* à Sarracenis apellatum tradit. Vides Barbaros, cùm ad Amiram Pontifex captiuus duceretur, ſpectaculo accurriſſe, & quaſi inſolentem, & numquam antea viſam rem Chriſtianorum Antiſtitem cupidè inſpicere voluiſſe. Vides pro eo, quo tenebantur excindendæ penitus Chriſtianæ religionis deſiderio, de Syracuſano, & Melitenſi Epiſcopis immaniter occidendis conſilium jniiſſe. Tandem verò Panormitanam vrbem, quanta quanta erat, ſolis Sarracenis frequentatam, vnos modò captiuos Chriſtianos excipias carceribus aſſeruatos. Quòd ſi illi intra ſexaginta proximos ab occupata ciuitate annos Panormitanam Eccleſiam tam inſigni clade affecere, quid tandem factum putabimus poſt trecentos ferè annos? vt planè dubitandum non ſit, in tàm diuturno tempore allectis, ſi qui ſuperfuerant, Chriſtianis, & ad eiuran-

eiurandam fidem, quà præmiorum ſpe, quà pœnarum metu in-
ductis, ipſa prætereà Sarracenorum conſuetudine impellente,
quæ magnam quoque vim habet in emolliendis, & inflecten-
dis hominum animis, nullos omninò ſuperſtites fuiſſe Chriſtia-
nos, cùm à Normannis Fratribus Panormus ad deditionem
compulſa eſt. Nec mihi hic reponat aliquis, negari, niſi impu-
denter vix poſſe, occupata à Sarracenis Inſula, manſiſſe tamen
Epiſcopos; cùm ſuo loco dictum ſit, Nicolao I. Pontifice Ma-
ximo, & Michaele III. Conſtantinopolitano Imperatore vixiſ-
ſe Gregorium Syracuſanum, & Syracuſani Præſulis conſecra-
tionem ad Romanam Sedem pertinere Nicolaus teſtatus ſit:
cùm inſuper conſtet, inter quatuor Epiſcopos, quos in cauſa
Photij Conſtantinopolitani Patriarchæ Legatos ad Nicolaum
miſit Michael Imperator, tertium numerari Zachariam, quē
Anaſtaſius Bibliothecarius [a] Tauromenitanum Antiſtitem
fuiſſe ſcribit. quibus addi poſſet, quod anno DCCCLXVIII.
Theodorus Syracuſanæ Eccleſiæ præfuiſſe legitur, Gregorio
nimirum in Concilio depoſito ſuffectus, vt ex Nicolai [b] ad Mi-
chaelem litteris eo anno ſcriptis colligi poteſt, in quibus Impe-
ratori permittit Pontifex, vt adiudicata Ignatio cauſa iterum
Romæ iudicetur, certoſque ex vtraque parte Epiſcopos Ro-
mam mitti iubet; pro Ignatio quidem Antonium Cizici, Baſi-
lium Theſſalonicæ, Conſtantinum Lariſſæ, Theodorum Syra-
cuſarum, Metrophanem Smyrnæ, & Paulum PontoHeracleæ,
pro Photio verò Syracuſanum Gregorium, & quotquot alios
vellet Epiſcopos. Facilis enim eſt reſpōdendi ratio, Panormum
quidem, & pleraſque alias vrbes anno DCCCXII. vel
DCCCXX. Sarracenis deditionem feciſſe, Tauromenium
verò, & Syracuſas, neque ad deditionem cogi, neque per vim
expugnari potuiſſe, poſt Conſtantinū Porphyrogennetam, [c] &
Curopalatem ſcribit Fazellus.[d] quin & Syracuſas legimus non
ante annum DCCCLXXVIII. longa obſidione debella-
tas à Barbaris exciſas fuiſſe, ac tùm demum illos tota Si-
cilia potitos. quo veriſimiliter credimus factum eſſe, vt
Tauromenij, & Syracuſarum Epiſcopi ad hæc vſque
tempora, ſaluis ſcilicet etiamnum eorum ciui-
tatibus, ſuperſtites fuerint, poſt verò cùm
eæ quoq; vrbes Sarracenis ceſſiſſent,
itidem vt & in reliqua Pro-
uincia eſſe deſierint.

a in Notis ad Octauam Synodum Act. 2.

b Epiſt. 8.

c Decad. 2. lib. 6. pag. 410.

d to. 10. anno 878. num. 42.

## *Laudata Gregorij VII. epiſtola, quid iuris Panormitanæ Eccleſiæ tribuerit, expenditur. Et non niſi ab Hadriano eſſe Metropolim factam.*

## CAPVT XXI.

SEd vt reliqua Gregorianæ epiſtolæ verba percurram, illud præterea accedit, quòd non niſi exemptionem, ac libertatem quæſiſſe Archerius videtur. Sic enim habent diplomatis verba: *priuilegio Apoſtolicæ libertatis fulciri.* quæ ex formulis exemptionum deprompta eſſe, clariſſimè cōſtabit ex c. cùm olim 2. §. nos verò de priuilegijs. ibi, *ab omnium poteſtate liberi Romanae Eccleſiae libertatis gratia potirentur.* Quod exemptionis genus Gregorij VII. ætate receptum illa indicant eiuſdem Gregorij ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum: [a] *An ignoras, quòd Summi Pontifices plerumque & religioſa Monaſteria de ſubiectione Epiſcoporum, & Epiſcopatus de Parochia Metropolitanae Sedis propter infeſtationem Praeſidentiū diuiſerunt, & perpetua libertate donantes, Apoſtolicae Sedi, veluti principalia capiti ſuo membra, adhaerere ſanxerunt?* quamuis id quoq; monuiſſe ſuperfluum videri poſſet, quando & vetuſtiori Gregorij I. æuo cognitas fuiſſe eiuſmodi exemptiones liquidò ex eius epiſtolis [b] probatur. Manifeſtum igitur eſt, ante annum MLXXXIII. Panormitanam Eccleſiam Metropolitanæ cuipiam paruiſſe, poſt verò Gregorij VII. beneficio Sedis Apoſtolicæ iuris immediati, vt noſtri loquuntur, factam. id enim exemptionis priuilegio agitur, vt ab aliena poteſtate, imperioque quis liberetur, neq; alium iudicem præter Romanum Pontificem agnoſcat. Porrò eam potiſſimùm ob cauſam ſuſpecta mihi videtur altera huiuſce reſcripti pars, quæ Panormitano Suffraganeos tribuit, quod ſanè perabſurdum eſſe quis non videt. nam ſi hoc tempore Panormitana Sedes Metropolis erat, quò libertatis, & exemptionis munus ab Romano Pōtifice expreſſim petere, cū Prouinciæ caput, ac mater eſſet? certè ne fruſtra libertatem poſtulaſſe videatur, fatendum erit, eam vel Epiſcopali ſolùm Cathedra auctam, vel, ſi Metropolis dignitatem concedimus, alterius Archiepiſcopalis Sedis, quam primam Metropolim dicemus, iuriſdictioni ſubiectam fuiſſe oportebit. Niſi cui magis placeat, id iſtiuſmodi exemptione factum eſſe, vt cùm Romanus Pontifex id temporis præter eos, qui proximarum vrbi Eccleſiarū Epiſcopi Cardinales eſſent, haberet etiam in reliquis Italiæ prouincijs alios ſexaginta

numero

[a] lib.2.ep.69.

[b] lib.2.Ind.X. ep.37.

numero Antiſtites, qui [a] Suffraganei dicerentur, nulli, aut Primati, aut Metropolitano ſubiecti, & obnoxij, ex his vnum Panormitanum Antiſtitem Gregorius eſſe iuſſerit.

Quid ſi poſtea negem vllos Eccleſię Panormitanæ Suffraganeos hoc diplomate tribui? neque enim Pontifex certos illi, ac deſignatos Epiſcopos ſubijcit, certamue Prouinciam, ſed confirmat ſolum omnes eius Suffraganeos, ſi qui fuere olim, vel in eorum locum alij ſucceſſere, nec poſitiuè, ſed conditionaliter Pontifex loquitur, vt proprijs diſciplinæ verbis vtar. Nulli igitur verè tunc Epiſcopatus erant, qui Panormitano ſuffragarentur. alioqui ſuis eos Gregorius nominibus expreſſiſſet, quod in ſimilibus exemptionum formulis Veteres vſurpaſſe facilè deprehendet, quiſquis Eccleſiaſticas antiquitates aliquando volutarit. Nam, vt horum temporum exempla ſumam, [b] Clemens II. diplomate dato ad Ioannem Salernitanum Archiepiſcopum anno MXLVII. ſingulos eius Suffraganeos recenſet; Idem facit Alexander II. cùm Eccleſiam Dioclienſem Metropolis dignitate auget [c] anno MLXII. Idem Vrbanus II. in Toletana, [d] Barenſi, Tarraconenſi anno MLXXXVIII. MLXXXIX. & MXCI. Calixtus quoque II. anno MCXXIII. diſtinctè enumerat Epiſcopales Sedes, quas ſe ex integro poſt eiectos Sarracenos Bracharenſi reſtituere teſtatur. [e] eumdem morem indicant tabulæ Rauennates, Viennenſes, & Arelatenſes, quas Rubeus, [f] Baronius, Ioannes Boſcho [g] locis ante à me laudatis integras proferunt.

Sed rectius fuerit Fazellum integerrimum nempe teſtem, & in quem nihil dicere poſſit inuidia, hic ſtatuere, qui iſtã ipſam diplomatis partem, quæ Suffraganeorum meminit ſatis apertè falſitatis conuincit, cùm Metropolis dignitatem, Suffraganeos Epiſcopos, atque ideò Prouinciæ formam multò poſt Gregorium Panormitanæ vrbi obtigiſſe ſcribit. verba hæc ſunt: *Hadrianus quoque huius nominis Quartus Romanus Pontifex Eccleſiam Panormitanam, tempore, quo Hugo Panormitanae praeſidebat Eccleſiae, in omni Sicilia his verbis inſtituit.* Quis in pauculis hiſce verbis non videt Gregoriano iſti reſcripto Fazelli ope, & induſtria fidem omnem eſſe abrogatam? nam qua ratione hæc ſibi cohærere poſſunt, vt Panormitanus Antiſtes anno MLXXXIII. Archiepiſcopus audierit, Prouinciam, Suffraganeos habuerit, ſi anno MCLIV. ab Hadriano primùm hæc ipſa ornamenta impetrauit? Sed præſto erit aliquis qui Fazello in ſalebris hæſitanti opem ferat. ſcilicet, inquiet, Fazellũ haud quidẽ ſenſiſſe Panormum ab Hadriano primũ Metropolim cõſtitutam; id enim à Gregorio VII. multò ante obtinuerat: ſed Siciliæ totius Metropolim Hadriani munere factam eſſe, quod &

his

[a] Codex M.S. Vatican. apud Baroniũ anno 1057.

[b] Baron. tom. XI. Pag. 156.

[c] Ibid pag 326

[d] Ibid pag 607 613. & 628.

[e] tom. 12. pag. 154.

[f] in Hiſt. Rauennat.

[g] In Antiquitat. Viennenſis Eccleſiæ.

his verbis Littara innuit: *Hadriano mandante caeteræ Siculorum Eccleſiae Panormitanam iure Matrem ſuam, ac Principem agnouere.* Prodeant igitur in medium Hadriani tabulæ, quales tùm apud Fazellum, tùm apud Littaram leguntur, & in Panormitanæ Eccleſiæ Archiuio aſſeruantur. *Hadrianus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei dilectis filijs Agrigentino, Mazarienſi, & Melitenſi Epiſcopis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ne in aliqua Prouincia fidelibus Chriſtianis ſacrorum miniſteriorum plenitudo deeſſet, ſanctorum Patrum ſanxit authoritas, vt in ſingulis Prouincijs aliqua Metropolis haberetur, quae ex diſpenſatione regiminis, & officij authoritate praeſideret. Si quidem nos prouinciae Siciliae id deeſſe videntes, Panormitanam ciuitatem, quae ſolo nomine vſque modò Metropolis habebatur, in plenitudinem dignitatis Metropolim duximus ſtatuendam, & ciuitates veſtras ei Metropolitico iure perpetuis temporibus ſtatuimus ſubiacere. Quocirca per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus Venerabili Fratri noſtro Hugoni eiuſdem loci Archiepiſcopo, ſicut Metropolitano veſtro humiliter pareatis, & honorem, & reuerentiam ei ſtudeatis iugiter exhibere. Datum Beneuenti VII. Idus Iulij MCLIV.* At vides hic inquam Fazelle, vides Littara, Primatum, quem Panormitanæ in omnes Siculas Eccleſias vindicatis, & Metropoliticum honorem vix quartam Inſulæ partem complecti, nempe ſolis Agrigentina, & Mazarienſi Diœceſibus tota concluditur. Vides Panormitanam Sedem vſque ad Hadriani IV. tempora ſolo nomine Metropolim eſſe dictam. Quid ita? an quia, cùm exemptus à Metropolitæ ſui iuriſdictione eſſet, quidã veluti Metropolitanus videretur, vt Metenſi quoque Epiſcopo accidit, quem ob pallij ius, & nonnulla quædam alia priuilegia Archiepiſcopũ appellatum [a] legimus? Solo tamen nomine, inquit Hadrianus. quia nulli tum erant Epiſcopi, qui Panormitano Suffraganeorum vice ſubijcerentur. Niſi illud alicui magis arriſerit, Hadrianum ad Chalcedonenſis Concilij [b] decreta reſpexiſſe, cuius hæc ſunt verba. *Peruenit ad nos, quod quidam praeter Eccleſiaſticas ordinationes, affectantes potentiam, per pragmaticum ſacrum vnam Prouinciam in duas diuidant, ita vt ex hoc inueniantur duo Metropolitani in vna, eademque Prouincia eſſe. Statuit ergò ſancta Synodus, deinceps nil tale attentari à quolibet Epiſcopo. eos verò, qui tale aliquid attentauerint, cadere de proprio gradu. Si quae verò antea ciuitates per pragmaticam Imperialem Metropolitani nominis honore decoratae ſunt, nomine ſolo perfruantur, & qui Eccleſiam eius regit, Epiſcopus, priuilegio Metropolitano Epiſcopo iure proprio reſeruato.* Scilicet veriſimile eſt, Panormitanos Meſſanenſis Eccleſiæ æmulatores, quò faciliùs ab Hadriano Prouin-

a Paulus Vuarnefrid. lib 6. c. 16. & Anaſtaſ. in Vita Sergij II. Baroni⁹ anno 844. n. 7. & anno 863. n. 63.

b Act. 14. Can. 12.

eiam, & Metropolis iura conſequerentur, illa Principum diplomata oſtentaſſe, quibus, ſi vera tamen fert Fazellus, Panormitanam ciuitatem Primam Sedem, & Regni caput, atque adeò Metropolim ſalutant: Pontificem verò, ne quid de ſuo iure in his conferendis Eccleſiarum dignitatibus laicis concedere videretur, neue in exemplum trahi poſſet, ſi illorũ authoritatem, & veluti præiudicium ſecutus ipſe eſſet, Concilij ſanctionem ſartam, tectamque retinere voluiſſe, vt propterea dixerit, ex collato à Regibus Metropolis titulo ſolo nomine Metropolim hactenus fuiſſe, adeòque Panormitani intelligerẽt, quicquid nõ ab Romano Põtifice, ſed à malo authore emiſſent, diutius obtineri nõ poſſe. Porrò huic Hadriani teſtimonio adſtipulatur etiam vetuſtum, ac nobile Epitaphium ipſius Hugonis Archiepiſcopi ſepulchro adſcriptum. in hæc verba: *Hugo Praeſul primus. ſanctam Chriſtinam exaltauit.* haud dubium, quin primum fuiſſe Panormitanum Archiepiſcopum ſignificet, vt & illud quoq; exploratiſſimum eſt, eum Hugonẽ hunc eſſe, qui ab Hadriano Metropolitani nomine honeſtatus eſt, ſi Fazello [a] credimus vetuſtiorum Præſulum catalogum texenti, qui Panormitanam Eccleſiam rexere. ſcilicet breuiſſimo hoc elogio ab duplici re geſta laudare Author Hugonem voluit, quòd omnium primus Archiepiſcopalem dignitatem in Eccleſiam intulerit, & quòd eximiæ Martyris Chriſtinæ ſacris reliquijs inuectis eamdem locupletarit. Et ſi verò nominum hic ordo eò quandoque pertineat, vt confuſionem tollat, quæ inter eiuſdem nominis Epiſcopos oriri potuiſſet, quod alibi demonſtrauimus, id tamen in ſpecie iſta locum habere vix poteſt, tùm quia hæc primi Præſulis appellatio veriſſimè in Hugonem quadrat, quem Hadriani permiſſu primum inter Panormitanos Antiſtites eo honore auctum conſtat, tùm quia antiqua illa tabula Hugonem Præſulem primum appellat, non verò Hugonem primum Præſulem. atqui ſic ego ſentio plurimùm inter has formulas diſtare, quippe cum dicimus, Hugo primus Præſul, media illa vox commodè, ac ſua ſponte ad vtramque extremam referri poteſt; contra verò, ſi dixerim, Hugo Præſul primus, nimiò durus fuerim, ſi contendam poſtremam eam dictionem poſſe cum remotiori conſentire.

[a] In Indice Eccleſ. Sicil. Dec. 2. lib. 10. cap. vltimo.

*Archie-*

## *Archiepiſcopi, ac Metropolitani nudo nomine non Græcis modò, ſed & Latinis cogniti. & qui eiuſmodi titulo cenſerentur:*

## CAPVT XXII.

AC ne cuipiam nouum, atque inſolens videatur, ciuitatem aliquam ſolo nomine Metropolitanam dici; ſciendum eſt, id quidem receptum eſſe, fracto prope, ac debilitato Imperio. nam qui nullis Epiſcopis præpoſiti cæteros eiuſdē Prouinciæ Antiſtites ſolo honore antecedebāt, Archiepiſcopos, & Metropolitanos dictos probat Berterius [a] ex Balſamone præſertim in reſponſo de Patriarchis: *Gothiae quidem Antiſtes*, ait ille, *non propterea vocatur Archiepiſcopus, quòd Epiſcoporum princeps ſit, & ordinator; ſed quòd primus Epiſcopus. quippe à ſanctis Patribus ſancitum eſt, vt Dioeceſes, in quibus ſunt vrbes ſub Epiſcoporum gubernatione conſtitutae à Metropolitanis regantur, quos etiā ipſi Canones Primos appellant: quae verò ciuitates quidem attributas non habent, quibus praeſint Epiſcopi, ab Archiepiſcopis adminiſtrentur, ita vt hae quidem cedant Metropolibus, ſed Epiſcopatibus praeſint.* Quae Balſamonis ſententia ex eo etiam confirmatur, quod de Toloſa legimus, [b] eam & ſi iam inde ab Arelatenſi I. Synodo Metropolis ſit appellata, nullos tamen Suffraganeos habuiſſe, priuſquàm ab Ioanne XXII. longiſſimo poſt interuallo Prouinciæ ius obtinuiſſet. Idemq; de Roſſanenſi Archiepiſcopatu obſeruare eſt, cuius adminiſtrationi nullas creditas eſſe inferiores Eccleſias, [c] peruulgatum eſt. vt vel hinc appareat morem hunc apud Orientis Sedes primò conſuetudine receptum, in Occidente quoq; tandem fuiſſe vſurpatum. Sed præſtat magis Conſaluum Pontium audire doctiſſimum, & eruditiſſimum hominem hac de re diſſerentem in notis ad Theophanem [d] Nicænum Archiepiſcopum; *Id verò*, inquit, *hic obſeruatione dignum, duobus modis ciuitatis alicuius Epiſcopum Metropolitam olim vocatum, primò cùm eius erat vrbis Praeſul, quae antiquis canonibus, & Eccleſiae conſuetudine Metropoleos ius quoad Eccleſiaſtica, ſacraque habebat. Secundò cùm, ei ciuitati praeerat, quae ab Imperatoribus Metropolis quantùm ad ciuilia facta erat. Primo caſu Metropolita Eccleſiaſtica priuilegia omnia, praerogatiuaſque conſeruabat, ſecundò nomen tantùm, & honorem, caetera Metropolitae vero ſubiacens, vt expreſſe decretum eſt in Canone XII. Concilij Chalcedonenſis, & cõſultus hac de re Innocentius I. reſpondit*

[a] Diatrib. 2. c. 8. pag. 151.

[b] Berter. Diatrib. 2. c. 4 pag. 196.

[c] Prouinciale omnium Eccl. Azor. Inſtitut. Moral. p. 2. lib. 2. cap 33.

[d] In notis ad epiſt. 2.

*reſpondit ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, Leo IX. ad Petrum, & Ioannem Africanos. & verò, vt de alijs dicere omittamus, noſtrum Nicaenum Epiſcopum* ( Theophanem ) *honore tantùm, & nomine Metropolitam fuiſſe conſtat ex Concilij Chalcedonenſis Act. XIII. in qua agitata eſt de Primatu contentio inter Eunomium Nicomedienſem, & Anaſtaſium Nicaenum. nam hic fultus Valentiniani, & Valentis litteris, quibus Nicaenae ciuitati conferebatur priuilegium, vt eſſet Metropolis, vſurpabat ſibi Metropolitae Bithyniae functiones, ille autem allegabat pro ſe veteres Eccleſiae Canones, & conſuetudines. tandem ita decernitur. Authoritatem quidem Metropolitani inter Eccleſias Prouinciae, Bithyniae Nicomedienſis habeat Reuerendus Antiſtes, habente Nicaeno honorem Metropolitani tantummodo, ſubiacente autem ad exemplum aliorum Epiſcoporum Nicomedienſi. Simili etiam honore, nempe quantum ad nomen, Chalcedonenſem Eccleſiam in eadem Bithynia donauit Marcianus Imperator, vt ex eiuſdem Cõcilii Act. VI. conſtat iis verbis. Ad honorem S. Euphemiae, & veſtrae pariter Sanctitatis, Chalcedonenſium ciuitatem, in qua ſanctae fidei Concilium geſtum eſt, Metropolis priuilegia habere decernimus nomine tantùm hanc honorantes, ſalua videlicet Nicomedienſium ciuitati propria dignitate.* Hæc Conſaluus. quibus ſimilia penè habet Berterius [a] locis indicatis. quàm inanem nominis ambitionem plures etiam ciuitates in ſæculari Politia affectaſſe, Vlpianus [b] indicat. Atque is quidem fuit vetus Eccleſiæ mos: quin præterea, quòd quis magis miretur, reperias Vitalitios, vt ſic dixerim, Metropolitas, vtpote quorum dignitas non vltra vitæ curriculum in Eccleſia protraheretur, quod in Ancyrano Epiſcopo, & in Proculo Maſſilienſi factum obſeruat Berterius, [c] & latiùs narrat Nicolaus Grammaticus Conſtantinopolitanus Patriarcha [d] in reſponſis Synodalibus. Atque hinc præſertim mea illa coniectura confirmatur, qua Gregorij epiſtolam in falſi ſuſpicionem vocabam. neque enim perſuaderi poſſum, Hadrianum tàm perſpicuè mentitum, vt dixerit, Panormitanam Eccleſiam ſolo nomine ad id vſque temporis Metropolitanam eſſe exiſtimatam, deinceps verò ſubiectis illi ſuo beneficio Agrigentino, Mazarienſi, & Melitenſi Epiſcopis re ipſa Metropolim futuram, ſi, quod iſti ſomniant, ab Gregorij VII. æuo Suffraganeos habuerat.

a Diatrib. 2. c. 4. pag. 197.

b l. 1. D. de cenſibus.

c Diatrib. 2. c. 6. pag. 211.

d tom. 1. Iuris Græco Romani lib. 4. ſentent. Synodal. reſpõſo II.

## *Panormitani ab Anacleto II. Pſeudo Pontifice Metropoliticam dignitatem obtinent.*

## CAPVT XXIII.

Sed vt Panormitanorum ſtudia clariora fiant, quibus Metropoliticam dignitatem, Prouinciæ nomen, poteſtatem in ſubiectos Epiſcopos omni tempore affectarunt, vt eare Meſſanenſi Eccleſiæ pares eſſent, vnum illud exemplum proferre ſatis ſit. cùm enim Panormitani iniquiſſimo ferrent animo, eorum Eccleſiam ſolo honore Metropolitanam dici, vbi primùm Anacletus II. Pontificatum inuaſit in ſchiſmate, quod Federici Imperatoris opera contra legitimum vrbis Romanæ Epiſcopum Innocentium II. excitatū eſt, nihil antiquius habuere, quàm vt ab eo honores iſtos coemerent. ſed neque inuitus ille ad nundinationem deſcendit. nam cùm ad confirmandum ſibi Pontificium nomen, Principum, & populorum ſtudia plurimùm conferre non malè exiſtimaret, Rogerium Siciliæ, & Calabriæ Ducem, Regiæ dignitatis largitione ſibi primùm deuinxit, tùm deinde Panormitanam Eccleſiam aureo, quod aiunt, hamo piſcari ſtuduit. quippe cùm iſti Rogerium Regem adhibuiſſent, qui optatos diu titulos ab Anacleto exoraret, libenter ille, atque adeò ex animo, de alieno nimirum largus, poſtulata conceſſit, quarum rerum diploma in Vaticana bibliotheca aſſeruatum Baronius [a] publici iuris fecit. Præfatur in eo primùm Anacletus eximia Roberti Ducis, & Rogerij Comitis, & Adelaſiæ Reginæ in Romanam Eccleſiam ſtudia. tùm deinde: *Concedimus etiam, & donamus, & authorizamus tibi, & Filio tuo Rogerio, & alijs filijs tuis, ſecundum tuam ordinationem in Regnum ſubſtituendis, & haeredibus ſuis Coronam regni Siciliae, & Calabriae, & Apuliae, & vniuerſae terrae, quarum tàm nos, quàm & praedeceſſores noſtri, praedeceſſoribus tuis Ducibus Apuliae nominatis dedimus, & conceſſimus, & ipſum Regnum habendum, & vniuerſam Regiam dignitatem, & iura Regalia iure perpetuo habendum in perpetuum, & dominandum, & Siciliam caput Regni conſtituimus. Porrò authorizamus, & concedimus, vt per manus Archiepiſcoporum terrae tuae, quos volueris, tu, & haeredes tui in Reges inungamini, & in ſtatutis temporibus coronemini.* & poſt multa: *Tuis porrectis petitionibus annuentes concedimus Panormitano Archiepiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus, & Panormitanae Eccleſiae conſecrationes trium Epiſcoporum Siciliae, videlicet Syracuſani, Agrigentini, & Mazarienſis, vel Catinenſis, ea ratione, ne ſupradictae Eccle-*

[a] tom. 12. pag. 154.

*ſiae in Diœceſibus, vel poſſeſſionibus ſuis à Panormitano Archiepiſcopo, vel ab ipſa Panormitana Eccleſia diminutionem aliquam patiantur*. Sic tandem epiſtolam finit. *Omnibus verò has noſtras conceſſiones, & conſenſus ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Ego Anacletus Catholicae Eccleſiae Epiſcopus. Datum Beneuenti per manum Saxonis S. R. E. Preſbyteri Cardinalis V. Kalend. Octob. Indict. IX. anno Domini MCXXX. Pontificatus Domini Anacleti Secundi Papae anno primo*. Quas ego Anacleti litteras non eò hic affero, quaſi cenſeam Panormitanos Eccleſiæ ſuæ cauſam hiſce titulis honeſtare velle. neque enim adeò perditos, & impudentes arbitror, vt venalitios honores ab ſchiſmatico homine turpiſsimè diuenditos magni æſtiment. præſertim qui ſciam, Rogerium, facti mox pænitentem, Innocentium legitimum Pontificem adijſſe, ab eoque tandem Regiæ dignitatis ornamenta impetraſſe. Satis igitur mihi ſit, ex Anacleti diplomate manifeſtò colligi; nullos ante annum MCXXX. Suffraganeos fuiſſe Panormitani Epiſcopi, nec proinde etiam dici potuiſſe Metropolitam; quippe quē opus fuerit nunc primùm impetrare certam Prouinciam, certos Epiſcopos, qui Metropolitano parerent. & huc fortaſſe etiam Hadrianus reſpexit, cùm ſolo nomine Metropolim dictam Panormum teſtatus eſt, nempe qui ſciret collatos à PſeudoPontifice honores caſſos, irritoſque cenſeri debere, vt ne nomen quidem honorum mereantur.

Igitur vt diſputationem in pauca contrahamus, cum ex ijſdē Aduerſariorum publicis monumentis conſtet, Panormitanam Eccleſiam, quæ ſolo nomine ad annum vſque MCLIV. Metropolis dicebatur, poſt id temporis reuera Metropolim habitam, & diuerſam à Meſſanenſi Prouinciam eſſe ſortitam, quis adeò ſtupidus, vel inuidus fuerit, quin Metropoliticam dignitatem antiquiorem Meſſanæ fuiſſe, iure, ac meritò fateatur, quam ſupra Gregorij Primi, Pelagij Secundi, Felicis Meſſanenſis Epiſcopi teſtimonijs iam inde ab anno circiter DC. vel, ſi poſteriora tempora inſpicimus, ab anno MCXXXI. Rogerij Regis, aliorumque Pontificum diplomatis re ipſa Metropolitanam fuiſſe comprobaui?

## *Hadriani diploma ſolum ne Panormitanū Epiſcopum Metropolitanum in Sicilia fuiſſe euincat, & Alexandri III. epiſtolæ lux data.*

## CAPVT XXIV.

VErum his, quæ hactenus dicta ſunt, vnum eſt, quod refragari videatur: quòd Hadrianus Pontifex in iam laudato diplomate hæc habeat: *Nos id* (Metropolim) *Prouinciae Siciliae deeſſe videntes, Panormitanam ciuitatem, &c.* Quibus verbis teſtari Pontifex videtur Metropolim omninò nullam apud Siculos eo tempore fuiſſe, adeò rectiſſimè conſequi Panormitanam Eccleſiam primam Metropolim eſſe cenſendam.

Sed non vna ratione eliditur huiuſmodi obiectum. Primò quia ex Rogerij Regis, Hugonis Archiepiſcopi Meſſanenſis, item & Boſonis Cephaleditani Epiſcopi teſtimonijs, de quibus ſuo loco dictum eſt, planiſſimum fit, Meſſanenſem Epiſcopum multò ſatis ante Hadriani tempora veri, ac legitimi Metropolitani iura in Sicilia re, & nomine tenuiſſe. nomine quidem, quòd Archiepiſcopus, quòd Metropolitanus vbiq; audierit. re verò, quòd Cephaleditano ſaltem, & Liparitano Epiſcopis præfuiſſe plurimis, apertiſſimiſque Rogerij, & Hugonis priuilegijs confirmatum eſt. quos ſanè, vti & alios omnes, deceptos eſſe, nemo prudens iure crediderit. præſertim cùm Siculi homines fuerint, & de Siculæ Eccleſiæ Politia teſtimonium dixerint. quin potiùs, ne Rogerium, Hugonem, Boſonem Sicularum Eccleſiarum iura, prærogatiuaſque ignoraſſe, contra verò Hadrianum, externum nempe hominem, percalluiſſe, abſurdè nimis, & præpoſterè cenſeamus, ſubit in mentem ſuſpicari, fortè an corrupta ſit, vel ementita reſcripti ſententia, vt magis legendum videatur, *Si quidem nos veſtrae huic regioni Siciliae*, vel, *huic Prouinciae Siciliae*, vel quippiam ſimile, *id deeſſe videntes.* illi videlicet Prouinciæ, ad quam Panormitani, Agrigentini, Mazarienſis Epiſcopi Diœceſes protendebantur. Secundò reſpondetur Hadrianum tres illos Epiſcopos Panormitano ſubieciſſe, quòd perabſurdum putauerit in ea Prouincia Canonum ſanctiones poſthaberi, quibus in ſingulis Prouincijs Metropolitanus aliquis præeſſe decernitur. atqui in reliqua Sicilia præter Mazarienſem, Agrigentinum, Melitenſem, erant etiam alij ſacrorum Antiſtites, Catanenſis, Syracuſanus, Cephaleditanus, Liparitanus, quibus itidem, vt tribus illis, ſuum Metropolitanum

præfuiſſe oportuit, ne ſolæ iſtæ Eccleſiæ Apoſtolicæ Sedis prouidentia deſtituerentur. An verò credendum, Romanum Pontificem, cùm tribus ijs Diœceſibus Metropolitanum attribuiſſet, reliquas neglexiſſe? minimè ſanè, ſed eas potius tacitas omiſiſſe, quod ſub Meſſanenſis Epiſcopi ditione eſſe ſciret, quem tùm Metropolitanum egiſſe ſatis fusè ſuperiùs demonſtraui. Ac de Cephalęditana quidē, & Liparitana extra dubitationē res eſt. Catanenſem verò Eccleſiam à Meſſanenſi Sede ſacra petere conſueſſe, illud vnicè teſtatur, quod inter Meſſanenſis Eccleſiæ ſchedas,[a] tabulaſque extat etiamnum Vicarij Meſſanenſis expoſtulatio ad Montisregalis Archiepiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum, qua Catanenſem Diœceſim ad Meſſanenſem Prouinciam pertinere docet, & ſi quid in eo iure vendicando peccatum ſit temporis præſcriptione, id vt ne ſibi, ſuæue Eccleſiæ fraudi ſit, petit. Iure igitur exiſtimandum eſt, vel Siciliam omnem Meſſanenſem Epiſcopum Metropolitani loco agnouiſſe, poſt verò, vt Panormitano ſuus etiam honor eſſet, diuiſa Prouincia, tres illi viciniores Eccleſias attributas, vel certè, cū ſolæ tres à Meſſanenſi Metropoli ſeiunctæ eſſent, Panormitana, Agrigentina, Mazarienſis, ne ſuus ijs Archiepiſcopus deeſſet, Panormitanæ ſuppoſitas fuiſſe. Tandem, vt tertia ratione obiectum diluatur, quis credat, priuſquàm Panormitana Sedes in Metropolim proueheretur, nullam in tota Sicilia Metropolem fuiſſe? præſertim cùm ampliſſimos Regni titulos Prouincia vlla nanciſci minimè poſſit, niſi aliquis in ea ſit [b] Metropolitanæ Sedis Epiſcopus, qui in Prouinciales Antiſtites ius dicat. Satis igitur vel hinc apparet habuiſſe Siciliam Metropolim ſuam, etiam ante Hadriani tempora, vt quæ multò priùs, quàm ille Pontificatum iniret, Regiæ dignitatis prærogatiua Innocentij II. munere aucta fuerat anno, vti Baronius, & Sigonius cenſent, MCXXX.

[a] Bonfilius in Meſſenicis lib. 8.

[b] Pelag. ep. 1. tom. 1. Epiſt. Decretal. Io. Magnus lib. 2. de vita Pontificū Vpſalenſium.

Quarto loco venire in mentem alicui poſſet, probari ſatis Panormitanæ Eccleſiæ Primatum ex Alexandri III. reſcripto In cap. in Archiepiſcopatu de raptoribus. ſi quidem eo loci Alexander ab Panormitano Archiepiſcopo conſultus, qua pęna Sarraceni mulierum, & puerorum Chriſtianorum raptores eſſent puniendi, reſpondet, id genus delicti, quod Siciliæ Rex Panormitano Archiepiſcopo, alijſque Epiſcopis vindicandum cōmiſerat, pecuniaria mulcta, vel flagellis coercendum eſſe, quibus verbis apparet, ſolum Panormitanum Metropolitanum fuiſſe, reliquos verò Antiſtites Epiſcopali tantùm dignitate ornatos.

Verū hic ſcopul' nihil omninò impedit. nā vera eius loci lectio illa eſt, quæ in antiqua Bernardi collectione habetur: *Cùm*

*autem*

*autem exceſſus huiuſmodi cariſsimus Filius noſter Siciliae Rex Vuilelmus tibi, & alijs perſonis Eccleſiaſticis, quae Pontificali ſunt praeditae dignitate, commiſerit puniendos.* Malè igitur ex ijs verbis quis inferat præter vnum Panormitanum reliquos omnes Epiſcopos fuiſſe. quippe Pontificalis dignitatis appellatio, & Epiſcopis, & Archiepiſcopis æqua ratione communis eſt. Sed & præterea ſub Alexandro III. Meſſanenſem Eccleſiam Metropolitanam fuiſſe patet ex Lateranenſis Concilij Patrum ſubſcriptionibus, quas numquam antea excuſas ex veteris manuſcripti Codicis fide depromptas Ioannes Piccardus a in lucem edidit: in ijs enim poſt plures Italiæ Prouinciarum Metropolitanos affuiſſe etiam ſcribitur ex Prouincia Sicula Meſſanenſi Nicolaus Archiepiſcopus, & Guido Cephaledienſis.

a In Notis ad Gaufridi Neubrig. Hiſtor. Anglicanam.

Tandem verò non parum pertinere ad Panormitanæ Sedis dignitatem aliquis opinabitur, ne id quoque inuidioſè præterijſſe videamur, quòd ex veteri more Siculorum Regum ſolemnis inauguratio non niſi in Panormitana Eccleſia fieri potuit, ibi Panormitanus Antiſtes futuro Regi fauſta omnia apprecabatur, ſacro oleo inungebat, Regio amictu, coronaq; ornabat.

At magna quidem hæc fuiſſet Panormitanæ Eccleſiæ prærogatiua, ſi iure ſuo hæc munia obiuiſſet, ſoliſque Panormitanis Archiepiſcopis Regum inauguratio eſſet permiſſa. Atqui ego obſeruabam, Anacletum in laudato diplomate, itidemque poſtea Innocentium II. neutiquam Panormitano ſpeciatim eam demandaſſe, ſed omnibus vniuerſim Archiepiſcopis, qui in Siculo, qui in Neapolitano Regno eſſent; &, ſi recta ratio ineatur, vix vnum Federicum Secundum ab Panormitano coronatum in toto Fazello reperies. Poſſem itaque hoc loco Iuonis Carnotenſis verba vſurpare, quæ de Rhemenſi Archiepiſcopo de hac ipſa prærogatiua nimium ſibi blandiente ſcripſit: b *Ex his ergo exemplis manifeſtum eſt, quòd Francorum Reges non omnes à Rhemenſi Archiepiſcopo ſunt conſecrati. Cùm ergò hęc eadem poteſtas ſit cuiuſcumque Metropolitani in Metropoli ſua, mirum videtur, quare vnus in proprium ius ambiat vindicare, quod multorum conſtat eſſe commune.*

b Epiſt. 70.

Cardinalis

## *Cardinalis S. Laurentij in Lucina Sedis Apoſtolicæ Legatus quibus ex cauſis Meſſanenſi Eccleſiæ, veluti Primati, Panormitanam ſubiecerit.*

## CAPVT XXV.

VIdeor mihi ex toto iſto orationis decurſu ſatis apertè, certiſſimiſque argumentis demonſtraſſe Meſſanenſem Eccleſiam multò ante Metropolitana dignitate auctam eſſe, quam Panormitana ad eos titulos eueheretur.

Atque his ego rationibus C. Sancti Laurentij in Lucina Cardinalem ( Cencium fuiſſe facilè crediderim, cuius frequens eſt mentio ſub Innocentio III. & Honorio itidem III. ) Innocentij ad Siculos Legatum ductum fuiſſe opinor, cùm Panormitanam Sedem Meſſanenſi, veluti Primati, ſubiecit. Quis enim prudens, ſcienſque credat, Apoſtolicæ Sedis Legatum in grauiſſima re, & cauſa iudicem, locum vllum vel Meſſanenſium gratiæ, vel falſis probationibus reliquiſſe, vt Primatus prærogatiuam, quæ ſumma eſt, Meſſanenſi Eccleſiæ præter ius, faſque adiudicarit? cùm præſertim Panormitanorum res ea tempeſtate, longo Principum domicilio, quam cùm maximè, effloreſcerent. Nam qui, vt Archiepiſcopalem dignitatem ab Anacleto extorquerent, vel Rogerio, potentiſſimo nimirum Rege, & de adulterino illo Pontifice benemerentiſſimo deprecatore ſunt vſi, an putas non etiam cœlum, terras, maria mouiſſe, & per Henricum, aut Federicum Siciliæ Reges contentioſiſſimè cum Legato egiſſe, ne eorum Eccleſia Meſſanenſi ſubeſſe cogeretur? Neque verò Legatus in ea re dijudicanda errare potuit, quippe in recentiorum rerum quæſtione verſabatur, & ſuperſtites etiam tùm eſſe poterant, qui vtriuſque poſt Sarracenorum extinctam tyrannidem renaſcentis Eccleſiæ incunabula viderant, atque ideò facillimè meminiſſe poterant, vtra ex ijs Sedibus ad Archiepiſcopale faſtigium citiùs adoleuiſſet, ſcilicet Innocentius Tertius anno MCXCVIII. ſedere cœpit, Meſſanenſis verò Eccleſia non totis ante centum annis, Panormitana item ſub M C L I V. annum Metropolitana dignitate donatæ fuerant.

Sanè, ſi coniecturis vti licet, Legatum in ea cauſa finienda, veterem Eccleſiæ morem ſecutum eſſe cenſuerim. nam cùm Prouinciæ ſæpiſſimè aucto Sedium Epiſcopalium numero diuiderentur, mos fuit eas Primas appellare, quæ in antiquarum

rùm

rum Metropoleon Diœceſibus manſiſſent, Secundas verò, & Tertias, quæ recentiores Metropoles ſortitæ ſunt. Sic cum vna antea fuiſſet Palæſtina, quæ Metropolim habuit Cæſaream, & ex ea deinde Secũda, & Salutaris Prouinciæ abſciſſæ, auulſæque eſſent, Primæ nomen accepit pars illa, cui præfuit Cæſarea. Idem in Cappadocia, quæ in tres Prouincias diuiſa eſt, idem in Viennẽſi, Lugdunenſi, Narbonenſi, Bituricenſi ſeruatum eſſe Berterius [a] teſtatur. Sed præſtat Chalcedonẽſis Primæ Synodi ſententiam in pari penè cauſam prolatam recitare. Cùm enim grauiſsima de Metropolitano iure, atque adeò de Primatu controuerſia eſſet exorta inter Eunomium Nicomediæ, & Anaſtaſium Nicęæ Metropolitanos, atque iſte Valentiniani, & Valentis priuilegio niteretur, quo Nicænæ vrbi Metrolis honorem conceſſerant, ille verò Nicomediam antiquiorem eſſe Prouinciæ Metropolim publicis monimentis comprobaſſet, tandem in hanc formam Synodus [b] reſpondit: *Regula ita praecipit, vt in vna quaque Prouincia Metropolitanus habeat poteſtatem, & ipſe conſtituat omnes, qui in ea Prouincia ſunt, Epiſcopos. De Nicomedienſi autem, quando ab initio Metropolis eſt, oportet eum omnes Epiſcopos in eadem Prouincia ordinare. Canones vnum ſciunt Metropolitanum antiquiorem. & manifeſtum eſt, quoniam religioſiſsimo Epiſcopo Nicomediae ordinationes competunt, quin & leges nomine Metropolis ſolummodo honorauerunt Nicaenum, & praeponitur reliquis Epiſcopis Prouinciae honore ſolummodo.* Hæc quidem Chalcedonenſes Patres. Vnum etiam in hanc ſententiam Iacobi Sirmondi notiſſimæ famæ Viri teſtimonium ſubtexam. Is in notis ad Sidonium [c] hæc habet: *Prouinciae olim cùm ſimplices eſſent, pleraeque poſtea in plures Principum nutu diuidi cępere. hinc orta cognomina, vt Primae aliae dicerentur, aliae Secundae, aliae Tertiae, & ita deinceps pro numero Prouinciarum.* & poſt pauca, *Semper autem diuiſis Prouincijs pars illa Primae nomen accepit, cui Metropolis obtigit, quae totius Prouinciae ante diuiſionem caput erat, vt Narbonenſis Prima dicta eſt, in qua Narbo, Lugdunenſis Prima, in qua Lugdunum, Aquitania Prima, in qua Bituriges. Inde & Primatum origo. nam Primarum Prouinciarum Metropolitani Primates erant reliquarũ eius nominis Prouinciarũ. Sicut enim Lugdunẽſis Epiſcopus, vt liquet ex Gregorij VII. epiſtolis XXXV. & XXXVI. lib. VI. Primas eſt quatuor Lugdunenſiũ, ſic Bituricenſis vtriuſq; Aquitaniae, atque ita fermè in alijs Prouincijs, cum ex vna plures fiebant, idem mos fuit, vt ea Primas eſſet, quae Prima, & antiquiſsima inter Metropoles fuit.* Hæc Sirmondus. Quem antiquioris æui morem ſi inſpicere, ac ſequi voluiſſent in recenti exemplo illuſtris alioqui Sodalitij homines, non in eam conti-

nuò

[a] Diſtrib. 2. c. 5. per totum, & latiùs hæc narrantur in Codice Iuris Græco Romani lib. 4. in 2. reſponſo Synodali Nicolai Grammatici Conſtantinopolitani Patriarchæ.

[b] Act. XIII.

[c] lib. 7. ep. 5.

ſuò iuiſſent ſententiam, vt cùm Siculam Prouinciam in duas ſecandam eſſe neceſſariæ cauſæ ſuaderent, propiùs nihil factum fuerit, quàm vt Panormitanæ Primæ titulos de conſilij ſententia decernerent, Secundam verò Meſſanenſem eſſe permitterent. præpoſtero ſanè, &, ſi os in cælum ferre licet, perabſurdo iudicio. Nam cum poſt enatum Romæ ſodalitium, Meſſanæ primùm veluti fundamenta ordinis iacta ſint, indeque feliciſſimo decurſu, non modò per vniuerſam Siciliam propagatus in gentem magnam excreuerit, ſed & in Barbaras gentes Chriſtiana ſigna intulerit, atque adeò Meſſanenſium ductu, auſpicijſq; & prærogatiua Sicula Prouincia cæteras inter, quas per vtrumque Solem latiſſimè diſperſas habet, poſt Romanam Primatum ſibi meritiſſimè vendicarit, quis non rideat hominum prudentiam, an philautiam, qui Meſſanenſi poſtremas partes tribuere audeant? ſcilicet, vt eximiæ, clariſſimæque in Deum pietatis, ac religionis, & in eam familiam humanitatis fructum Panormitani auferant. vt Panormitanus Antiſtes in publicis conuentibus principem locum ante alios Prouinciarum Præſides eam potiſſimùm ob cauſam teneat, quòd omnium exterarum nationum Princeps Meſſana ſe ad amicitiam, ac penè fidem eius ordinis applicuerit, Prima omnium Prouincia ſit appellata, prima docuerit eorum Maiores, quàm glorioſum eſſet colonias veluti Religioſorum hominum in externas Regiones ducere, qui rudes hominum animos Chriſtiana pietate informent; Meſſanenſis verò extremo poſt omnes gradu inglorius ſedeat, alijſque Prouinciarum Rectoribus de loco decedat, quaſi nunc tandem Meſſana eius familiæ homines ſinu ſuo exceperit. Niſi verò eius conſilij authores pudeat, id ius in eorum Politia admittere, quod in veteri Eccleſia ſeruatum, quod tot Conciliorum ſanctionibus, tot Patrum ſententijs, tot Scriptorum teſtimonijs confirmatum eſſe docui. aut fortè etiam faſtidiant eam ſententiam probare, quam in hac ipſa noſtra Sicilia Carmelitici, & Minimi ordinis ſodales inſecuti ſunt, qui auctis eorum Collegijs, adeoque neceſſariò in duas abſciſſa Prouincia illi Primæ nomẽ indidere, in cuius numeris Meſſanẽſis domus cenſa eſt: quippe quæ veteris Prouinciæ caput, ac Mater fuiſſet. Atque vtinam in pari exemplo ius idem tenuiſſent in deſcribẽdis aliarum Orbis terræ Regionum Notitijs. tùm enim præreptas nobis honoris prærogatiuas exili iſto priuatarum legum obtentu ſolaremur, & vel vno illo prætextu viuis nobis videntibuſque, quod in prouerbio eſt, os deliniri, ac decipi æquo pateremur animo: nunc cùm pro locorum differentia diuerſum ius ſtatuant, & Leſbij ſtructoris more plumbeam normam detorqueant, quis non in Eſſæis hominibus, & qui ſe mundanos

venditent, nullius loci ciues, ſordida iſta factionum ſtudia, non meritiſſimis querelis caſtiget, non triſti littera damnet.

Sed iam modus ſit iuſto dolori. Igitur, vt ad propoſitũ redeam, veriſimillimum eſt, Legatum, cùm ex publicis monumentis, Actiſue cognouiſſet, Meſſanenſem Eccleſiam, & antiquiſſimis temporibus vnicam fuiſſe Siciliæ Metropolim, & poſt exactos Sarracenos reſtitutis in integrum Eccleſijs, multò etiam priuſquàm Panormitanam, ad Archiepiſcopale decus euectam eſſe, iure diuiſa per Hadrianum Prouincia, & Panormitana in Metropolem erecta, Primatis dignitatem Meſſanenſi deberi cenſuiſſe, quæ, & prima Prouincia, primaq; Metropolis diceretur. Quamuis autem Innocentius Legatum reprehendat, quaſi ad ea manus extenderit, vt ille loquitur, quæ in ſignum priuilegij ſunt tantùm Summo Pontifici reſeruata, non tamen, quod à Legato non ritè factum eſt, Pontifex abrogaſſe legitur. ſcilicet quia, vt verbis Iuriſconſultorum loquar, pleraque facta iam ſuſtinentur, quæ alioqui fieri re integra neutiquam liceret. Accedit, quòd eius ſolùm culpæ reus Legatus arguitur, quòd commiſſis ſibi Apoſtolicæ Sedis Vicibus plus nimiò ſibi arrogaſſe viſus eſſet, non autem quòd nullo Meſſanenſis Eccleſiæ merito Primatum illi decreuiſſet. atqui ſi Legatus non modò in mandatæ iuriſdictionis leges peccaſſet, ſed Panormitanæ quoque Sedis iuſtiorem cauſam per iniuriam læſiſſet, an non eum Pontifex hanc quoque ob culpam expreſſim obiurgaſſet? an non omnia Legati acta reſcidiſſet?

Quæ cùm apud antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſos clariſſima ſint, nihil miror Gallos homines, nempe bonarũ litterarum amatores, minimè latuiſſe. quos inter Antonium Fabricium Bleinianum multorum loco vnum laudare liceat, a qui cum de Primatum dignitate loqueretur hæc ſcripſit: *Primatis nomen certis adaptatur Archiepiſcopis, quibus ſubleuandi Pontificis Maximi gratia eadem, quae Patriarchis conceſſa fuit poteſtas, c. Prouinciae 99. diſt. & tales ſunt in Anglia Cantuarienſis, in Sicilia Meſſanenſis, in Suetia Lundenſis, in Gallia Lugdunenſis, & Bituricenſis, in Delphinatu Viennenſis, qui praeterea Primas Primatum Galliae exiſtit. de quibus Coppinus II. de ſacra Politia tit. 4. nu.* 13. Alibi etiam idem Fabricius, cùm de Viennenſi diſſereret, hæc ſubdit: *Quia nec ipſi* (Viennenſi) *neque alijs ſubenumeratis ſuas Primatias pacifice relictas ſemper fuiſſe conſtat, partim ex Claudio de Rubeis lib. 1. Hiſt. Lugdunenſis Eccleſiae cap. 4. lib. 3. cap. 21. & 23. partim ex Coppino lib. 3. de demanio tit. 8. circa finem, lib. 1. de ſacra Politia, tit. 8. num. 16 lib. 2. tit. 4. num 14. narrãt enim controuerſiã de Primatu factam fuiſſe Viennenſi ab Arelatenſi, itemque Cantuarienſi ab Eboracenſi, Meſſanenſi*

a In Praxi beneficiorum tit. de maioribus. & minoribus benefic. nu. 38.

*nenſi ab Panormitano, Lugdunenſi à Senonenſi, Bituricenſi à Burdegalenſi. Sed hos tandem competitores, vel Sũmorum Pontificum ſententijs, vel longa poſſeſsione poſtpoſitos fuiſſe ſcribunt.*

## *Miletenſis, & Sancti Marci Epiſcopales Calabriæ Sedes Meſſanenſi Eccleſiæ olim ſubiectæ. Religioſæ familiæ Primarias domos Meſſanæ ſtatuere.*

## CAPVT XXVI.

ET vt ad alia tranſeam Primatus huius indicia, an non id illa arguunt, quòd tertia fermè Siciliæ pars Meſſanenſis Eccleſiæ iuriſdictioni ſubeſt? quòd antiquiori æuo, neq; freti interiacentis obice impediebatur, quominus, & Miletenſi, & Sancti Marci Epiſcopis [a] Metropolitana lege ius diceret? Quid quòd cùm plurimæ religioſorum hominum familiæ non vno tempore ſe in Siciliam infuderint, deductiſque per totam Inſulam colonijs ciuitates, oppida, caſtella, ipſos quoque deſertos agros ſacris templis, ac monaſterijs replerint, Primarias eorum domos, primaq; aſceteria veluti ex compoſito Meſſanæ ſtatuerunt, quibus tùm in publicis, tùm in priuatis congreſſibus, & ſedendi honor, & dicendæ ſententiæ prærogatiua ſuo iure deferretur? qui locus cùm latiſſimè pateat, nos hic quædam breuiter attingemus. Nam ſi primò Militares, vt appellant, Ordines conſideremus, quis ignorat Meſſanenſis Hoſpitalis domus Priorem eum eſſe, penes quem ſit poteſtas omnis, & corrigendi ratio in Hieroſolymitanæ militiæ Siculos Equites? Quis neſcit Templi Meſſanenſis Magiſtrum vnum in tota Sicilia fuiſſe [b] eius ordinis Præſidẽ, cuius ampliſſimas ædes extincta Sodalitate Dominicani incolunt, ſacræ verò Sanctorum reliquiæ, quas in bellico conflictu tutelæ loco geſtabant, S. Mariæ Magdalenæ vallis Ioſaphat Monaſterio ceſſere? Nam in Teutonicorum Equitum militia, [c] quæ iam pridem tota in Pruſſiam migrauit, clariſſima ſuperſunt huiuſce Primatus veſtigia. Hermannus ſiquidem, quem cum Meſſanenſi Archiepiſcopo Federicum Secũdum Imperatorem Gregorio IX. conciliaſſe in hiſtorijs legimus, Meſſanenſis domus magiſter erat, extat hodieque ſacra ipſa Ædes, Prima eius ordinis in Prouincia Sedes, Alemannorum nomine vulgò appellata:

[a] Prouinciale vetus Eccleſiæ Romanæ.

[b] Maurolic. in Indice reliquiarum inſigniũ. Bonfil. in Meſſeniois libr. 2. pag. 26.

[c] Bonfil. l. cit. lib. 3. pag. 19. Maurolicus in hiſtor. Religionum tit. de ordine Equitum Teutonicor.

Age nunc ſeuerioris vitæ Religioſa Collegia diſpiciamus, & vt ſuo gradu antiquiorum rerum memoriam repetamus, no-

tiſſimum eſt Rogerium Comitem recepta Sicilia pietatis cauſa nobiliſſimum æquè, ac religioſiſſimum S. Saluatoris linguæ Phari Monaſterium in ipſis Mamertini portus anguſtijs Regio ſumptu exædificatum Chriſto Saluatori ſtatuiſſe: Rogerium verò Regem paternæ virtutis egregium æmulatorem non modò illud ampliſſima ſeruorum, agrorum, oppidorūq; largitione locupletaſſe, ſed omnia ferè Monaſteria, quæ in Sicilia, quæ in Calabria Baſilio eſſent addicta, huic vni ſubieciſſe. id quod cùm multi Romani Pontifices ſuis diplomatis ratum eſſe voluerint, vnum Alexandri III. attexere non pigeat, quo facillimè cognoſci poterit, quàm latiſſimè ſacri huius Aſceterij authoritas protenderetur, quantum honoris, quantum exiſtimationis id temporis apud viros Principes habuerit. id ita habet: *Alexander Epiſcopus Honofrio Archimandritae S. Saluatoris Meſſanenſis, eiuſque Fratribus tàm praeſentibus, quam futuris regularem vitam profeſsis in perpetuum. Apoſtolicae Sedis, cui quamquam immeriti prouidente Domino praeſidemus authoritate, debitoque officij compellimur viros religioſos ſincera charitate diligere, & ne cuiuſlibet temeritatis incurſus, aut eos à propoſito reuocet, aut robur, quod abſit, ſacrae religionis infringat, Apoſtolico ipſo praeſidio communimus. Ea propter precibus cariſsimi in Chriſto Filij G. Siciliae Regis benignius inclinati, & veſtris poſtulationibus fauore gratuito annuentes praefatum Monaſterium, in quo diuino eſtis obſequio mancipati, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti priuilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo monaſticus, qui ſecundum Deum, & B. Baſilij regulam, quae in eodem Monaſterio antiquitus inſtituta eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus obſeruetur. Praeterea quaecumque bona, quaſcumque Obedientias, & Abbatias Rex Rogerius recolendae memoriae eidem Monaſterio per priuilegium ſuum bulla aurea communitum conceſsit, omnem quoque honorem, & quicquid aliud vobis, veſtriſque anteceſſoribus contulit, ſicut in priuilegio ſuo plenius continetur, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus haec proprijs duximus explicanda vocabulis locum ipſum, in quo praefatum Monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis. In Sicilia quidem Obedientias has; Eccleſiam S. Leonis de Meſſana, Eccleſiam S. Stephani de Meſſana, Eccleſiam S. Nicolai de Yſe, Eccleſiam S. Nicolai de Pſichro, Eccleſiam S. Nicolai de Pellera, Eccleſiam S. Mercurij de Traina, Eccleſiam S. Nicolai de Cannito, Eccleſiam S. Nicolai de S. Neſo, Eccleſiam S. Barbarae de Traina, Eccleſiam S. Ioannis de Calo, Eccleſiam S. Mariae de Mallimatho, Eccleſiam S. Petri de Largoflumine, Eccleſiam S. Veneras de Venillis, Eccleſiam S. Theodori de Inſula Milatij,*

*Eccle-*

*Eccleſiam S. Annae, & S. Nicolai de Monteforte, Eccleſiam S. Georgii de . . . . . Obedientiam de Agro, Obedientiam de Salice. In Calabria autem Obedientias has, Eccleſiam S. Pancratij de Ebriatico, Eccleſiam S. Theodori de Nicotera, Eccleſiam S S. Coſmae, & Damiani, Eccleſiam S. Nicolai de Droſo, Eccleſiam S. Viti cum tenimentis de Buzano, Eccleſiam S. Ieruſalem, Eccleſiam S. Cononis, Eccleſiam S. Ioannis de Frullazano, Obedientiam de Catuna, Obedientiam de Kecusilli cum terris Argilli, Obedientiam de Tucchi cum omnibus pertinentiis, & terris eorum. Monaſteria autem in Sicilia ſunt haec, Monaſterium S. Ricchardi de Meſſana, Monaſterium S. Saluatoris de Praesbytero ſcholario, Monaſterium S. Mariae de Maſſa, Monaſterium S. Petri de Agro, Monaſterium S. Saluatoris de Placa, Monaſterium S. Eliae de Eubulo, Monaſterium S. Baſilij de Traina, Monaſterium S. Philippi de Dimenna, Monaſterium S. Pancratii, Monaſterium S. Angeli de Brolo, Monaſterium S. Mariae de Gala, Monaſterium S. Georgij de Gipſo. In Calabria verò Monaſterium S. Eliae noui, Monaſterium S Ioannis de Lauria, Monaſterium S. Fantini, Monaſterium S. Pancratij de Sala cum omnibus Obedientijs eorum. In ſupradictis quidem Monaſterijs omnibus debes tu Fili Archimandrita, ac tui poſt te ſucceſſores Abbates conſtituere conſilio, & conſenſu eorum, qui in eis fuerint Monachorum, & ſi quis Abbatum indignus fuerit Abbatia, cui praeeſt, tu illum, & tui ſucceſſores iuſtè, & canonicè amouere debetis. Liceat quoque vobis in ſupradictis omnibus Monaſterijs, & Obedientijs examinare, & iudicare Monachos, & Laicos eorum, tàm de ſpiritualibus, quàm de temporalibus, & cauſas eorum iuſtè, & regulariter definire, eo tenore, quòd Meſſanenſi Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus eius, tàm tu Fili Archimandrita, quàm ſucceſſores tui viginti ſolidos, centum libras cerae, viginti incenſi, & totidem caſiſos olei pro cenſu annuatim ſoluere debeatis. Datum Anagniae per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi, & Notarij XII. Kalend. Septemb. Ind. IX. Incarnationis Domini anno MCLXXV. Pontificatus anno XVII.*

Poſt Baſilium alter monaſtici ordinis Dux, ac Princeps Benedictus fuit, cui nulla penè Orbis terrarum pars eſt, quæ non plurimum debeat, quam non ille, aut qui eius deinceps ſigna inſecuti ſunt, vel ad Chriſtianæ fidei cultum traduxerint, vel vitæ exemplo, verboue ad veram pietatem inflāmarint. Primam ille coloniam è Caſino in Siciliam mittere cogitabat, ecquam verò vrbem niſi Meſſanam elegit, in qua Placido authore ſui ordinis Monachorum, an Martyrum Seminarium ſtatueret? florerent licet Syracuſæ, & veteris dignitatis ſplendore nouos colonos inuitarent, Catana etiam ſuis ipſa præſidijs innixa claritatem vrbis præferret, Panormus cæli terræque beatitudinem

tudinem promitteret, aliæ quoque ciuitates latifundiorum, agrorumque commoda oſtentarent, quæ Tertullus Placidi Pater Benedicto donarat. Quo nihil demiror florentiſſimam olim eiuſdem Benedicti Congregationem Vallis Ioſaphat à ſepulchro Virginis appellatam, quæ cùm in ipſis Palæſtinæ Prouincijs, tùm in Oriente toto, & vitæ ſanctitate, & Monaſteriorum multitudine diutiſſimè præluxerat, cùm Chriſtianos Sarraceni Hieroſolymitano Regno exuiſſent, Meſſanæ tandem conquieuiſſe, & quod in ea ciuitate erat S. Mariæ Magdalenæ cœnobium, totius ſodalitij caput, ac Principem eſſe iuſſiſſe? cuius rei monumentum in gratiam antiquitatis hic profero, quod hactenus inter innumera ferè eiuſdẽ Monaſterij diplomata, tabulaſq; delituit, quæ tùm eximiam Regum, ac Ducum, præſertim verò Palæſtinorum Principũ liberalitatẽ, officiaq; teſtãtur in religioſum ordinẽ collata, tùm & plurima continent, quæ ad hiſtoriam ſpectant rerum à Chriſtianis in Oriente geſtarum, cùm Syriæ Regnum felicibus armis tenerent. Verba hæc ſunt.

*Nos Frater Vuillelmus permiſsione diuina humilis Abbas Monaſterij Sanctae Mariae Vallis Ioſaphat excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos Monachos nobis, & Monaſterio noſtro ſubiectos, qui exire, vel ire praeter petitam à nobis licentiam, & obtentam praeſument, & vltra vnius milliaris ſpatium inſtinctu diabolico quocunque deinceps tempore attentabunt extra eiuſdem Monaſterij noſtri, vel aliorum locorum nobis ratione dicti Monaſterii vbilibet ſubiectorum clauſuras, vel ſepta, quos omnes volumus, & decernimus ex nunc, velut ex tunc excommunicationis ſententiae diſtrictiùs ſubiacere, à qua nolumus a quoquam eum, vel eos poſſe abſolui, niſi priùs à nobis licentia, ſeu veniae indulgentia petita pariter, & obtenta. quam ſententiam ſic ſolemniter promulgatam per omnes Priores noſtros, & loca nobis ſubiecta ſub ſigillo noſtro quàm citò tranſmiſimus, per eos caeteris, & ſingulis Fratribus noſtris abſentibus ſub pęna obedientiae publicandam. Volumus tamen, & declaràmus, quòd Priores noſtri extra Siciliam in noſtris vbique domibus conſtituti poſsint ſibi, & eorum ſubditis vltra praedictum, & praefinitum ſpatium milliaris pro domorum commiſſarum ſibi negotiis honeſtis, & vtilitatibus manifeſtis, quotieſcumque opus fuerit, in eundo quòcumq; vel redeundo, pro libito dare licentiam, non obſtante diſtrictione ſententiae ſupradictae, quae debet medicinalis potiùs eſſe, quàm pęnalis; quia noſtrae hoc intentionis exiſtit, vt quantùm ad illos dumtaxat praedicta excõmunicationis ſententia, tàm per nos, quàm per Priores noſtros diſtrictiùs obſeruetur, qui inuenti fuerint inſolentes, inobedientes, indiſciplinati, pariter ac rebelles, ad arcendum videlicet à nociuis diſcurſibus, & reſtringendum eorum vagos, & noxi-*

*noxium appetitum, vt ſuperiùs eſt expreſſum. In quorum omnium teſtimonium, & futuram memoriam duo conſimilia ſcripta exinde fieri fecimus, noſtri, & Fratrum noſtrorum ſubſcriptionibus, nec non & ſigilli noſtri munimine roborata, vnum quorum penes nos in Sicilia retinendum, alterum verò Fratribus noſtris Terrae laboris, & Apulię, ad huius rei habendam notitiam deſtinandum. Actum Meſſanae in domo noſtra S. Martae Magdalenae, vbi poſt deſolationem Terrae ſanctae Caput noſtrae religionis ſtatuimus, & conuentualiter viuimus. anno Domini Milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo, menſe Martij die quarto intrante, Quintae Indictionis, Pontificatus Domini Nicolai Papae Quarti. anno Quinto.*

Ciſtercienſem quidē familiam, quam penè in Sicilia collapſam viri boni dolent, incertus hæreo, an in locum hunc referre debeam, cùm & ſi ſciam Roccæ Amatoris cœnobium antiquiſſimum Meſſanæ eſſe anno MCXCVIII. Bartholomæi à Luce Paternionis Comitis pietate magnificentiſſimè erectum, legerim tamen inter Meſſanenſis Eccleſiæ ſchedas Nucariæ Monaſterium, quod & in Diœceſi Meſſanenſi eſt, Prouinciæ caput fuiſſe, eiuſque loci Abbatem Prouinciā omnem adminiſtraſſe.

Tranſeo iam ad Mendicantium, quos appellant, religioſos ordines, quos ferè omnes principem locum Meſſanæ delegiſſe conſcriptæ eorum hiſtoriæ produnt. & ne in ſingulis recenſendis tempus inſumam, hoc iure vtuntur, qui Dominico, qui Franciſco militant, cùm Conuentuales, tùm Obſeruantes, Auguſtiniani, Carmelitæ, Minimi. idemque etiam receptum eſt apud regulares Clericos Societatis Ieſu, Miniſtrantes infirmis, Minores. Quid multa? ipſe ille infirmior mulierum ſexus, quamquam & naturæ ductu domeſtico carceri videatur addictus, & ab Regno, ac Principatu penè arceatur, Meſſanæ mutatis rerum vicibus non domi modò habet imperium, ſed & in externas quoque regiones ius dicit. Siquidem ſacra ædes Sanctæ Catharinæ Vallis viridis, quam Canonicæ Regulares obtinent, totius ordinis, & monaſteriorum, quæ vel in Sicilia, vel in Calabria ſunt Principatum habet. Proinde legimus, [a] & in Panormitana vrbe, & in Tauromenitana ſubiecta ſibi loca Abbatiſſam viſitaſſe, quod hodieque in Locrenſi Diœceſi factitare notiſſimum eſt.

[a] Mauroloc. in hiſt. religionū tit. de ordine Canonicorum Regular. nillis Viridis.

Canonici

## *Canonici Meſſanenſes, quibus prærogatiuis inſignes. Ius campagorum habent, & quale illud fuerit.*

## CAPVT XXVII.

QVod ſi ad Eccleſiæ Meſſanēſis Canonicos orationem conuerterimus, quod eò illuſtrius dici, ac fingi poteſt, quàm quid Decano, & Cantori ſcipiones argenteos, Canonicis item ſericam mitram, Epiſcoporum inſtar, ex veteri populi Romani inſtituto, nouo etiam Iulij Tertij beneficio Rochetum, & Cappam, vti appellant, cùm publicè ſacris interſunt, geſtandi ius eſt? quid quòd in tota Sicilia ſolius Eccleſiæ Meſſanenſis Diaconis campagis calceatos procedere inter ſacra permiſſum eſſe Sedis Apoſtolicæ conceſſu apud Magnum Gregorium [a] legimus? *Peruenit ad nos*, inquit ille, *Diaconos Eccleſiae Catanenſis calceatos campagis procedere praeſumpſiſſe, quod quia nulli hactenus per totam Siciliam licuit, niſi tantummodo Diaconis Eccleſiae Meſſanenſis, quibus olim à Praedeceſſoribus noſtris non dubitatur eſſe conceſſum benè recolitis, cum omni hoc Fraternitas veſtra* (Ioannem alloquitur Syracuſanum Epiſcopum) *ſubtilitate inquirat, & ſi, ſicut ad nos peruenit, inuenerit, verum eſſe, vtrum à ſe, vel alicuius hoc authoritate praeſumpſerint, ſubtiliter innoteſcat, vt cognita veritate quid fieri debeat, diſponamus. nam ſi negligenter ea, quae malè vſurpantur, negligimus, exceſſus viam alijs aperimus.* Porrò de campagis ita ſcribit Baronius: [b] *Sed & quòd caligas habuiſſe in pedibus Gordiani imaginem dicit, vtique & hoc ipſum ad ornatum Romanae Eccleſiae Diaconi pertinet. erat enim Diaconis Romanae Eccleſiae eiuſmodi ornamentum, quod interdum pro magno priuilegio concedi ſolitum alicuius nobilis Eccleſiae Diaconis ſuperius dictum eſt ex ipſius S. Gregorij epiſtola ad Ioannem Syracuſanum Epiſcopum lib. VII. epiſt. XXVIII. vbi agit de calceis cōpaginatis.* Alibi verò idē Baronius: [c] *Porrò quę peculiaris vſus Romanae Eccleſiae eſſent, vt ſuo loco ſuperius dictum eſt, alijs vti vetitum erat, ſicuti calceis compaginatis,* [d] *Dalmaticis, mappulis, quibus Clerici aliarum Eccleſiarum vti prohibebantur.* Ac Dalmaticas quidem Symmachus Papa magnæ cuiuſdam prærogatiuæ inſtar Diaconis Arelatenſibus geſtandas permiſit, vt ex Cæſario ſuo loco didicimus. Campagos verò à Conſtantino Magno Romanam Eccleſiam accepiſſe exiſtimo. is enim cùm res, quæ ad Romanæ Sedis cultū pertinent, quàm maximè auctas, ornataſq; eſſe cuperet, [e] calceos albos è palatio in Eccleſiam tranſtulit. erant enim campagi calciamentum Princi-

[a] lib. 7. ep. 28. Indict. I.

[b] tom. 8. anno DCIV. nu. 33.

[c] tom. 8. anno DXCVIII. nu. 32.

[d] Conc. Tolet. Tolet. IV. Meurſius in Gloſſario Verbo καμπαγια.

[e] cap. Conſtātius. 95. diſt.

Principum, ac verè Regium, adeòque Cleircis deſerri prohibitum, veluti quod eorum ſtatui minimè conueniens eſſe videbatur, vt ex veterum teſtimonijs colligimus, [a] ac ſicuti quidem poſteriori æuo Senatoribus ſplendidiori veſte, & campagis tum demum vti permiſſum eſt, [b] cùm in conſpectu Imperatoris eſſent, ita etiam cùm ſacris Pontifex operaretur, id quoque ornamenti genus eius Diaconis vſu receptum credi poteſt. quocirca non parum demiror Ioannem Diaconum in vita Gregorij, cùm illum à ſollicitudine, & diligentia laudaret, quam vel in paruis quibuſque cauſis adhibere ſolitus eſſet, epiſtolam XXVIII. lib. VII. exempli cauſa proferre, qua Ioannē iubet inquiſitionem facere in Catanenſes Diaconos, qui campagorum prærogatiuam ſibi vendicauerāt, quaſi ſentiat Ioannes eiuſmodi cauſam non ſanè multi momenti fuiſſe, & Gregorium tamen eò etiam ſuæ mentis oculos adieciſſe. Atqui egregiè fallitur in cenſura iſta Ioannes. qui enim fieri potuit, vt prudentiſſimus Pontifex tam accuratè, ac diligenter, eaque verborum energia cauſam eam Syracuſano Epiſcopo demandarit, ſi tàm minimi pretij res erat? an non verò magnum aliquod facinus admiſſum, & non facile contemnendum illa ſignificant: *Quia ergò tantae temeritatis auſus non eſt leuiter ferendus, cum omni hoc Fraternitas veſtra ſubtilitate perquirat.* & pleraque alia his ſimilia?

[a] Petrus Pithæus aduerſ. lib. 1. cap. 16. Cuiacius, & Gothifred. in notis ad Nouell. Iuſtiniani 126 Iulius Nigronius in diſſertat. de caliga.
[b] Nouell. 126 Themiſt. in gratiar. act. ad Valentem Berter. Diatrib. 1. cap. 7. pag. 79.

Sed iam hìc ſtylum comprimo, vnam illam modò Prærogatiuam addiderim, quam ſi tacitus prætercam, non dubiam præuaricationis accuſationem meritiſſimè incurrero. Etenim Meſſanenſis Eccleſia nedum tot his, quot hactenus prædicaui, titulis iuſtiſſimam Primatus ſui cauſam tuetur, ac ſi per æquū liceat Iudicem, obtinet, ſed illo etiam perinſigni priuilegio vendicat, quod eam Deipara Mater, ac Virgo, cùm in humanis eſſet, in ſuam veluti fidem receperit, qua ſanè Auguſtiſſimæ Virginis clientela, quid noſtri maius optare, quid præclarius votis concipere, aut ad memoriam poſteritatis illuſtrius expetere potuiſſent? hoc enim vno beneficio quicquid claritudinis, commodiue contingere humanitus poteſt, vno veluti cumulo noſtræ ciuitati acceſſiſſe ſenſerim. Perſtrepant licet Mamertinæ felicitatis hoſtes, rumpantur inuidia, & pulcherrimam laudem extorquere ſummis opibus contendant. tantum enim abeſt, vt conſcriptis eorum libellis, datis ad populum edictis, hiſtoriæ tenebras offundant, vt imò Mutios excitaſſe mihi videantur, Caniſios, Villegas, Spinellos, Veruchinos, Maſellos, nunc verò etiam ex laudatiſſimæ Fuldenſis Abbatiæ Bibliothecę latebris vetuſtiſſimum æquè, ac probatiſsimum Scriptorem eruiſſe M. Flauium Dextrum, qui huius epiſtolæ fi-

dem non vulgaribus teſtimonijs confirment; quin ipſam quoq; ſanctiſſimam Virginem officij ſui monere, & tamquàm ex ſyngrapha cum ea agere, vt ſuſcepti patrocinij narrationem miraculis, prodigijs, re demum ipſa cõmoſtret. neque enim ſemel tùm ob annonæ caritatem, tùm ob perpetuas, & externi, & domeſtici hoſtis inſidias de Meſſanenſium ſalute eſſet conclamatum, niſi Patronæ Virginis præſens auxilium, præſentiſſimum numen afflictis rebus, ac penè labantibus opem attuliſſet.

Atque hæc ſunt, quæ in huiuſce generis rerum tractatione probabiliter diſputari poſſe exiſtimabam. Non ignoro ea non tanti eſſe, vt omnium palato ſapiant, præſertim cùm ſuum cuique ſenſum eſſe probè nouerim; ſed nemo tamen mihi negauerit, ſi coniecturis, ſi argumentis, ſi teſtimonijs pugnandum eſt, Meſſanenſis Eccleſiæ cauſam longè firmiùs, atque etiam affluentius ab his munitam, & inſtructam eſſe: quòd ſi quis à me vetuſtiora Pontificum Romanorum teſtimonia, ipſaſq; plumbeas, vt appellant, bullas in aſſerenda iſta Meſſanenſis Sedis prærogatiua importuniùs exegerit, ſciat neque antiquiora diplomata ab Eccleſia vlla Sicula poſſe proferri, quàm ea ſint, quæ hactenus perueſtigaui, neque vera eſſe, ſi proferantur. ſcilicet omnes Eccleſiarum tabulæ, monumenta, actaque, quæ in ſingulis florentiſſimæ olim Prouinciæ Eccleſijs extitiſſe veriſimillimum eſt, Sarracenorum barbarie, ac tyrānide, qui trecentos ferè annos Inſulam occuparunt, vno veluti incendio conflagrauere, vt nulla ad nos ſuperiorum temporum veſtigia permanarint.

Eant nunc igitur alij, & ampliſſimam Primatis dignitatem à priuatis auſpicijs ſibi decernant, marmori inſculpant, aere incidant, & de Primæ Sedis titulis ambitioſè ſibi, vt volunt, blandiantur, dum nobis integra eſſe patiantur illuſtrium Scriptorum teſtimonia, Legatorum Apoſtolicæ Sedis iudicia, Romanorum Pontificum decreta, ipſos ſacrorum Canonum codices, qui Meſſanenſis Eccleſiæ prærogatiuas, Metropoliticum honorem, Primatum numquam intermorituris monumentis conteſtentur.

LAVS DEO.

# I N D E X.


A.

*Alexandri Celeſini locus de Siciliæ, & Panormi Regys titulis examinatus.* 22.23.
*Antiquitatis ratio in Eccleſiaſtica Politia ſemper retenta.* 126.129.
*Apoſtolicae Sedes quae.* 3.
*Archiepiſcopi duplicis generis.* 7. *Cum Primatibus interdum confunduntur.* 7.8.9.10. Αὐτοκέφαλοι *qui dicerentur.* 10. *Nomen pro Metropolitano quandoque vſurpatum.* 10. *Nomen ignotum ferè vetuſtiori aeuo.* 62. *Praeſertim ob veterum Patrum modeſtiam.* 95. *Et maxime in Occidēte, in quo penè prohibit' nominis illius vſus.* 62. *Solo nomine qui dicerentur.* 150.152.
*Arelatenſes Epiſcopi Vicarij Sedis Apoſtolicae eoq; Primates.* 90.

B

*Bacchilus Primus Epiſcopus Meſſanae.* 42.
*S. Benedictus Placidum cōſtruendo Monaſterio Meſſanā mittit.* 165.
*Benedictus Syracuſanus Epiſcopus quo tempore vixerit.* 37. *Prouocat ad Meſſanenſem Epiſcopum.* 52. *Eumdem conſulit.* pag. 50. 111.

C

*Campagi quod genus calceorum.* 116.169. *Vnde eos Romana Eccleſia acceperit.* 168. *Vnde eorum vſus ad Meſſanenſes Canonicos fluxerit.* 116. *Solis Diaconis Romanae, & Meſſanenſis Eccleſiae permiſsi.* 162.
*Canonici Meſſanenſes Mitram ſericam geſtant ex populi Romani inſtituto.* 116.168. *Item Rocchetū, & Cappam.* 168. *Item ſcipiones argenteos.* ibid.
*Captiuitas non perimit iura Eccleſiarum.* 63.
*Catanenſes Diaconi reprehēduntur de campagis temerè vſurpatis.* pag. 168.
*Catana Metropolis dicta ſub Graecis.* 68. *Antiquior ne Metropolis, quàm Syracuſae.* 70. *Vnde eum honorem ſortita.* 70. *Sine Suffraganeis, ſeu Prouincia.* 70. *Addictior in Conſtantinopolitanam Sedem.* 74. *Pallio aucta ab Alexandro III.* 144.
*Cephalaedienſis Eccleſia quando erecta.* 57.75.76.
*Chreſtus Syracuſan' Epiſcopus inuitatur ad Concilium Arelatenſe II.* 96. *Fuerit ne Primae Sedis Epiſcopus.* 96.97
*Ciuitatum ordo, & gradus in ſaeculari Politia.* 1.2. *Quis item in ſacra.* 2. *Quae conſtituant ciuitatem.* 2.
*Concilij Prouincialis indicendi ius ad Metropolitanum ſpectat, certaque eſt Metropolitani honoris nota.* 39.40.
*Conſtātipolitanus Patriarcha auidiſsimus in proferenda Dioeceſi & imperio.* 64. 65. *In alienarum Dioeceſiū Epiſcopos ius ſibi vendicat.* 67. *Vices gerit in Oriente Romani Pontificis.* 66. 67. *Siciliam inuadit, & ordinem Politiae ſacrae mutat.* 67.
*Cuiacij ſententia de Archiepiſcoporum, & Metropolitarum differentus.* 10.

D

*Diaconi Romanae, & Meſſanenſis Eccleſiae ſoli ius campagorum habent.* 168.
*Dioeceſes, Tractus, Regiones quid*

*in Ciuili Politia.* 1. 2.
*Donus Meſſanenſis Epiſcopus quo anno vixerit.* 37. *pallio donatur à S. Gregorio.*23.

E

*Eccleſiaſticus ordo quid ſit, & quis in eum peccare dicatur.* 71. 72. *& in praetermiſſis.*
*Eccleſiae Occidentis quando inſtitutae.* 84. *poſtliminij legibus cēſentur.* 63.
*Epiſcopales Cathedrae in Sicilia quot veteri aeuo.* 11. *in caſtellis, & villis ſtatui non debēt.*11. *nullae ſuperfuere imperantibus in Sicilia Sarracenis.*17.143.*& ſeq.*
*Epiſcopi nomē vsitati' veteri euo, & vſurpatum etiam ab Metropolitis, & Primatibus.* 62.
*Epiſtola S. Gregorij ad Felicem.*31. *Felicis ad S. Gregorium, & quae occaſio ſcribendi.* 47.
*Epiſtolaris hiſtoriae fides.* 61.
*Epiſtolae ad Metropolitas datae iiſdē ferè formulis cōceptę.* 46.47.
*Eucarpus Meſſanenſis Epiſcopus Vicarius Pelagij Papae.* 95.
*Eulalius Syracuſanus Epiſcop' quo anno vixerit.* 59.60.
*Exemptionis formula quae.* 148.*ius cognitum etiam D.Gregorij aetate.* 148.
*Exempti ab aliorum poteſtate Suffraganei Papae.* 149.

F

*Felix vn' an duplex fuerit Meſſanae Epiſcopus.* 37. *quis epiſtolae author. ibid. Romanae Sedis exiſtimationē ſtrenuè tuetur.* 55. 56. *ſe in Romanae Sedis fide futurum ſemper ſpondet.*57. *cur dictus Siciliae Epiſcopus.* 29.*cur Siciliae Praeſes.* 61. *praerogatiuas, de quibus Gregorius loquitur, ad poſteros tranſmiſit.* 86. *eaſdem non ipſe primus intulit in Eccleſiam Meſſanę, ſed à prędeceſſoribus accepit.* 87. *qua occaſione Gregorium conſuluerit.* 47. *Alumnus, & Monachus ſub S. Gregorio.* 38.
*Flaminum inſignia Galerus albus.* 116. *Romanorum numerus.* 115. *Ordo, & differentiae in veteri Politia.* 117. 118. *Meſſanenſium praerogatiuae eędem, quae Romanorum, earumq; veſtigia.* 115.
*Fratres Metropolitanorum Epiſcopi Suffraganei ſunt.*41.53.*& Coepiſcopos quiſquis habet, is eſt Metropolita.* 41.83.111.
*Fratrum, & Fraternitatis nomine Epiſcopi Suffraganei intelliguntur.* 58.59
*D. Fulgentius Ruſpenſis hoſpes S. Eulalij Syracuſani Epiſcopi.* 60.

G

*Galatho Vicarius N. Archiepiſcopi in Nicęna II.Synodo fuerit ne Legatus Epiſcopi Syracuſani, an Rhegini.* 106.107.
*Gaufridi Malaterrę locus de Nicodemo Panormitano Archiepiſcopo ſuſpectae fidei.*18.19.20.21.22.
*Gregorius Aſbeſta Syracuſan' Epiſcopus omniū primus deſciſcit ab Romana Eccleſia, & ſe Conſtantinopolitanae ſubdit.* 71.72. *optimè de Photio Cōſtantinopolitano meritus.* 72.*Nicęam ab eodem tranſlatus.*72. *Archiepiſcopali, & mox Metropolitano honore ab eodem augetur.* 71.72.
*D.Gregori' laudatur à Felice Meſſanenſi Epiſcopo.* 47.*cū Anglis indulgentiùs agit circa matrimonia.ibid. ob id ab Siculis Epiſcopis vellicatur.* 56. *defenditur à Felice. ibid. eumdē Felicem inſtruit de munere Metropolitico.* 38.

58. Dono Meſſanenſi pallium mittit. 23. magnum vſum habet rerum Sicularum. 89

Gregorius Meſſanenſis Epiſcopus Photio Conſtantinopolitano inuiſus. 74.

H

HIſpalenſis Epiſcopus Vicarius Sedis Apoſtolicae. 92.

Honoris vox pro iure Metropolis, aut Primatus frequenter vſurpata. 46.

Hugo Meſſanenſis Primus Archiepiſcopus ſub Rogerio I. 57. & ſeq. erigit Eccleſiam Cephalęditanam, itemque Liparitanam. 77.

Hugo Panormitanus Primus ab Hadriano Prouinciam, & Suffraganeos obtinet anno MCLIV. 150. 151. idē corpus D. Chriſtinę martiris Panormum transfert. 151.

Humbertus Tullenſis Siciliae Archiepiſcopus. 144.

I

IMperator quid iuris habeat in ſacra Politia. 131. 132.

Ioannes Syracuſanus Epiſcopus, quo tempore vixerit. 37.

Iuſtinus Siciliae Epiſcopus authoꝛ epiſtolae ad Petrum Cnaphęum quo anno floruerit. 59. fuit Metropolites 58. non fuit Syracuſanus Epiſcopus. 59. 60.

Iuſtinianae Primae Epiſcopus Vicarius Sedis Apoſtolicae. 91.

L

LEgatorum Sedis Apoſtolicae tres ſpecies. 73. 74. Vide etiam Vices Apoſtolicae.

Legatus Sedis Apoſtolicae Panormitanam Eccleſiam Meſſanenſi veluti Primati ſubijcit. 159. & quibus ex cauſis. 160. 161. 162.

Liparitanū S. Bartholomęi Monaſteriū in Epiſcopatū erigitur ab Hugone Meſſanēſi Archiepiſc. 77.

Lilibęum potiſsima Sedes belli Punici. 133. Quęſtorē, & Conuentū habuit florente Republica Romana. ibid.

M

D. Martianus, Maximus, & Pācratius à B. Petro Siciliae vniuerſim, non certis ciuitatibus Epiſcopi dati. 114:

Mauritij Epiſcopi Catanenſis de Meſſana elogium. 62.

Maximianus Epiſcopus Syracuſanꝰ quo anno deceſſerit. 37. Vicarius Pontificis Romani in tota Sicilia. 85. quis fuerit. ibid.

Meſſanenſis Epiſcopus Sicilię Epiſcopus appellatꝰ. 29. 30. 31. 61. Cōciliū prouinciale Siculis Epiſcopis indicit. 38. 39. 40. quibus legibus ligatur, ijſdē Siculi omnes Epiſcopi ligantur. 40. ſollicitudinē Fratrū ſuorū gerit. 41. 42. & totius Prouinciae. 42. vindicem agit legū à R. Pontifice editarū. 45. queſtiones dubias ad R. Pontificē defert. 47. 51. 54. conſulitur à Siculis Epiſcopis ſuper matrimonijs Anglorū à Gregorio inter conſanguineos permiſsis. 47. 50. 54. 55. ſtatū Prouincię Gregorio indicat. 50. Gregorium ex authoritate Sedis Apoſtolicę conſulit. 51. Epiſcoporū accuſationes audit. 52. ſubiectos Epiſcopos, Fratres, & Coepiſcopos ſuos vocat. 53. habet Prouinciā. 53. eas pręrogatiuas nō perſonales, ſed reales habet. 86. 87. multò ante Felicē. 87. ſolitus agere in Sicilia Vices Sedis Apoſtol. 95. Legatus eiuſdē Sedis in Sicilia ab Vrbano II. inſtitutus 11. 95. R. Eccleſiā & D. Gregoriū ab Gręcorū calumnijs tuetur, ac vindicat. 55. cur Troinenſis etiam appellatus. 59.

Meſſa-

*Meſſanenſis Sedes prima origine poſt Troinenſem.* 15. 16. 17. *A Rogerio insigniter locupletata.* 16 *An Archiepiſcopalis ſub Graecis.* 69. *Vnita cum Troinensi* 12. 13. 14. *Cur bonore minuta ſub Conſtantinopolitano Patriarcha.* 74. *ad Archiepiſcopalem honorem reſtituta ſub Rogerio I. & Hugone I. Archiepiſcopo.* 75 *&* 76. *Prima Sedes declaratur à Legato Sedis Apoſtolicae.* 159. 160. 161. 162. *Primatus eius Scriptoribus agnitus.* 162.

*Meſſana princeps Siciliae vrbs.* 61. 62. *Quot colonias emiſerit.* 113. *Quando à Sarracenis capta.* 74. *ab ipſo Eccleſiae exordio fidem Chriſti ſuſcepit.* 114.

*Meſſanenſium Sacerdotum Gentilium praerogatiua* 115. 116. *Canonicorum dignitas, & priuilegium.* 116.

*Metenſis Epiſcopus cur Archiepiſcopus appellatus.* 150.

*Metropoles vrbes duplicis generis aliae Dioeceſum, aliae Prouinciarum.* 1. 2. *Vnde dictae.* 5. 6. *Quot ciuitates ſubiectas habere debeant. ibidem; &* 8. *dicuntur quae habent Epiſcopos Suffraganeos.* 80. *Siciliae quot ſint.* 11. *Quae earum officia.* 130. *Et Primae Sedes vnde originem habeant, infra Politia.*

*Metropolitani Epiſcopi num ab Archiepiſcopis differant.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Vnde dicti.* 5. *Duplicis generis.* 7. *qui appellari poſsint Archiepiſcopi.* 10. *Solo nomine qui dicti.* 152. 153. *quandoque non à propria ciuitate, ſed à tota Prouincia cognomina accepere.* 29. 30.

*Metropolitanus si quibus legibus ligatur iiſdem, & Suffraganei obnoxij.* 40 *Prouinciae totius ſollicitudinem gerit.* 41. 42. *tam circa Fratres, ideſt Suffraganeos, quàm circa ſubiectos ſuos.* 41. *Leges à Romano Pontifice latas in Prouincia promulgat.* 43. *quia ad eum ſcribi primùm conſueuere.* 43. 44. *& si quando ad inferiores Epiſcopos ſcriptae, iuſsi ſunt eas ad Metropolitanum perferre.* 44. *Legum Ecclesiaſticarum vindicem agit.* 45. *Queſtiones morum, aut fidei difficiles ad Romanum Pontificem defert.* 47. 51 54. 55. *Prouinciae ſtatum Romano Pontifici indicat.* 50. *conſulitur à Suffraganeis.* 50. 51. *nec priùs illi Romanum Pontificem adire poſſunt.* 50. *honoris cauſa multitudinis numerò de ſe loquitur.* 51. *Epiſcoporum accuſationes audit.* 52. *eoſdem à ſubditorum calumnijs tuetur.* 52. *ſolus Prouinciam habere dicitur.* 53. *itemque Fratres & Coepiſcopos ſuos* 53. *reſpondet ad conſulta Prouincialium Epiſcoporum.* 54. *tuetur Romanae Eccleſiae dignitatem.* 55. *erigit in Prouincia Epiſcopales Sedes.* 79. *inuito Suffraganeo ei Clericos ordinabat.* 112.

*Miletenſis, & S. Marci Calabriae Prouinciç Epiſcopi ſubiecti olim Meſſanenſi Archiepiſcopo.* 163.

*Monaſteria ferè omnia Regularium principes domos Meſſanç habent.* pag. 163. 164. 165.

*Monaſterij S. Saluatoris Meſſanae dignitas.* 164.

N

*Nicodemi Panormitani Archiepiſcopi hiſtoria examinatur.* 17.

17. 18. 19. 20. 137. 142. 143. 144. 145. 146.

*Nicolaus an Primus Archiepiſcopus Meſſanenſis.* 81. *interfuit Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III.* 158.

O

ORdo ſedendi, ac ſubſcribendi inter Epiſcopos, non è prerogatiua Eccleſiarum, ſed aetatis Epiſcopalis petita. 104. *etiam aduerſus Metropolitanos.* 105. & 106. & *conſenſus inter myſtici corporis Eccleſiae partes qualis.* 55.

*Ωμοφόριον quale pallij genus.* 25

P

PAllium etiam Epiſcopis commune. 24. 25. 28. & *contra Metropolitae quandoque ſine pallio.* 25. *externi cultus honorem, non imperium importabat.* 25. *nec Metropoliticam dignitatem.* 25. 26. *perſonale eſt priuilegium.* 26. *Quandoque etiam reale, & quo ſenſu.* 27. 28. *Quando ſit reale.* 27. 28. 134. *alias* 136.

*Panormus vllos ne habuerit Epiſcopos Sarracenis imperantibus.* 18. 19. 20. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. *ad Mahometiſmum tranſit.* 142. 146. *De retinendo eo cultu cum Normanis paciſcitur.* 18. *Inquiſitorum haereſeos Sedes, & cur.* 122. 123. *num aliquando Siciliae imperitarit.* 23. *vetuſtiori aeuo ciuitas haud quaquam inſignis.* 133. *Quae illius in Chriſtianam Rempublicam merita.* 129.

*Panormitana Eccleſia habuerit ne ſubiectam Regenſem Sedem in Africa.* 135. 136. *ante Hadrianum IIII. Prouinciam, ſeu Suffraganeos non habuit, imò ſolo nomine Metropolis dicebatur.* 149. 150. 151. *exemptionem tantum à Gregorio VII. obtinuit.* 148. *Prouinciae, & Suffraganeorum iure aucta primum ab Anacleto Pſeudopontifice.* 154. *poſt verò ab Hadriano IV.* 150. 151. *Sola ne Siciliae Metropolis fuerit Hadriani tempore?* 156. & *quid Alexandri III. aetate.* 157. *anguſtiſsimam habet Dioecesim.* 20. *coronandi Reges ius habeat, nec ne* 158. *cur à Legato Sedis Apoſtolicae ſubiecta Meſſanenſi veluti Primati.* 159. 160. 161. 162

*Paſchalis epiſtola quae habetur in c. ſignificaſti de electione Primi, an Secundi Paſchalis ſit.* 136 137. 138. & *an ad Panormitanum Archiepiſcopum ſcripta.* 134. 140. 141.

*Patriarchae ab initio tres.* 2. *Occidentis minus propriè dicti.* 3. *quo primùm tempore ita appellati. ibid.*

*Patrimonium Calabrum, & Siculum quid ſit.* 66.

*Peccare in Eccleſiaſticum ordinē, in Eccleſiae leges quid.* 71. 72. & *in praetermiſſis.*

*Perſonae vox pro dignitate ipſa frequenter vſurpata.* 87.

*Photius Cōſtantinopolitanus Patriarcha acerrimus Eccleſię Romanae hoſtis.* 73. *prodigus Eccleſiaſticarum dignitatum in ſuos ſectarios.* 73.

*Politia Eccleſiaſtica, & ſacra vnde deſumpta.* 89. 114. 115. 117. 118. 119. 120. 121. 125. *non ad ciuilem adaptatur.* 125. 126. 127. 128. *nil iuris in ea habet Imperator.* 131. 132. *in Sicilia immutata à Conſtantinopolitano Patriarcha.* 67.

Digitized by Google

67.68. *Quo ordine, & conſenſu inſtituta.* 55.
*Poſtliminij ius etiam ad Eccleſias trahitur,* 63.
*Praedeceſſorum vox frequentius, & penè à ſolis Metropolitis vſurpata.* 88.
*Prima Sedes, & Epiſcopus Primę Sedis quot modis dicatur, & quibus acceptionibus.* 98.99. & *Primae Metropoles Prouincijs diuiſis, quae dictae.* 160.
*Primates qui.* 3. & 160. *an pares Patriarchis.* 3. 4. *In Oriente, & Occidente.* 4. *inſtituunt Epiſcopatus in ſuis Diœceſibus.* 79. *Quae eorum munera.* 3.4. *Africae quales fuerint.* 99. 100. 101. & 102.
*Primatus pro Patriarchatu acceptus.* 8.
*Priuilegij vox veteribus pro iure ipſo Metropolitico, aut Primatus interpretata.* 28. 29.
*Priuilegia Meſſanenſis Eccleſiae ſeruaturum ſe D. Gregorius teſtatur.* 28. 29. *Eccleſiarum difficile mutantur à Romano Pontifice.* 129. *Realia potiùs, quàm perſonalia preſumuntur, niſi expreſſim perſonae irrogentur.* 86.
*Prouinciam quot ciuitates ſtatuant,* 5. *qui habere dicantur.*
*Prouinciarum ſollicitudo ad Metropolitas ſpectat.* 4. *Diſtributio, ac diuiſio vnde fluxerit, & num à Nicaeno Concilio.* 119. 120.

R

**R***Eligionis habitus quid apud Gregorium.* 85.
*Religioſae familiae Primarias earum domos Meſſanae ſtatuunt* pag. 163. 164. 165.
*Robertus Meſſanenſis Epiſcopus Legatus Vrbani II. in Sicilia, & cur.* 95. *Primus Siciliae Epiſcopus.* 15. 16. 17.
*Rogerij in Meſſanenſem Eccleſiam amor.* 16. 17.
*Romanus Pontifex acerrimus defenſor veterum priuilegiorum.* pag. 129.

S

**S***Acerdotum nomine Epiſcopi dicti, qui & ſummi Sacerdotes.* 24. *Ad differentiam Preſbyterorum, qui ſecundi, & ſecundi ordinis Sacerdotes.* ibid.
*Sancti Marci Epiſcopus, item & Miletenſis ſubiecti olim Meſſanenſi Archiepiſcopo.* 163.
*Sarraceni ex Prouincijs bello occupatis Epiſcopos omnes pellere aſſueti.* 143. *Siculā Eccleſiam fūditus excindunt.* 143. 144. 145. *De occidendo Syracuſano Epiſcopo conſulunt:* 145. *Panormitani ob captas Syracuſas triumphant.* 145.
*Senonenſes Epiſcopi Vicarij Sedis Apoſtolicae.* 92.
*Sicilia Gregorij Magni aeuo vnica Prouincia.* 57. *Vni Felici Meſſanenſi paruit.* ibid. *In Dioeceſi Conſtantinopolitani Patriarchę.* 61. *Quādo à Romana Sede deſciuerit.* 65. 66. 67. *eius Praefecti quo nomine appellati olim.* 137. *à D. Petro Chriſtianam fidem edocta.* 12. *Quo tempore Regiam dignitatem obtinuerit, & num ante Normannos Reges habuerit,* 20. 140. *Nullos habuit Epiſcopos ſub Sarracenis.* 17. 143. 144. & 147.

Siculi

*Siculi Epiſcopi obligantur legibus ad Meſſanenſem datis.* 40. *Cum Felice Meſſanenſi expoſtulant de S. Gregorij in Anglos indulgentia.* 55. 56. *in S. Gregorium, & Romanam Eccleſiam obmurmurant.* ibid.

*Strategus Siciliae in litteris Conſtantini, & Irenes Imperatorum quis.* 138.

*Subiectorum nomine quos intellexerit Gregorius.* 41.

*Suffraganei Epiſcopi obligantur legibus in Metropolitas latis.* 40. *ſuum Metropolitanum conſulere prius debent, quàm Romanum Pontificem.* 50. 51. *Non conſulunt Romanum Pontificem de quæſtionibus dogmaticis, & ad generalem morum, & fidei cauſam pertinentibus.* 51. *ſignificantur ea phraſi, ego, & qui mecum ſunt. ego & qui ſub me ſunt.* 56. *Item & Fratrum, & Coepiſcoporum nomine.* 41. 83. 111.

*Syracuſana Eccleſia an prima B. Petri filia, an ſecunda poſt Antiochiam Sedes.* 83. *quando erecta.* 84. *Archiepiſcopatus & mox Metropolis facta ſub Cōſtantinopolitano Patriarcha.* 68. 71. *addictior Conſtantinopolitanae Eccleſiae.* 74. *In Nicaena II. Synodo fuerit ne Archiepiſcopatus titulo appellata.* 106. 107. *ante Gregorij Aſbeſtae aetatem numquam Metropolis audijt.* 106. 110. 111. & 112. *Subiecta Meſſanenſi, eamque in dubijs rebus conſulit.* 111. *numquam magiſtratus iure alienarum Sedium cauſas cognonit, ſed tantum ex Vicibus Sedis Apoſtolicae.* 110. *à Romana Eccleſia reiecti honores à Conſtantinopolitano Patriarcha collati in Syracuſanam Eccleſiam.* 108. *ſola ſuperſtes in Sicilia uſque ad Syracuſarum excidium.* 145. & 147.

*Syracuſani Epiſcopi pro fide cum Amira certamen.* 145.

*Syracuſę olim Metropolis vrbs Siciliae in Ciuili Politia.* 109. *præſertim ob emiſſas colonias.* 110. & 113.

T

*Tauromenitana Eccleſia Archiepiſcopatus titulo aucta ſub Conſtantinopolitano Patriarcha.* 69. *fortaſſe in gratiam Zachariae Photij aſſeclae.* 73. *quando inſtituta Sedes Epiſcopalis.* pag. 84.

*Tauromenium poſtrema omnium Siciliae ciuitatum Sarracenis ceſſit.* 147.

*Theſſalonicenſis Epiſcopus Vicarius Sedis Apoſtolicae.* 91.

*Toletanus Epiſcopus Vicarius Sedis Apoſtolicae.* 92.

*Tranſlatio quid differat ab vnione.* pag. 14.

*Troinenſis Sedes non tranſlata a Rogerio Meſſanam, ſed Meſſanēſi vnita.* 12. 13. 14. *Prima omnium Siciliae Eccleſiarum poſt exactos Sarracenos.* 15. 16. & 17. *fauſta ipſius initia.* 20. 21.

V

*Vicarij, ſeu Legati Sedis Apoſtolicae quot modis dicti.* 93. 94. *miſſi etiam in Prouincias, quae ſuos Metropolitas haberent.* 63.

*Vices Sedis Apoſtolicae quale mu-*

Z nus

*nus fuere.* 85. 90. 91. 92. *Quam dignitatem importarint.* 89. 90. 91. 92. 93. *Primariis quibuſque Prouinciarum Epiſcopis commiſſae.* 92. 93. *Iiſque praeſertim quorum praedeceſſores eas olim geſſiſſent.* 91. 93. *Maximiano Syracuſano ad tẽpus, & perſonaliter datæ.* 85. 94. *quo ſenſu ex iis nata Metropolitarum, & Primatum dignitas.* 93. 94.
*Viennenſis Epiſcopus Vicarius Sedis Apoſtolicae.* 89. 90.
*Victor Primae Sedis Epiſcopus apud Gregorium, an fuerit idem, qui Panormitanus Victor.* 135. 136. 137.
*Viſitatio Eccleſiarum vacantium non eſt ius Metropoliticum.* 103. *Vnde etiam inferioribus Epiſcopis committi ſolita.* 103.
*Vnio quid à tranſlatione differat,* pag. 14. 15.

Z

Z*Accharias Tauromenitanus Epiſcopus magnus Photij ſectarius.* 73.

FINIS.

Digitized by Google

Don Leonardus Patè videat.

Onuphrius Vic. Gen.

Reuerendiſſime Domine, Alberti Piccoli I. C. Meſſanenſis de Antiquo Iure Siculæ Eccleſiæ Diſſertatio à me diligentiùs tuo iuſſu lecta, examinataque, propter argumenti nouitatem, ſtyli elegantiam, &, quam præ ſe fert, omnimodam rerum Eccleſiaſticarum eruditionem, ea videtur, vt non modò publico cõmittenda ſit, cùm nihil non catholicæ congruum Religioni contineat, verum quę ad enucleatam Siculæ Eccleſiæ rerum cognitionem omnium manibus teratur. Meſſanæ Die 10. Iulij 1622.

Leonardus Patè.

*Die IX. Menſis Octobris 1622. Imprimatur de mandato Illuſtriſſ. Domini.*

*D. Hieronymus Riſico Mag. Not.*

*Imprimatur.*

*Hieronymus Donatus loco Illuſtris Præſidis de Blaſchis.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google